



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**


A Tempore Resvscitarvm In Occidente Litterarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1744

Liber Secvndvs De Emendatione Philosophiae In Singvlis Eivs Partibvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28327



LIBER SECVNDVS

DE EMENDATIONE PHI-
LOSOPHIAE IN SINGVLISEIVS
PARTIBVS.

CAPVT PRIMVM,
DE REFORMATIONE PHILO-
SOPHIAE RATIONALIS RECENTIORI
AETATE TENTATA.

§. I.

*Ordo tracta-
tionis.*



Peragrato longissimo itinere philosophiae vniuersae a mundi incunabilis ad nostram aetatem campo, nondum tamen metam attigimus, omnemque philosophiae historiam absoluiimus. Cum enim in enarrandis philosophiae veteris medii-que aevi fatis omnes eius mutationes per singulas partes complecti licuisset, recentioris aetatis, tertiaeque periodi historiam simili modo vniuersam comprehendere non potuimus. Quoniam enim memorabilium haud facile quicquam desiderari posse speramus in iis, quae de recentiorum studio circa philosophiam sectariam eiusque partes singulas copiose attulimus, aliter tamen in enarratione philosophiae eclecticae et reformatione sapientiae humanae euenit, ubi eorum modo conamina atque diligentiam exposuimus, qui pro reformatioribus vniuersae philosophiae aut habiti sunt, aut haberi se cupuerunt. Fuerunt autem praeter istos innumeri viri docti, qui non omnem quidem disciplinam philosophicam refingere, et ornatiores vultus exprimere tentarunt, ast in specialibus tamen philosophiae scientiis insignes valdeque memorabiles mutationes susceperunt. Quas reticere, esset eclecticae philosophiae partem nobilissimam sup-primere.

supprimere. His itaque enarrandis, declarandoque, quid per singulas philosophiae partes emendare, nouumque dare susceperint viri docti, in hoc libro nostra versabitur industria. Ex quo vero constare lectori posse confidimus, non expectandam iam esse a nobis singularum disciplinarum philosophicarum historiam, quam condere non minoris, quam quem haecenus vrfimus, laboris et prolixitatis opus esse intelligent, qui considerauerint, ad veram rectaque methodo institutam alicuius scientiae philosophicae historiam, non id tantum requiri, quod ab haud paucis non perfunctorie factum est, vt literaria eius historia exponatur, sed ipsa quoque systemata varia, eorumque discrimina mutationes causasque esse adducendas. Qua quidem ratione neminem haecenus opus hoc absoluisse, merito dolemus, virosque eruditos cohortamur, vt hoc saxum voluere, et philosophiae magis, quam philosophorum historiam specialem condere incipiant, ex qua magnam philosophiae redundaturam esse utilitatem nemo non rerum gnarus intelligit. Non tamen contemnenda eorum laudabilis industria est, qui historiam disciplinarum philosophicarum specialem enarrare contenderunt. Quamuis enim plerique literariam magis quam philosophicam notitiam dederint, haud raro tamen, licet non satis plene, ea quoque tetigerunt, quae ad ipsa dogmata pertinent. Adeundi itaque atque consulendi de rationali philosophia PETRVS RAMVS^a, BARTHOLOMAEVVS KECKERMANNVS^b, G. I. VOSSIVS^c, PETRVS GASSENDVS^d, REN. RAPINVS^e, CHRISTIANVS THOMASIVS^f, I. G. PASCHIVS^g, IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS^h, IOANNES FRANCISCVS BVDDEVSⁱ, IOANNES IACOBVS SYRBIUS^k, SAMVEL CHRIST. HOLLMANNVS^l, et qui facile omnes accuratione et dogmatum explicatione vicit Ven. IOANNES GEORGIUS WALCHIVS^m, theologus hodie Ienenfis multis de ecclesia orbeque literario meritis inclytus. Metaphysicae historiam nemo profundius denudauit, et enucleatius, quod ad veteres attinet, suo tempore tradidit quam IACOBVS THOMASIVSⁿ, dignus qui consulatur; quem suo modulo atque pede secuti sunt BVDDEVS^o, REIMMANNVS^p,

I VN-

- a) In Scholis dialecticis.
 b) In Praecognitis Logicae.
 c) De Nat. et const. Logicae.
 d) De Origine et varietate Logicae Tom. I. opp.
 e) Reflexions sur la logique.
 f) In Philosophia aulica.
 g) De Inuentis nou- antiquis.
 h) In Calendario critico-historico logicae, et quod ad Germanos attinet, in Hist. Lit. Germ.
 i) In Praefat. ad versio. Latinam Artis cogitat.

- k) In Hist. Logicae Instit. philos. rat. ecclest. praemissa.
 l) In prooem. Logices T. I. Institution. phil.
 m) In Historia Logicae, quae extat Parerg. Acad. pag. 454. seqq.
 n) Adiecit eam Erotematibus metaphysicis.
 o) Annot. ad Part. IV. Philosoph. instrumt. pag. 451.
 p) Hist. Lit. German. Vol. II. p. 159, III. p. 117. IV. p. 2. 115. seqq.

Hist. philos. Tom. V.

Z z z

IVNCKERVS^a, et qui reliquos facile vicit HOLLMANNVS^r. Physicae historiam diu neglectam fuisse, fere intolerabile et vehementer dolendum videtur, quamvis perperam CHRISTIANO IVNCKERO^s prima eius conamina tribuere Cel. STOLLIVM^t putemus. Nam non modo ante Iunckerum incomparabilis Buddeus breues historiae naturalis disciplinae lineas *Institutionibus doctrinae naturalis* praefixit, quibus elucidandis vltimam paulo ante mortem manum admouit, sed imprimis diligentissimus GASSENDVS amplissimis, quos de physica^u scripsit commentariis historiam plerorumque dogmatum curate attigit, acutissimus HAMELIVS^x autem veterum et recentiorum hypotheses physicas inter se comparauit, vt de vtriusque partis mente sententiam suam aperiret. Tentauit quoque nonnulla, doctrinam magis, quam libros respicientia diligentissimorum virorum MORHOFII^y, et PASCHII^z eruditio. Quibus merito addi possunt Ephemeridum praestantissimarum, quas Parisienses atque Lipsienses eruditi condunt, itemque memoriarum ad societates eruditas spectantium auctores, qui non quidem rerum naturalium historiam, aut eius tamen, quod ad recentiores obseruationes spectat, hylen quandam iucundissimam suppeditant. Qui vero de rebus naturalibus scriptores consulendi sint, ad haec arua nostra non pertinet exponere, et ex indicibus STRVVI^a, SCHEVCHZERI^b, REIMMANNI^c, STOLLII^d aliorumque discendum est. Maxime autem huius argumenti noscendi cupido praestantissimi HOLLMANNI commendamus industriam, qui cum *Institutiones philosophiae naturalis* panderet, non modo laudabili consilio, fata eius disciplinae breui quidem at luculento et eleganti compendio enarrata praemisit, sed cum recte prudenterque statuëret, esse effectuum naturalium plurimos, quos philosophice cognoscere, causarum vero et quantitatum cognitionem non nisi historicam habere possimus, ad obseruationes magnorum virorum semper recurrit, scriptorum praestantissimorum non libros tantum, sed et obseruationes indicauit, et quid de quouis argumento physico naturae interpretes statuerint, addita ἐπιμνηστικῶς ita exposuit, vt merito naturalis scientiae studiosis hunc eruditissimi viri laborem gratulemur, et historiae physicae dogmaticae vices subire posse credamus. Quam viam quoque cum in pneumatologia et theologia naturali

q) In Linceis primis eruditionis pag. 76.
 r) In prolegom. Philos. primae, qui ante omnes aduendus est, cum singula perspicue solideque sit complexus.
 s) loc. cit. Part. I. p. 141. seqq.
 t) Histor. liter. c. 4. §. 3. p. 519.
 u) Tom. I. opp.
 x) In Phil. vet. et noua.
 y) Polyhist. T. II.
 z) loc. cit.

a) In Bibliotheca philosophica, АСКЕРИ
 LOTTERT, КАНЛИИ aliorumque curis aucta.
 b) In Bibliotheca scriptorum historiae naturalis.
 c) [Histor. literar. German. Vol. II. pag. 160. 305. Vol. III. pag. 461. IV. pag. 462. V. pag. 763. seqq.
 d) I. c. Lib. II. cap. 3.

turali inierit, ad eum recurrendum est, huius enim scientiae historia valde haecenus neglecta est, et paucissima sunt, quae IVNCKERVS^e et BVDDVS^f tetigerunt, literariam vero eius scientiae historiam tantum suppeditarunt STOLLIVS et REIMMANNVS^g. Addenda his est atheismi historia, quae haud contemnendam eius partem constituit, cuius fontes cum nos quoque vbique in hac tractatione indicauerimus, illa loca post industriam Ven. REIMMANNI^h consuli, si tanti videbuntur, possunt, nouos autem Cl. ZIMMERMANNIⁱ labores de eo argumento dudum promissos adhuc expectamus. Nec lautio rem apparatus ethicae historia suppeditat, GVDNLINGIVS^k enim veteres tantum et quidem solos barbaros, STOLLIVS^l et REIMMANNVS^m scriptores, PASCHIVSⁿ, methodum tradidit, fata ethices nemo haecenus ex instituto enarrauit. Qua in re feliciora sidera vidit iuris naturalis historia, forte, quod recentiori tantum aetate sub peculiaris scientiae habitu exculta, tantum laboris, studium atque molestam operam, quam reliquae partes non postulare. Plurimum enim hac in re nos debere, BVDDI^o, LVDOVICI^p et imprimis CHR. THOMASII^q diligentiae, nemo ignorat rerum literariorum nostri aevi non plane ignarus. De politica autem et viuendi imperandiae scientia praeter eos, qui scriptores enarrarunt^r, nemo fere nobis occurrit, qui operam rectam et sufficientem in eo argumenti genere posuerit. Ab horum autem omnium industria manum quidem non cohibebimus, si inseruire tractationi nostrae poterunt: aliam tamen viam sequemur. Cum enim veteris mediique aevi historiam in antecedentibus iam, quantum instituto nostro sufficere putauimus, complexi sumus, in sequentibus ea tantum tangemus, quae singulis disciplinis philosophicis, a resuscitatione literarum noua, singularia, momentoque non carentia, et ad nullam sectae speciem referenda contigerunt, et quibus eclectica philosophia adiuta est. Verum hic quoque modo et limitibus opus est, ne in infinitum liber exerescat: dabimus ergo potiora tantum et memoria dignissima, qua licet breuitate, et qui plura nosse cupiunt, ad abundantissimos fontes dimittemus.

Zzz 2

§. II.

e) loc. cit.

f) loc. cit.

g) locis citatis.

h) In Historia atheismi, quae tamen literaria magis est, quam philosophica.

i) Dudum is meditatus est Historiam atheismi et apologiam virorum doctorum atheismi accusatorum, cuius specimen in dissertat. de Atheismo Platonis, itemque de impietate Ege-meri et Diagorae Melii etc. extare in Amoent. literariis Cel. SCHELHORNII T. VIII, et in Museo Bremensi Vol. I. voluit.

k) In Historia philosophiae moralis,

l) loc. cit. P. III. tot.

m) loc. cit.

n) In tr. de variis modis tradendi moralia, cui annexa est Introductio in rem literariam moralem veterum.

o) Praemissis is Seledis I. N. et G. historiam iuris naturalis.

p) Etiam huic viro docto historiam I. N. debemus.

q) Eius Historiam paulo pleniorum I. N. supra iam in eius vita tetigimus.

r) Scriptores huc pertinentes nominat STOLLIVS loc. cit. cap. 5. §. 4. pag. 693. Inter quos facile eminent N. AVDAEI, CONRINGII, BOSII, ARNDII scripta.

*Emendatio
logicae cen-
tata.*

§. II. Mature post renatas literas vidisse viros eruditos naeuos logicae Peripateticae, eisque medelam afferre tentauisse, ex praecedentis libri tractatione constat. Eo enim loco planum fecimus, quid Laurentius Valla et Rud. Agricola Sec. XV. hoc nomine susceperint, et quo pacto philosophiam rationalem emendare sint aggressi: ea itaque heic repetere nihil attinet. Exorta vero clariori luce seculo XVI, multa reprehendisse viros doctos, multa noua fuisse molitos in hoc philosophandi genere, parum autem vel plane nihil profecisse, vel solius Nizolii atque Ludouici Viuis exemplis suo loco adductis potest demonstrari. Et profecto, quae hoc seculo magni quoque viri in logica philosophiae parte susceperunt, vltra repurgationem logicae scholasticae, quam ad puriores Aristotelis fontes reuocarunt, plane nihil, quod momentum nouitatis et emendationis habeat, attulerunt. Vnus Petrus Ramus, quod tum multi mussitarunt, aperte eloqui, et quod alii in votis tantum habuerunt, in rem perducere, nouamque dialecticam introducere ausus est. Quae cum magnorum motuum causa per integrum fere seculum fuerit, historia Ramea iam paulo curatius nobis enarranda est, quam strictim, vt institutum postulat, dabimus.

*Vitae Petri
Rami scri-
ptores.*

§. III. Ignotum esse nequit nomen PETRI RAMI illis, qui historiam eruditionis vel a limine salutarunt. Fuerunt enim plurimi, quires eius et tum vitae tum philosophiae historiam tetigerunt. Et ex instituto quidem vitam Rami omnium optime enarrauit, qui ex disciplina eius prodit THOMAS FREIGIVS ^s, tum PETRVS NANCELIVS ^t et THEOPHILVS BANOSIVS ^u. Multa, quae ad res Petri Rami illustrandas faciunt, attulere SAMMARTHANI ^x fratres, quos exscripsit PAVLVS FREDERVS ^y tum BOISSARDVS ^z similesque scriptores historiae literariae alii, in vulgus noti. Recentissima aetate in iis explicandis illustrandisque laudabilis versata est industria TEISSIERII ^a PETRI BAYLII ^b, CHR. BREITHAVPTII ^c et C. F. LENZII ^d. Tacemus GASSENDVM ^e, REIMMANNVM ^f, WALCHIVM ^g aliosque scriptores historiae logicae. Nos consultis, quos nominauimus, fontibus ita ad obseruationes laudatorum virorum attendemus, vt quod lucem historiae celeberrimi philosophi accendere queat, neglexisse nos mimine videamur.

§. IV. Edi-

s) Addita est AVDOMARI TALAEI
Orationibus Marpurgi 1599. 1608. editis.

t) Paris 1603, 8. II. Volum.

u) Francof. 1579.

x) Elog. Gallor. Lib. II. elog. 21.

y) In Theatro p. 1467.

z) Vit. illustr. script. T. II. p. 36.

a) Elog. des hommes sauaus T. II. p. 397. sqq.

b) Dis. T. IV. art. Ramus p. 25. seqq.

c) Dis. de Tribus Logicae restauratoribus Ramo,
Verulamio atque Cartesio Ien. 1712.

d) Dis. de Historia Rami Viteb. 1713.

e) De Orig. Log. c. IX. T. I. Opp. p. 59.

f) Hist. lit. Germ. Vol. III. p. 192.

g) I. c. L. II. c. 1. §. 3. p. 609. sqq.

§. IV. Editus est in lucem PETRVS RAMVS (de *Vita Rami.* la Ramee) in Veromanduorum agro Cuthi, parentibus antiqua quidem et nobili profapia ortis, sed belli calamitatibus ad infimam fortem redactis. Teste enim BANOSIO^b, qui id ipsi Ramo debet, auus eius in Eburonum gente familia imprimis illustri fuit, sed patria a Carolo Bugurdionum duce capta et incensa in Veromanduorum agrum profugus ob paupertatem cauponariam artem exercuit. Ipse quoque se relictis vix cunis peste correptum aegre mortem euasisse narrat. De adolescentia eius atque educatione discrepant scriptores: SCALIGERⁱ enim ad annum vsque decimum nonum, ne quidem primas notas eum didicisse, ac inferuuisse domino de la Brosse, et Lutetiam deductum famulum ingenio tardo, rudi et stupido atque disciplinae repugnanti fuisse tradit, hanc autem stupiditatem discendi vicisse desiderium. Ali- ter autem BANOSIUS^k, qui narrat: „Anno aetatis suae circiter „oetavo sponte Lutetiam venisse, et inde bis abductum violentia tem- „poris, bis eodem tamen, quamlibet reslantibus ventis reuerfum et „ardenti discendi studio incensum ab Honorato Carpentario auunculo „victum per aliquot menses perexiguum accepisse, vt artes addiceret; „deinde necessitate coactum multos annos duram seruitutem in colle- „gio Nauarrae seruiuisse; sed cum interdiu dominis suis fidelem ope- „ram praestitisset, nocte oleo et lucerna in studia incubuisse.“ Quam narrationem ipsa Rami verba a FREIGIO^l adducta confirmant, qui- bus de fortunae pertinacia, quam Lutetiae se expertum esse ait, cum ad capeffendas artes ingenuas illuc venisset, conqueritur: id quod tamen sibi non puero, sed iuueni accidisse tradit. Traductus autem ad hunc bonarum literarum mercatum, cum ineffabili discendi desiderio flagraret, et ipse indefinenter literis operam dare coepit, et lectiones publicas attente audiuit. Et fuerunt quidem, qui Ramum sine prae- ceptore propria diligentiae felicitate ad id doctrinae culmen euasisse contendunt, quo postea eminuit. Certe ad MORHOVIUM^m, NAVDAEVMⁿ et EDMUNDVM RICHERIUM^o prouo- cat, qui *αυτοδιδασκων* Ramum ipse quoque dixerat TEISSIERIUS^p, ideo notatus a P. BAYLE^q. At si accurato vocis rigore id su- mas, falsum est. Ipse enim RAMVS^r, tres annos sexque men- ses in philosophia Aristotelis ex academiae legibus se posuisse operam ait, et alio loco^s, id repetit, factus illud tempus sese logici Or- gani libris cognoscendis, disputandis, meditandis traduxisse. Quod

Zzz 3

si vero

h) l. c. ex Oratione Rami professionis regiae initio habita.

i) Scaligerana secunda p. m. 127.

k) loc. cit.

l) l. c. conf. BAYLE not. B.

m) Polyhist. T. I, L. I. c. II. p. 6.

n) De Studio liberal. c. 5. p. m. 89.

o) In Obstetricae animorum c. II, p. 20.

p) l. c. p. 399.

q) l. c. not. N.

r) Schol. dial. L. V. fin.

s) Animadu. Arist. L. IV, p. m. 136.

fi vero id velint viri docti, quod eos voluisse suspicamur, nouam eum dialecticam non a praeceptoribus hausisse, sed suo ingenio debuisse, nihil dicunt, quod non ipsius Rami assertis consonet, licet fuerint, qui in eo quoque argumento alieno illum vitulo arauisse contendunt. Non vero solam philosophiam Aristotelico-Scholasticam didicit, sed et artes mathematicas; in quibus Ioannem Penam, quem in philosophia discipulum nactus est, praeceptorem habuisse, etsi is iuuenis adhuc esset, contra censuram Baylii demonstravit TEISSIERIVS^c. Licet enim tunc admodum iuuenis vigeret, erat tamen testibus SAMMARTHANIS^d supra aetatem eruditus, hisque potissimum artibus egregie versatus, adeo, vt, narrante ipso Ramo^e, quamuis valde iuuenis esset, cathedram mathematicam post feuerissimum examen, commendante Ramo tandem obtinuerit. Nec alio testimonio opus est, quam ipsius Rami^f, a TEISSIERIO^g producto, qui e doctis Latine et Graece eruditus Ioannem Penam sibi imprimis mathematici studii adiutorem fuisse affirmat. Obiit autem Pena XXVI tantum annos natus, vnde iuuenem eum Ramo in his artibus praeceptorem obtigisse manifestum est^h. His vero studiis cum pertinax accederet contentio et diligentia inexpugnabilis, iura magistri philosophiae obtinere Ramus potuit. Id hoc pacto factum esse narrat FREIGIVSⁱ: *Lutetiae magisterii titulum suscepturum pro more et consuetudine scholarum liberam disputandi copiam examinantibus facere coactum fuisse. Problema igitur summissa: quaecunque ab Aristotele dicta essent, commentitia esse: Attonitos nouitate et insolentia magistros nostros cum auctoritatem Aristotelis sibi eripiam viderent, irrito conatu per diem integrum magistrandum (vti barbare vocant) oppugnauisse.* Qui recte quoque obseruat, Ramum ex hoc fortuito successu ansam deinceps ferio ac libere in Aristotelem animaduertendi et inquirendi arripuisse. Ex qua obseruatione patet, ingentes, quos iuuenilis ardor Ramo subdidit spiritus ad parandam sibi gloriae viam prima Aristotelis oppugnandi conamina in eo accendisse. Accinxit se autem potissimum ad examinandum euertendumque Organum Aristotelicum, cuius occasionem ipsi suppeditasse lectionem veterum scriptorum Graecorum atque Latinorum infra probabimus. Valde enim perhorrescebat vir amoeni atque elegantissimi ingenii barbariem sui temporis; cumque nocturna diurnaue manu exemplaria veterum versaret, et haud paruam sibi dicendi scribendique copiam comparauisset, adeo vt annos triginta natus melius Latine scriberet,

c) I. c. Vol. I. p. 305, qui consulendus;

d) In Eleg.

e) Praef. Oper. mathem.

a) Act. prima pro regia profess. mathem. p. 552.

b) I. c. p. 306.

c) Conf. VOSSIVS de Scient. math. p. 355.

d) p. 9. 10.

beret, quam senio proximus ^e, ratus addisci eloquentiam dicendique artem sine dialectica non posse, parum autem huic vsui aptam esse logicam Aristotelicam, ad emendandam differendi et cogitandi artem, quam more veterum dialecticam appellabat, vim animi omnem conuertit, vt haberent, qui bonis literis operam nauant instrumentum, quo ad interpretationem et imitationem veterum auctorum ex quouis genere optimorum possent peruenire ^f, vt ex dicendis constabit. Ita vero hunc scopum se attingere posse sperabat, si ostenderet primo, ineptam esse ad veritatem inquirendam edifferendamque logicam Peripateticam, et inutilia plurima, haud pauca falsa, quaedam vera quidem at manca, et ad vsus minime traducta continere, adeoque reformatione opus esse: sicque remotis obstaculis nouam deinde dialecticam introduceret, quae dicendi cogitandique atque differendi artem omnem secundum veterum mentem luculentis regulis explicaret. Vtrique scopo obtinendo cum se parauisset, prodiere eius cura ^g, licet nondum trigefimum aetatis annum attigisset, *Institutiones dialecticae*, et *Animaduersiones Aristotelicae*, quorum librorum hic logicam elencticam, ille theticam comprehendit, multoties recusus vterque ^h. Et in hoc quidem acerrimam censuram in logicam Aristotelicam exercuit, quidque in ea desiderandum sit, magna libertate exposuit, in illo nouam dialecticae artem instruxit. Non enim contentus ostendisse, qua ratione virtutem differendi, ad quam omnem dialecticae artem reuocabat, natura, doctrina, exercitatione assequi liceat, et de veritate quoque, de qua disceptandum, praecipisse, de contrariis quoque dialecticorum opinionibus sibi dicendum esse statuit, demonstrareque aggressus est, *Dialecticam ab Aristotele et Aristoteleis non legitime institui, cum quod multa dialecticae artis non necessaria praecepta libris Aristotelis logicis conturbentur, tum quod multa necessaria praetermittantur*, vt infra paulo plenius exponemus. Fecit id Ramus et animo magno, et dicendi copia supra modum elegantique valente, et libertate, quam aetas illa ferre possit, maiori. Et institutiones quidem dialecticae, quamuis *θετικῆς* scriptae essent, satis Peripateticos iam commouerant, cum in omnia alia Ramus abiret, et viam a Stagirita patefactam non sine contemptu quodam desereret. Ast longe vehementius eorum animos vulnerabant *Animaduersiones Aristotelicae*, quas calamo non modo

e) Scaligerana prima p. 127.

f) Conf. Praef. Institut. dialect.

g) Paris 1543. 8.

h) Paris 1548. qua editione perquam nitida nos

vimur, conf. REIMMANN, Hist. lit. Germ. Vol. III. p. 193. MORHOF. Polyhist. T. II. p. 66. STRUVIUS Bibl. phil. c. II. §. 14. STOLIVS Hist. liter. P. II. c. 2. §. 20. seq. p. 436. seqq.

modo liberrimo, sed interdum quoque ex indignatione paulo intemperantiore scripserat, et in quibus iuuenilis ardor se subinde prodiderat. Nihil enim in omni fere Aristotelis Organo est, quod non reprehendat, et in quo Aristotelicos cum magistro non pueriliter lapsos esse censeat. Cuius ut exemplum lector habeat, en in *Peroratione vniuersae animaduersionis*, totam Aristotelis orationem difficilem rebus, obscuram verbis, toto genere compositionis insulsam atque odiosam vocat, *Commenta Aristotelis labyrintho comparat et Minotauro ait simillima, ob anfractus et Maeandros, quibus inuoluitur, maxime autem commentorum, nugarum, somniorum, ineptiarum, mendaciorum, sophismatum, deliramentorum infinitis labyrinthis coagmentatum chaos se monstrare ac patefacere gloriatur, et se non dialecticae artis confusionem in Aristotele duntaxat reprehendere, non tantum salebras arguere, non solum notes atras accusare, quae in chaos fuerant, ait, sed, quod Aristotelicum logicae confusionis chaos maius est; cum chaos quidem naturali principia rerum licet nondum distincta, inessent integra, in Aristotelico chaos vero et permulta e necessariis principiis desint, et multo plura e nugatoriis et sophisticis redundant, multa quae tribus versiculis commodissime poterant concludi, centenis vanarum argutiarum spinis et mendaciis usquequaque dissipentur.* Ex quibus facile harridabitur lector, non potuisse non Peripateticorum animos, professorumque philosophiae, qui in Organo Aristotelis consenuerant, et quorum phrontisteria hisce mysteriis per totum annum personabant, altissime fauciari instigarique, ut ferocem professorem iuuenem, venerandis Stagiritae canis male dicentem, et leges academiae magno contemptu et fastu conculcantem reprimerent, et honorem professionis suae assertum irent, cogereque aduersarium impune in famam Peripateticae sapientiae grassantem, pedem referre. Et hinc illae lachrymae, quas iam porro delineabimus, cum vehementer crabrones Ramus irritauisset, minori suae tranquillitatis periculo, et maiori veritatis emolumento in detegendis Aristotelicae logicae naevis vitis que versaturus, si nimiam animi vim cohibere, si parcius ista viris obicere, si sine pompa sine inuidia sapere, maluisset. Ast cum alia omnia Ramo placuissent, et is tempori inferuire prudenter negligeret, maxima inde tempestas ei coorta est, quae tantum non omnem eius fortunam euertit, et inuidiam, malevolentiam, contumelias, terrores, minas ⁱ, et tela acutissima Aristotelicorum ei concitauit, ut ex sequenti narratione patefcat.

§. V.

i) Praef. Animad. Aristot. edit. 1548.

§. V. Vix comparuerant libri dialectici Rami, cum ex his fauillis magnum sibi incendium metuentes professores Peripatetici, ad id extinguendum omnem academiam conuocarent. Prodiit autem delectus ad inuendam cum Ramo pugnam Antonius Goueanus ^k, quem et artis dialecticae peritia et eloquentiae laude cum Ramo paribus viribus pugnam inire posse censebant. Et primo quidem libellis aliquot contra Ramum pugnatum est, plerisque academiae magistris Goueani partes sequentibus, a quibus multis altercationibus priuatis studiis potius, quam publico bono incensis res acta est. Quod cum euentum, quem exoptabant, non haberet, ad vim confugerunt Rami aduersarii, et quod AVDOMARVS TALAEVS ^l narrat, „Ramum repente non ad humanam aliquam et literis vsitatam disputationem ab Academia vocari curarunt, sed ad praetorii tribunalis capitalem contentionem per certos homines academiae nomine rapuerunt, nouique et ante hunc diem inauditi criminis accusarunt, quod Aristoteli repugnando theologiam et artes eneruaret. Hinc Aristoteleorum clamoribus agitatus ad summum Parisiensis curiae consilium traductus est: deinde cum legitimo iudicii more res agi, atque apertius iniquissimae fraudis inuidia percipi videretur, nouis artibus a senatu Parisiensi ad regiam cognitionem disiectus est: qua constitutis quinque iudicibus, binis ex vtraque parte, quinto regia denominatione designato caussam de singulis animaduersionum capitibus dicere iussus est. Haec Talaeus, cuius narrationi eo magis fidem dandam esse recte monet P. BAYLE, quia haec scripsit Talaeus in dedicatione ad Cardinalem Lotharingiae, cuius patrocinio furori et persecutioni Aristoteleorum Ramus postea ereptus est. Prolixius rem explicat, et circumstantias quasdam addit, vitae Petri Castellani scriptor PETRVS GALLANDIVS ^m his verbis: „Cum in hac schola ante annos octo sophista famosus Musis iratis natus, gloriae popularis siti inexplebili praeceps, Aristotele, Cicerone, et Quintiliano petulanter et ignoranter vexatis nullum finem in quemuis auctorem classicum debacchandi facturus videretur, priusquam praesentem literarum statum labefactasset, atque ad suam fibidinem peruertisset, permulti doctrina ac virtute conspicui homines audaciam tam prodigio-

Motus Parisienses ob oppugnatam a Ramo logicam Aristotelicam.

„fam

k) Erat Goueanus natione Lusitanus, puer autem ad patrualem Andream Goueanum in Galliam traductus est, vbi in humaniori literatura institutus ita profecit, vt dicendi Latine fingendique facultatem supra modum assequeretur. Sed et logicam Aristotelicam ita perdicebat, vt iuuenis quidem, cum Ramo congressi, eique Responsum ad P. Rami calumnias pro Aristotele opponere, mox disputationem coram inire auerteret. Ab Aemilio Perreto ad iurisprudentiam amplectendam duclus ita hanc scientiam tenuit, vt eam magno plausu apud Tolosanos, Cadurcos, Valentianos et Gratianopolitanos docere posset, habereturque a Iacobo Cuiacio interpres iuris, inter optimos numerandus, Bellis ciuilibus ex Gallia abire coactus ad Philibertum

Sabaudiae ducem concessit, eique a consiliis secretioribus fuit, obiitque Taurini ex nimio pomelonum vsu, vid. THUAN. ad A. 1565. TREISSIER. ad h. l. T. II. p. 420. GRAVINA Histor. iuris ciu. c. 172. p. 254. seqq. Exrollunt peritiam eius dialecticam Scaligerana p. 174. impietatis eum Caluinum accusasse ait TREISSIER. p. 224. conf. BOUCLER. Scr. hist. sec. XVI. p. 622. alique.

l) In Dedic. academiae ad Carolum Guisae ducem Cardin. Lotharingum, ad quam narrationem prouocat RAMVS in Dedic. edit. recent. Animaduers. Eam repetit LAVNOVS de Fort. Arist. c. XIV. p. 253. seqq.

m) In Vita P. Castellani n. 45. p. 75. seqq.

„sam indignissime tulerunt. Cumque de eo apud regem ita conquesti ef-
 „sent, vt ille pro sua perpetua in literas et literarum professores beneuo-
 „lencia hunc indignabundus ad remum damnatum triremibus addicere sta-
 „tueret, regis animum faceti leporis suauitate emollitum ad sententiam
 „mitiorem Castellanus traduxit. Sophistam nugantem et inepte philoso-
 „phantem ab humanissimo rege nullo capitali supplicio puniendum esse;
 „verum cum doctis hominibus coram grauibus disceptatoribus in disputa-
 „tionis certamen commissum, argumentis conuincendum, et ratione ali-
 „qua leuiore ad sanitatem reducendum. Quorum sententia cum illum rex
 „inscitiae, impudentiae et temeritatis damnatum silentique poena multa-
 „tum vidisset, facile acquieuit, neque acerbius quicquam in eum statuit.
 Quam narrationem mendacii coarguit P. BAYLE, cum et Talaei verbis
 repugnet, et ab inimico Rami grauiissimo profecta sit. Nobis autem non
 ex toto conficta videtur, quamuis facile concedamus, regem optimum et
 literatissimum, et quod ex hac ipsa vita Castellani constat, ob aristocra-
 tiam commendatam Aristoteli non valde fauentem sententiam hanc im-
 probam et duram ob disputationes logicas non tulisse. Nam ipse Talaeus
 addit: *Haec omnia regis, licet omnium regum et humanissimi et litera-
 rum amantiissimi tamen per falsas et improbissime confictas calumnias
 inducti auctoritate confirmantur.* Vnde quae Gallandius refert, de con-
 siliis inimicorum Rami intelligenda esse putamus, qui percupiuisent eum
 ad remos magis quam in cathedra sedentem videre. Quae cum regi ef-
 sent patefacta, oblitisse Castellanum inhumanis cogitationibus, et velitatio-
 nem literariam instituendam regi suasisse. Id quod ipse regiae literae,
 „MDXLIII, VI. id. Mart. scriptae confirmant, quibus innuitur, regem
 „delatis ad aures suas turbis, quibus commoueretur Academia Parisiensis,
 „ob libros P. Rami, institutam eapropter litem in curia regni ad se reuo-
 „casse, ideoque decreuisse, vt qui oppugnaturum se libros Rami obtulisset,
 „Antonius Goueanus, et qui accusaretur, Petrus Ramus, duos singuli vi-
 „ros doctos et insignes eligerent, qui et Graecae atque Latinae linguae, et
 „philosophiae satis essent periti, quibus ipse rex quintum adderet. Ele-
 „gisse autem Goueanum Petrum Danesium, et Franciscum Vicomercat-
 „tum, Ramum autem Iacobum Quintinum, et Ioannem Bellemontanum,
 „ipsum regem addidisse arbitrum Ioannem Salignacum.“ Ex his enim regi-
 „arum literarum verbis constat, regem audire magis vtramque partem,
 „quam inauditum condemnare Ramum maluisse. Recepit mandatum regis
 „debito Ramus obsequio et disputationis pelago se commisit, quamuis de
 „quinque iudicibus tres infensissimos ipse haberet. Addit Talaeus: „Scri-
 „bam vnum aduisse, qui rationes Rami, et iudicum sententias exciperet,
 „defensionis suae testem Ramum impetrare neminem potuisse. Biduo
 „magna contentione de dialecticae artis definitione et partitione, quae in
 „logici organici libris nullae essent, concertatum est. Tres Aristoteleos
 „iudices primo die contra omnes bene descriptas artis leges iudicasse, ad
 „dia-

„dialecticae artis perfectionem definitione nil opus esse. Ioannem Quin-
 „tinum Heduum, Ioannem Bomontium Parisiensem, qui duo iudices
 „fuerint a Ramo delecti, pro singulari sua eruditione et doctrina censuisse,
 „omnem disputationem, qua via et ratione procederet, definitione pro-
 „ficisci debere, idque per scriptum obfignauisse. Postridie tres iudices
 „Aristoteleos vehementer conturbatos de partitione fuisse assensos, diale-
 „cticae legitimas esse partes inuentionem et iudicium, atque hac de re
 „sententias suas perscripserunt. Verum cum Ramus vrgeret Aristoteleos,
 „igitur a se merito reprehendi, quod propria partitione praetermissa totam
 „dialecticam mille tenebris obruerent, tribus iudicibus ampliari causam
 „placuisse, et in alium diem reuocari, quia ista via Aristotelei superiores esse
 „non possent. Et hunc audiendi Rami finem fuisse, deinceps enim Ari-
 „stoteleos iudices aestuare, rixari inter se et iurgare quod se per impruden-
 „tiam demersissent, vnde incolumes emergere non possent. Itaque ne
 „non damnaretur Ramus, nouum consilium iniisse, vt ab initio tota dispu-
 „tatio retexatur, et adhuc iniudicata induceretur, proque nihilo habere-
 „tur. Id vero Ramum se facturum pernegauisse, coepisseque liberius con-
 „queri, his se iudicibus esse traditum, quibus satis non esset eius senten-
 „tiam tam coeca cupiditate oppugnare, nisi ipsi quoque suam, dictam
 „praefertim et obfignatam, nullo inconstantiae pudore rescinderent.
 „Quare tum Ramum a tribus illis accusatoriis iudicibus, cum eos neque
 „sua conuestione, neque reliquorum iudicum admonitione de tanta vio-
 „lencia deduceret, appellauisse. Postremum igitur illud fuisse, vt tribus
 „Aristoteleis iudicibus infinita potestate, sine auxilio, sine prouocatione
 „iudicium de Aristoteleis animaduersionibus permitteretur. Huic tantae
 „potestati, maiori etiam cupiditati Quintinum et Bomontium concessisse,
 „perscripta tamen ante de vniuersa disputatione sententia, testatos, sibi
 „placere, vt in philosophia, sicut antea semper fuisset, liberum esset, in
 „omnem partem disputare, ex eo autem confesso se discedere, quia se
 „non socios consiliis, sed iniuriae, quae Ramo fieret testes intelligerent.
 „Idemque Ramum ipsum non sine stomacho, cum a tribus illis contume-
 „liose illuderetur, fecisse, et se tempora sperare, dixisse, quibus tales
 „iudices de suo facto nequaquam parem voluptatem essent percepturi: Ita
 „vi victam, vel certe hominum quorumcunque opinione ad tempus op-
 „pressam causam esse condemnatis triumuirali sententia animaduersioni-
 „bus et institutionibus dialecticis.“

Nihil est in hac tota narratione, quod non verisimilitudinis legibus
 faciat satis; nam et testis conditio talis est, vt rem omnem scire potuerit,
 et mentiri voluisse, in re in vulgus nota, et in dedicatione ad Carolum
 Lotharingum Cardinalem, remotis iam inuidiae obstaculis, minime est
 probabile, vnde fidem quoque ei dederunt LAVNOIVS et BAYLIVS “.

A a a a 2

blica.

*) Locis citatis.

blica. In illo traditur: „In congressu disputantium ad infringendam
 „causam Ramum a censoribus appellauisse, quod cum ad regem esset de-
 „latum, praetori urbis Parisiensis eum in mandatis dedisse, ut Ramum at-
 „que Goueanum ad perficiendam disputationis telam cogeret. Resumpta illa
 „apparuisse, quod librorum suorum defensionem absolueret Ramus nequi-
 „ret, adeoque abrupta disputatione submisit se censorum iudicio, qui
 „cum absolueret causam constituerent, Bellemontanum et Quintinum
 „negotio toti se subtraxit. Data autem Ramo potestate alios ex sua par-
 „te eligendi, sententiam tamen trium reliquorum se suscepturum fuisse
 „professum; hosque consideratis omnibus, decreuisset, esse Ramum te-
 „merarium, arrogantem, et impudentem, quod artem logicam conde-
 „mnauerit, quae recepta ab omnibus gentibus ab illo ignoraretur, id
 „quod in animaduersionibus Aristotelicis satis prodiderit, scopum animi
 „malum simul declarando, culpatis iis, quae bona et vera sunt, imputa-
 „tis quibusdam Aristoteli, de quibus nunquam cogitasset, cumulatissime
 „mendacis et calumniis.“ Quae si vera sunt, et pessima causa fuit Ra-
 „mi, et inepte atque imprudenter eam egit. At fuisse relationes hostium
 „Rami, quas ad aulam detulerunt, et ex quibus regis mandatum est con-
 „flatum, falsas et commentitias, ex circumstantiis narratis abunde liquet.
 „Quis enim credit, Ramum potestate facta arbitros non suspectos, cum a
 „prioribus defereretur, eligendi maluisse aduersarios, quos in interitum
 „suum coniurauisse nouerat, se submittere, et sententiam eligere, quam
 „internecinam sibi fore praeuidebat? Tacemus alia, verisimilitudinis leges
 „migrantia, quibus luculento exemplo constat, fidem historicam et iuridicam
 „magno saepe interuallo inter se distare. Interim verissimum est, oppres-
 „sum aduersariorum potentia Ramum cedere fuisse coactum, et grauem
 „fuisse expertum iudicem, quem ante actionem contra eum susceptam iam
 „in illum indignatione armatum fuisse, fatentem supra Gallandium audiui-
 „mus. Mirum itaque non est, non consultis iustitiae consiliis durissimam
 „contra Ramum sententiam mandatum regis pronunciaisse, et utrumque
 „librum penitus suppressisse atque proscrispisse, poena non confiscationis mo-
 „do, sed corporis quoque irrogata, si quis vulgare prohibitos libros auderet.
 „Ipsi vero Ramo seuerè interdictum, ne vel in lectionibus suis laudatos libros
 „praelegeret, vel dialecticas atque philosophicas scholas habere ullo modo,
 „rege non permittente, auderet. Intelligi autem nullo negotio potest,
 „quanto gaudio Rami aduersarios haec victoria affecerit; id quod graphice
 „delineat TALAEVS, porro narrans: „Auctori animaduersionum et in-
 „stitutionum toto philosophiae regno (non vero Galliae, ut inepte ver-
 „ba Talaei interpretatus est MORERIVS °) velut aqua et igni, graui et-
 „iam poena addita, interdicitur, ne vnquam vel scribendo, vel docendo,
 „in ullam philosophiae partem ingrederetur. Hoc vero non est dialecti-
 „cum refellere, sed dialecticum de suggestu deturbare: atque haec omnia
 „regis,

o) In Dict. hist. v. Ramus, quem ideo castigauit BAYLE l. c. not. N.

regis, licet omnium regum et humanissimi et literarum amantissimi tamen per falsas et improbiſſime confictas calumnias inducti, auctoritate confirmantur. Conſtricta itaque lingua, vincis manibus cum ſic afflictus Ramus teneretur, vt Ariſtoteleia vel impune diſcernere liceret, Ramo contra ne mutire quidem liceret, triumphus de tam nobili victoria mirificus agitur, triſtis illa et horrenda triumuirum ſententia impreſſis et Latina et Gallica oratione libellis, non modo per huius vrbs compita, ſed per orbis terrarum loca omnia, quo expectari potuit, promulgatur. Ludi magno apparatu celebrantur, vbi ſpectantibus et plaudentibus Ariſtoteleis, omni ludibrii et conuitii genere Ramus afficitur. Quid reliqua his indigniora commemorem, quae tamen veriffima ſunt, et memoria recenti tenentur, tamen ita ſunt ab honeſtis ſtudiis aliena, vt verear, ne iis etiam, qui interfuert et viderint, res tamen incredibilis non facta ſed ficta eſſe videatur. Haec Ariſtotelici iudicii breuis et ſummaria hiſtoria eſt. Plurima enim praetereo, quae ſine certorum hominum infamia commemorari non poſſunt. Et hinc magni animi aduerſariis Rami ſucceſſere, inter quos tum eminebant Ioachim Perionius ^p, Iacobus Carpentarius ^q et Petrus Gallandius ^r. Quorum acerbitate factum, vt non contenti haereſeos philoſophicae eum inſimulauiffent, eum quoque perditiffimi ſcepticiffimi accuſarent, eo quod literarum humanarum diuinarumque hoſtis atque inimicus de humanis diuinisque legibus addubitet, deque iis dubitare diſcipulos ſuos doceret, qui lubricos D. Auguſtini locos ſuis auditoribus ad effrenatam et impiam libertatem proponeret, qui quo facilius incautis animis abuteretur, omnes logicas diſputationes tollerent ^s.

Aa aa 3

§. VI.

p) Ioachimi Perionii (cum Franciſco non confundendi) vitam et ſcripta enarrant TEISSIER, Elog. T. I. p. 382. SAMMARTHAN, Elog. L. I. p. 39. IOVIVS, GADDIVS, LA CROIX, DV MAINE aliique ſcriptores hiſtoriae literariae libris notiſſimis Eſſais de literature Nou. 1702. art. 8. Erat adſcriptus S. Benediſti familiae denatus 1559. Ciceronis imitatore non infelicem, Ariſtotelis autem admiratorem ſuperſtitioſum facile in eo agnoſcas. Et huius quoque ſcripta nonnulla caſtiore, quam Argyropulus fecerat, diſtione exprimere conatus eſt, aſt cum Latina melius quam Graeca intelligeret et, diſtione elegantiam magis, quam proprietatem ſectaretur, officio interpretis non feciſſe ſatis recte eſt iudicatus. conf. Scalig. Sec. I. 306. Ramum orationibus inſectatus eſt, et vehementer in eum inſurrexit. Conf. REIMMANN. Calendar. hiſt. crit. logicae p. 54.

q) Iacobus Carpentarius Claromontanus, philoſophiam Pariſis docuit; doctrinae Peripateticae et Platonicae haud ignarus, vtramque autem foede corripit, ſuppoſita Ariſtotelis theologia Aegyptiorum myſtica. Eam enim cum barbare verſam eſſe a Petro Nicolao Caſtellano videret, meliorem daturus ex Arabico ſe vertiſſe mentus eſt, qui ne literulam quidem Arabicam noſ-

ſet et linguarum ſatis eſſet imperitus, indignante Caſaubono, Caſaubonian. p. 18. Prodiit illa verſio cum ſcholiis Carpentarii Paris 1571. 4. et acceſſit quoque editioni operum Ariſtotelis Lugdunenſi. conf. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 163. Sed et Alcinoi introductionem in Platonem emendatam ei deberi Tom. II. p. 165. obſeruauimus. Inſenſiffimum vero Carpentarium expertus eſt Ramus, cuius inſidiis, quod inuidia diceretur, tandem extinctum fuiſſe Ramum infra dicemus. conf. TEISSIER. Lc. p. 408. Cenſuram eius reprehendit, et Dialecticam Rami defendit ARNALDVVS OSSATVS in expoſitione in diſputationem Iac. Carpentarii, vid. AMELOT DE LA HOVSſAYE in vita Oſſati TEISSIER. L. I. T. IV. p. 476.

r) Edidit Petrum Gallandium Aria Arteſiae, praefectum habuit Pariſis Collegium Boniurienſe, et canonicum eccleſiae cathedralis. Obiit 1559. clarus peritia diſciplinatum quae ab humanitate nomen ſortiuntur. Comparuit is quoque in controuerſis Ramaeis, edita oratione pro Ariſtotele et ſchola Pariſienſi contra Ramum. Multo ſale Satyrico perfruiſit RABELAESIVS in Prol. L. IV. Gargantuae p. m. 210. contentione vtriusque Petri ob has contentiones.

s) FREIGIVS p. 20.

Mutata fortuna Rami.

§. VI. Tulit patienter Ramus quae mutare non poterat, et tempus expectauit, quod emollire inuidiam plerumque solere, et rebus catastrophis imponere sciebat. Neque fefellit spes philosophum; ferentius enim coelum reduxit annus sequens MDXLIV, quo atrox pestis Lutetiorum urbem vastabat, et iuuenes literarum studiis dicatos dissipabat, id quod academiae Parisiensi non potuit non funestum accidere. Qui ut deseruescentem mali furore ad pristinas scholas reuocarentur, inuitarenturque ad sequenda, quae deseruerant studia, Ramum non obstante regio interdicto pristino, eloquentiae tradendae muneri restituere placuit. Rediit ergo, frementibus aduersariis Ramus, et pristinam collegii Praelei cathedram occupauit. Quod cum Sorbonae doctores ferre non posse clamarent, ad nouas concertationes deuentum est. Ast sensit inimica gens, mutato tempore totam quoque scenam esse immutatam: re enim ad curiam regni delata, Ramus in eo munere confirmatus est. Quae tamen uenia ad solam eloquentiam docendam uidetur pertinuisse, anno enim MDXLVII demum, Francisco I. rebus mortalium subducto, cum successisset Henricus II, apud quem Carolus Lotharingum Cardinalem Guisianum fuisse potentissimum, nemo rerum Gallicarum peritus ignorat, rescissa sunt, quae Franciscus I. contra Ramum statuerat. „Id quod magnis laudibus extollit Ramus“, et se atque libros suos ipsasque disciplinas illi debere vitam, libertatem, dignitatem, et omnem futuri temporis expectationem gratus fatetur, maximeque praedicat, quod honestae professionis, in qua multos annos versatus esset, ereptam libertatem et praeteriti temporis fructum et solatium sibi restituerit, et interclusam simul viam aperuerit, qua persequendis institutae vitae rationibus talentum exercere tractando, communicare docendo, amplificare quaerendo, Deo denique ipso ac proximo meditata vitae studia atque officia libere praestare valeat.“ Vt vero affantis fortunae aura frueretur, *Institutiones* primo *dialecticas*, tum *animaduersiones Aristotelicas* recudi fecit, easque ita perfecit, ut integro habitu comparerent. Vtrumque librum cardinali inscripsit, et velut nauta tempestati ereptus tabulam suspendit. Moderate autem ista rerum suarum conuersione Ramus usus est; nam non solum quo posset modo, nouitatis inuidiam deprecatus est, „sed declarauit quoque, iniuriarum obliuionem iurare omnesque aemulos ad ingenium atque industriae contentionem ea lege prouocare se velle, ut si se, quod facillimum fit, honestis studiis et vigiliis vicerint, Deo O. M. gratias habeat, quod vel aduersarios sibi deesse noluerit, quos honeste imitari possit.“ Ita vero hac moderatione se commendauit Ramus, ut cum cardinalis patrocini extolleretur, anno MDLI professoris regii eloquentiae atque philosophiae axiomate augetur, senatu regni hanc docendae eum eloquentiae philosophiae prouinciam auctoritate sua corroborante:

c) BANOSIVS l. c. p. 7. 8.

v) In Dedic. Animadu. cui iungenda dedicatio Instit. Dialect.

x) Prodiere elegantiori charactere, Paris 1548.

rante: quo pacto omnia vno ictu tela aduersariorum elisa et persecutiones contra Ramum finem naetae sunt. Ita vero ab insidiis inimicorum tutus emendare philosophiam, propagare nouam dialecticam, reformare scientias, quas sibi demandatas acceperat, perrexit. Cumque mathematicae quoque docendae spartam accepisset, noua nonnulla in ea molitus est, et Euclidem reprehendere non pertimuit. Maxime autem barbaram, quae ex vernaculae vitio irreperat, linguae Latinae pronuntiationem cum reliquis professoribus eicere ex academia tentauit, haecenus enim (quae, ut K voce expresserant). Id quod adeo Sorbonae displicuit, ut manibus pedibusque obniterentur, de cuius rei ridiculis circumstantiis digna est, quae legatur FREIGII² narratio, ut constet, quanta barbaries eo tempore, quo plenus iam dies humanioribus literis illuxerat, in schola Parisiensi regnauerit, et quae bella, quae odia Ramo honestiorem Musarum faciem cupienti obiecta sint. Produunt etiam sequentia Rami fata inuidiam, quam ad tempus superum fauore vicerat, quiescere a persecutione non potuisse, et iam tum periculum illud sub cinere delituisse, quod, cum tandem in flammam erupisset, mortem Ramo miserabilem adduxit. „Teste enim FREIGIO,⁴ paucis mensibus per geometriae mysteria „peruasisset, nisi cursus industriae per fatalem quandam calamitatem fuisset „abruptus. Acceptis igitur a rege literis ad regiam Fontisbellaquei bibliothecam profectus mathematicas superiorum temporum praelectiones ab „initio plenius et vberius retractauit, et considerauit. Et paulo post: In „Germaniam nostram ipsis illis mathematicum amoribus charissimam saepe „respexit, sed viis omnibus terror mortis intentus ac pavor: rumor etiam „Praeli sui indignis modis direpti tum bibliothecae, carissimis quibusque „rebus spoliatae ac depopulatae ad regiam Vincennarum propius urbem „reuocarunt. Quin alia vis etiam grauior accidit, ut e Vincennis per „inuia itinera profugiendum esset, et subinde variis in locis delitescendum. „In fuga tamen et latebris otium lucemque reperit.“ Non addit Freigius causas huius persecutionis, eleganter autem et verisimiliter conicit Baylius, Ramum, qui se reformatorem, quos Hugenotos dicere barbaro vocabulo moris apud Gallos est, partibus fauentissimum ostendebat⁶ in ciuili, quod anno MDCLXII exardere coepit bello, ob eam causam ista passum fuisse, coactum cedere furori eorum, qui ob edictum, quod a Ianuario mense accepit, contra Reformatos crudelia consilia fouebant,

y) Vid. VOSSIVS de Scient. Math. p. 69. qui culpam, quod alii laudant. conf. TRISSIER. l. c. p. 404. contra hos Rami reprehensiones Euclideas edidit IOANNES PROSCHIVS Apologiam pro Aristotele et Euclide, conf. STRVVIVS Bibl. Philos. c. II. §. 17.

z) FREIGIVS l. c. p. 24. BAYLE l. c. not. G.

a) p. 26.

b) Huius rei testimonium habet BANOSIVS l.

c. p. 19. 20. his verbis: „Huius zelo inflammatus, publica concione Parisiensis scholae monachos grauius admonuit, ut puriorem theologiam ex Euangelio, relictis sophistarum lacunis, addiscerent. Idola gymnasii Praelei amoueri et recondi iussit, ne conspicerentur. Missae autem raro intererat.“ Sed et reliqua legenda sunt, quae satis probant, multa eum fuisse detestatum, quae sacrosancta illa aetas habebat. Conf. quae habet TRISSIERIVS l. c. p. 403.

bant, et bella intestina ciebant. Accidisse enim istam Rami fugam illo anno, notauit BANOSIVS,^c LANGVETVS * autem retulit, cum rector Vniuersitatis, isti edicto, quod regis tutelam reformatis promittebat, se opponeret, et libellum ideo supplicem reginae Catharinae academiae nomine offerret, Ramum intercessisse, et edictum vulgandum petiisse. Rediere tamen halcyonia, pace inter Carolum IX. et partes Reformatorum inita anno MDLXIII, tunc enim spartam recuperans Ramus, pristino munere fungi quiete potuit, accepto regio stipendio et libertate Reformatae religionis exercitiis libere fruendi. Et tunc quidem ad augendas perficiendasque artes mathematicas se totum conuertit, hisque studiis se ad annum MDLXVII deuotit, quo bellum ciuile secundum exortum est. Tunc enim cum infidiis eorum, qui Reformatos premebant, aliter se eripere non posset, Condaem ducem secutus relictis Parisiis Hugenotarum, quos vocant partibus publice nomen dedit. Otia tamen, quae paulo post subnascebantur, reditum ei ad cathedram concesserunt, libertatemque conscientiae paulo ampliorem; ea vero cum breui tempore durarent, et tertium bellum ciuile oriretur, veniam a rege nactus peregrinationem literariam instituit. Vidit enim intutam ipsi et Reformatis omnibus sedem esse Lutetiam, et maxima ex ciuili bello, quod magnis animorum motibus subinde recrudescere, pericula ciuitati, et praecipue illis, qui a Romana ecclesia diffidebant imminere. Et hinc factum, vt de alia sibi sede dispicere et alium locum atque munus cogitare inciperet. Et in Italiam quidem Bononiam eum honorifice inuitasse scribit „FREIGIUS^d, BANOSIVS^e autem, nullam, ait, esse Christiani orbis nationem, quae Rami sapientiam non amauerit, et praemio laudando redimere studuerit. Amisso enim Romulo Amusaeo (is Romam ad docendum pontificis maximi nepotem Bononia erat traductus^f), „qui „mille ducatorum stipendiis in celeberrima Bononiensi academia docuerat, „Angelum Papium totius academiae consensu illum in eius locum euocauisse: ab Andrea Dudithio imperatoris legato Cracouiam esse inuitatum; „Ioannem regem Pannoniae Albae Iuliae administrandae magna proposita „mercede praeficere voluisse, et chirographo regis obsignauisse.“ Nihil tamen horum accepit Ramus, cuius causa esse videtur, quod inter Protestantes tantum sedem munusque quaereret. Tale enim apud Geneuenses ambiisse, et parario Beza vti voluisse, repulsam autem tulisse, *eo quod constitutum esset Geneuensibus, et in ipsis tradendis logicis et in caeteris explicandis disciplinis ab Aristotelis sententia ne tantillum quidem deflectere*, ex BEZAE Epistolis^g constat. Verisimile itaque est, eum hoc potissimum scopo Germanicarum scholarum inuifendarum consilium cepisse,

c) l. c. p. 28.

*) l. II. ep. 68. p. 201.

hoc loco allegantem obseruauit P. BAYLE l. c. not. N.

d) l. c. p. 36. 41.

e) l. c. p. 9.

g) Ep. 36. p. 202. conf. Ep. 34. p. 197. Conf.

f) Recte id contra Banosium, obitum Amusaei

BAYLE l. c. not. N.

se, vt de certa et secura sibi inter Protestantes fede dispiceret. Inuit iter hoc anno MDLXVIII, dum omnia in Gallia bello intestino feruebant, delatusque ad potiores Germaniae scholas, ob eruditionis praestantiam atque famam multis vbique locorum honoribus cumulatus est, domi autem testamento de facultatibus suis ita disposuerat, vt D. librarum summam professioni mathematicae erigendae, quam Friderico Reusnero destinauerat, adscriberet ^b. Tiguri ⁱ et Basileae magnis honoris testimoniis exceptus est, quam urbem et scholam oratione panegyrica laudauit ^k. Heidelbergam delatus multos ad se vidit confluentes viros doctissimos et iudicio praestantes, qui videre eum gestiebant, *quem velut Herculem diuinitus suae aetati donatum, totumque orbem artium a monstris inutilium et peregrinarum praeceptionum liberantem, et suas cuique arti regiones ac fines certos attribuentem, et rectissimam singulas docendi et discendi viam demonstrantem admirabantur.* Id quod ad eum tum scripsit CHYTRAËVS ^l, cum Heidelbergae agenti Nicolaum Goniaeum, eius videndi conueniendique causa illuc aduolantem, commendaret. Ipse elector Palatinus imagine sua eum donans testatum fecit, quanti eius doctrinam faceret. Ast quem extollebant viri docti studioforum impotens animus tantum non ex vrbe et schola eiecit, cum ferre non possent Aristotelem contemni, quem a praeceptoribus maximopere commendatum accepissent. Narratque ALTINGIUS ^m nonnullos iuuenum studioforum male illum tractasse, amotis scalis ex cathedra arcere conantes disputantium: ei vero discrimini feliciter Galli cuiusdam ereptum fuisse opera, qui humi procumbens dorsum ei substrauerit, per quod, ceu gradum aliquem eniteretur ⁿ. Et FREIGIUS, tum, ait, principali auctoritate ad profitemdum adductum aemulorum clamores inuiso animo pertulisse, tanta quidem constantia, vt aduersarios suae petulantiae pudere merito debuerit. Id quod inuidiae professorum nonnullorum adscribendum esse videtur, qua studiosi iuuenes in Ramum concitati sunt. Valde enim inuouationes eius Peripateticae doctrinae professores vrebant, vnde non viua modo voce, sed et scripto eristico Ramum in Germaniae academiis peregrinantem tum aggressus est Iacobus Schegkianus philosophus Tubingensis, vt in eius vita dictum. Ita vero perlustratis Germaniae academiis, in quibus innumeros sibi fautores amicosque comparauerat, tandem factis in patria induciis ad lares suos anno MDLXXI reuersus est, maximo suo malo. Cum enim feralis illa laniena S. Bartholomaei festo anno MDLXXII inaudita saeuitia iugulis Reformatorem immineret, religionis professio περίφασιν, inuidia Carpentarii causam veram mortis miserabilis suppeditauit, exitium-
que

h) Exhibet testamentum BANOSIUS p. 15. illud iam scriptum erat Cal. Aug. 1558.

i) Splendido ibi conuiuio exceptus fuit a Bullingero, cui aderant quoque Lauaterus, Gualterus, Simlerus. TRISSER. p. 401.

k) Titulum ei fecit, Basilea.

l) Epist. p. 547. seqq.

m) In Hist. eccles. Palat. p. 247.

n) Similem intemperantiam passus est a studioforum caterua in Schola Cameracensi oratione habita, anno 1552. FREIGIUS p. 34.

que illi adduxit. Nam quod, professor quidam Mathematicum, in academia Parisiensi, Carpentario cathedra munereque cessisset, Ramus autem, qui ignorantiam eius in his artibus probe norat, se illi consilio opposuisset, conuersa inimicitia in furorem, egregiam occasionem nata est, sanguine Rami vindictam explendi^o. Et tumultu quidem in vrbe eo die excitato, quem nulla non posteritas stupebit, cum peti capita Reformatorum Ramus intelligeret, et quos aduersarios haberet probe nosset, in cellam quandam se abdidit. Ast a sicariis, quos religionis obtentu immiserat Carpentarius, quaesitus atque deprehensus, postquam pecuniam ei multam extorserant, vulneribus quibusdam acceptis, ex fenestra praeceps datus est, effusaque lapsus grauitate intestina a discipulis Carpentarii furentibus per vicos tracta corpusque miserandi philosophi per plateas ab illis raptum et ignominiose habitum tandemque in Sequanam abiectum^p est. Bibliothecam quoque eius directam fuisse tradit NANCELIVS^q.

Virtutes ingenii et animi Rami.

§. VII. Et hanc quidem catastrophem tragoedia Rami nata est, quem meliorem fortem meruisse omnino est fatendum. Fruebatur enim ingenio eleganti et studiis apto, quod nascendi quidem educandique infelicitas retardauerat, cum autem accessisset discendi ardor, et studiorum contentio mira postea fertilitate, per optimos scriptorum veterum et recentiorum libros vagatum, effloruit. Et quamuis fingendi magis, quam iudicandi acumine polleret, lectione tamen exemplisque veterum ita formatus roboratusque est, vt vitia naeuosque eruditionis vulgaris probe perspiceret. Maxime vero artium mathematicarum et historiae philosophicae accuratior, quam possidebat, cognitio multum eius eruditioni profuit, et doctrinam eius mirifice auxit. Illis enim iudicium perfecit, ordinis et perspicuitatis studium auxit et ornauit, methodi leges roborauit; hac fontes errorum in vulgari philosophia detexit, multaque vidit, in quibus plerique eius aetatis coeuebant. Studuit autem dictionis nitore et sermonem ad veterum exempla reuocando, castigatam orationem praeceptis exemploque commendauit^r. Accessit his diligentia indefessa, et inexpugnabile pro amplificandis disciplinis studium, cui, cum caelebs vixisset, facultatum suarum partem haud contemnendam destinauit. His ingenii artibus accessere virtutes animi eximiae, quas vitae eius scriptores mirifice extollunt, multisque exemplis demonstrant^s. Et religionis quidem cultum puriorem ita studiose venabatur, vt ad primitiuae ecclesiae imaginem intiendo, cum in ea, in qua educatus erat ecclesia, plurima dissimilia videret, puriorem rationem non sine vitae fortunaeque periculo eligeret. Tantaque illi curae fuit ecclesiae ad nascentis eius fata restituenda similitudo,

^o) PASQUIER. Recherches L. IX. c. 20. apud TRÉSSIER. l. c. p. 405.

^p) THUANVS ad ann. 1572. citati.

^q) Pag. 20.

^r) Et hinc efficacissima illi eloquentia enata est, cuius memorabile exemplum ex BRANTO-

MI Memois Viror. illustr. T. II. p. 55. afferunt BAYLE et TRÉSSIER. ll. cc.

^s) Multa vitae Rami singularia attrigerunt Freigius et Nancelius, qui ab illis, qui ampliora cupiunt, quam locus hic capit, adeundi sunt.

tudo, vt eo ipso anno, quo inhumana eum aduersarii barbaries viuís eripuit, de emendanda inter Reformatos disciplina ecclesiastica cogitaret, quae tamen eius consilia in synodo ecclesiastica reiecta sunt ^t. Ipse cum Heidelbergae esset, sacris magna deuotione publicis interfuit. Tantopere autem ab omni habendi cupiditate abfuit, vt, cum opibus haud contemnendis afflueret, eo quod caelebs atque frugaliter uiueret, reditus non modo ad promouenda literarum incrementa, et docendas mathematicas artes destinaret, vt supra dictum, sed et iuuenes literis se tradentes, quos paupertatem impedire in disciplinarum cursu intelligebat, aere suo iuuaret, et stipendiis ditaret. Nec minor castitatis et sobrietatis in eo laus fuit, nam nec Veneris nec intemperantiae macula vel leuissima unquam se inquinauit ^u, et ita frugaliter vixit, vt ad senectutem vsque parcissime vino vteretur, et quietem in stramine modo strato caperet. Maxime autem laudandus in eo est animus in aduersis magnus et erectus, et persecutionis atque iniuriae adeo patiens, vt obseruante FREIGIO ^x „non modo aduersariorum nulli aliquid reponeret, sed etiam cum diuulgatis „per orbem terrarum Gallica et Latina lingua probris esset notatus, publicis ludis ignominiosissime traductus, constricta lingua vinculis manibus „prohibitus, quicquam de philosophia, vel priuatim dicere, scribere, „cogitare etiam (si menti tantum potuisset imperari) prohibitus esset: „aduersus tantas tot acerbitatum plagas vnicum patientiae remedium adhiberet, inque animo semper illud haberet: grata superueniet, quae „non sperabitur, hora.“ Nec aliter incedendum esse statuit, cum iniquitates fortunae patientia tandem vicisset. *Et sibi quidem misero regem Henricum, Herculem videlicet Gallicum, adfuisse, seque quarto abhinc anno ad postulationem Caroli Lotharingi cardinalis, et manibus et lingua soluisse, solutoque eloquentiae et philosophiae docendae, exercendae potestatem fecisse*, ipse gratus agnoscit ^y. Ast ita aduersariorum inuidia superior hoc tantum illos orauit ^z, „vt remouerent publicas potestates, desinerent minas iactare, pericula intentare, formidines obiectione, caeteraque eiusmodi, quibus prope ipsum obruerint, philosophiae „indignissima sophismata cogitare: exemplo vero patientiae suae tandem „aliquando moueantur: qui tanta aequitate animi tot indignitates pertulerit, quanta ipsi iniquitate machinati sint, quique hoc vnum ultionis genus perpetuo iurauerit, vt non modo nullas tot fraudum atque calumniarum poenas optet, sed ne earum quidem auctores scriptorum suorum „litera dignos existimet, eo quod patientia et constantia ad honeste viuendum, non stultorum et ignorantium poena et infamia sibi opus esse „duxerit.“ Quod pulcherrimum, quod a philosophia et religione Ramus

Bb bb 2

petie-

^t) Vid. BEZA Ep. 67. BAYLE loc. cit. not. M. conf. AYMON Synod. nation. des eglises reformées de France p. 122. seqq.

^u) BANOSIUS p. 43. ^x) p. 34.

^y) In oratione habita anno 1551. apud BAYLE l. c. not. L. ex quo loco patet, vsque ad annum 1547. tantum eum eloquentiam doquisse.

^z) In Dedic. Animadu. Arist.

petierat, praesidium omnino laude dignum et commendandum est omnibus, qui ignava opera philosophari non erubescunt. Talis cum esset, et viuis magna inter eruditos auctoritate vixit, vt supra dictum, et post indignissima fata vehementer laudatus a viris doctis est; quorum testimonia cum collegerint TEISSIERIVS ^a, BAYLIUS ^b, POPE-BLOVNTIVS ^c, STOLLIVS ^d et scriptores historiae literariae alii in vulgus noti, ea hoc loco cumulare, breuitatis studio omittimus. Legendi autem sunt libri viri doctissimi, et egregie in veterum voluminibus versati, vt intelligatur, inter ornamenta ciuitatis eruditae sui temporis eum esse merito referendum ^e.

Culpata in
Ramo.

§. VIII. Non tacendum tamen fuisse nonnulla, quae passim in Ramo reprehenderunt viri docti. Et Peripateticorum quidem culpationes non moramur, infenso enim in Ramum animo eos fuisse constat, eo quod auctoritatem idoli sui labefactare esset ausus. Ad quorum numerum BEZA ^f quoque referendus est, qui pseudo-dialecticum, hominemque ad turbanda optima quaeque comparatum appellat, et cognominatum fuisse iam pridem a doctis multis *ὁσον ἀγνος* scribit. Sed fuerunt quoque alii, etiam Aristoteli superstitiose non addicti, quibus *καυνοφιλία* et innouandi studium, cui pares tanto conatui vires non attulerit, vehementer displicuit. Inter quos primo loco ponendus est magnus VERVLAMIVS ^g, qui cum philosophiam maxime realem et ad recludenda naturae adyta comparatam cuperet, ferre non potuit, ad differendi artem, more sopheristarum, Ramum totam philosophiam reuocauisse. Inde acris illa, quam de Ramo tulit, censura enata est: *Ne vero cum hanc contra Aristotelem sententiam fero, me cum rebelle eius quodam neoterico, Petro Ramo conspirasse augurere. Nullum mihi commercium cum hoc ignorantiae latibulo, perniciosissima literarum tinea, compendiorum patre, qui cum methodi suae et compendii vinculis res torqueat et premat, res quidem, si qua fuit, elabitur protinus et exilit, ipse vero aridas et deserrissimas nugas stringit. Atque Aquinas quidem cum Scotto et sociis etiam in non rebus rerum varietatem effinxit, hic vero etiam in rebus non rerum solitudinem aequauit. Atque hoc hominis cum sit, humanos tamen vsus in ore habet impudens, vt mihi etiam pro sopheristis praeuaricari videatur. Nec multo clementius illud quod velut *ὡς γιν ὁ γμα* iuuentuti tradendum inculcauit LIPSIVS ^h, nunquam illum magnum fore, cui Ramus est magnus. Tacemus aliorum, his duumuiris inferiorum reprehensiones, collectas a POPE-BLOVNTIO ⁱ. Maxime vero displicuit viris doctis, quod sola differendi arte, eaque intra certos methodi nouae cancellos redacta et carcere conclusa contentus a reliquis philo-*

a) Loc. cit.

b) l. c. Audit ei l'homme universel.

c) Cens. celebr. auct. p. 722.

d) Hist. Lit. P. II. c. 2. p. 437.

e) Eorum indicem suppeditat TEISSIER. l. c. p. 417. seqq.

f) Ep. 67.

g) Imper. philos. Vol. III. Opp. p. 462.

h) Epist. miscell. Cent. I. ep. 89.

i) Cens. cel. auct. p. 721. seqq.

philosophiae partibus, imprimis disciplina naturali abstinerit, quo pacto philosophiam realem plane omiserit. Qua de re quid visum fuerit Riolano apud MORHOIVM * legendum est. Nec desuerunt, qui plagii suspicione eum onerarent, crederentque, inuectivas atque reprehensiones Aristotelis eum non suomet ingenio debuisse, sed lectioni Vallae, Agricolae et Viuis †; nec esse hanc suspensionem ex toto vanam, omnino fatendum est, quamvis ipsius dialecticae nouae formam et maiorem animaduersionum Aristotelicarum partem eius doctrinae deberi inficiari nemo a partis studio alienus possit. Et esse in Ramo multa quae culpari queant, non diffitemur, maximeque philosophiae verbalis magis quam realis studium notari posse recte iudicantibus putamus, cum loquaces magis quam sapientes efficere apta sit dialectica Ramea: at laudandum tamen esse viri insigniter docti ingenium elegans et doctrinam, tum imperterritum in euellendis antiquitatis praediciis animum, cogitandam quoque istorum temporum conditionem putamus, quibus ita disciplina omnis recta atque castigata euiluerat, ut mirum non sit, in ea negligentia reprehendenda nonnullos, et cum illis Ramum, modum excessisse, studioque partis ductos ad λογισμαχίας, quas Ramo et sequacibus obiicit SAM. WERENFELSIUS †† declinauisse, errores nonnullos admisisse pro veritatibus, eaque quae bona sunt in Aristotele videre noluisse. Placet venerandi WALCHII ††† sententia, cui plane subscribimus: „Petrus Ramus, ita scribit, non omnia effecit perfecta, quin etiam existimamus, ipsum multa maxime necessaria atque vtilia logicae momenta reliquisse intacta, item ea, quae tradiderit adhuc posse emendari; etiam nonnulla momenta attulisse, quae sua carent vtilitate. Attamen vel ideo singulari dignum habemus laude, quod primum seruituti philosophicae sese obiecerit fortiter, suoque demonstrauerit exemplo, veram philosophiam non pendere ab auctoritate aliorum. Deinde Ramus in eo meliora praestitit, quod disciplinam logicae ex elegantioribus literis illustrauerit, adeoque ipsius vsum declarauerit verius quam scholastici, quorum dialectica semper in tenebris cogitationum erat defixa, nec quicquam ad alias scientias aut vitam afferebat. - - Quamuis hac feliciori philosophiae tempestate, haud necesse sit Ramum defendere atque commendare, aut censuram quandam in ipsum facere, quum vera philosophiae doctrina ita culta et in aperto posita est, ut sectam Rameam iterum stabilire, aut impugnare nefas fere haberetur: aequitas tamen postulat, cuique meritam laudem attribuire, nec pro quavis affectuum libidine quendam perstringere. Sufficit Ramum idem ius ac eandem libertatem cogitandi habuisse atque vsurpauisse, quam adhibuit Aristoteles, quum multa a praeceptoribus tradita emendaret, ac propria iudicii facultate inquireret in veritates.

Bb bb 3

Quam

k) T. II. Polyhist. p. 65.

SIER. I. c. p. 402. 411. 414. HORN. Hist. philos. L. VI. p. 320.

l) RAPIN. Reflexions sur la logique p. 624. RECHERMANN. Praec. log. tr. II. c. 4. T. 15-

m) De Logomach. erud. c. 3. Dicitur ea de re infra. n) Parerg. acad. p. 624.

Quam sententiam et veritate et aequitate se commendare, ut lector usque iudicio et a partis studio alienus per se videt, ita ex illis, quae de philosophia Ramea distincte magis porro dicturi sumus, dispalescet.

*Observationes de dialecticae reformatione a Ramo suscepta.
I. Occasio conatus huius.*

§. IX. Cuncta vero, quae de disciplina Rami observatu digna et totam Rameae philosophiae contentionem illustrare apta sunt, observationibus aliquot complectemur.

I. Ante omnia qua occasione Ramus ad consilium emendandae artis differendi, id est, dialecticae pervenerit explorandum est, sine hoc duce enim in historia Rameae philosophiae palpabimus magis quam cernemus. Ipse autem rem totam in libro quarto *Animadversionum Aristotelicarum* enarravit, omnino audiendus, cum dicendis amplissimam lucem accendat. Ita vero dicto loco scribit: „Candide et simpliciter explicabo, quomodo Aristotelis tenebris liberatus sum. Cum tres annos sexque menses in philosophia Aristotelis, ex academiae nostrae legibus posuissim, logicis Aristotelis libris cognoscendis, disputandis, meditandis (ex omnibus enim Aristotelis libris logici praecipue toto triennii tempore clamantur et reclamantur) cum inquam tempus illud ita traduxissem, et iam ut absolutus artium, scilicet magister philosophica laurea donatus essem, subducta aetatis meae ratione in Aristoteleis artibus consumtae, consideravi quibus in rebus logicas Aristotelis artes, (quas antea tot clamoribus et sudoribus didiceram,) imposterum exercerem; non in historia et antiquitate rerum prudentiorem, non in dicendo disertorem, non in poësi promptiorem, non denique vlla in re me sapienterem factum deprehendi. Hei misero mihi, ut obstupui, ut alte ingemui, ut me naturamque meam deploravi, ut infelici quodam miseroque fato et ingenio a Musis prorsus abhorrenti me natum esse iudicavi, qui nullum fructum eius sapientiae quae tanta in Aristotelis logicis praedicaretur percipere, aut cernere tantis laboribus potuissim. Ne igitur omnino nihil agerem, redii ad intermissa quadriennio iam ante studia eloquentiae, atque in his erudienda iuventute me ipsum exercui, ita tamen, ut ad inclusam illam de Aristotelis logicis opinionem et persuasionem perpetuo respicerem. In omnibus enim poëtarum et oratorum lectione vigilavi, laboravi, modis omnibus contendi, an fieri posset, ut logicos Aristotelis libros ad aliquem eruditionis usum reuocarem. Principem dialecticae distributionem in Cicero et Quintiliano de inventionem et iudicio legi, sed legi magis ex more temporum nostrorum, quae de his praeceptis tantum disputarent, usum in his nullum quaerent, quam penitus cognovi: nec ex illis auctoribus id admodum percipere potui, cum uterque inventionis magis varias artes quam distinctum usum, neuter autem iudicii doctrinam, quae potior esset, explicaret: sed dispositionis nomine multa confunderet: ut mihi videren-

o) Adiciendum memoriis Rameis, eum, quod singulis lectionibus unam tantum auctoris veteris paginam explicaret, dictum paginarium, ad-

eo vero male literas pinxisse, ut vix legi possent: TRISSIER. l. c. p) p. m. 136.

„derentur eam partitionem potius auditam recitare, quam perceptam et
 „cognitam declarare. Aliquot post annis, cum infitus ille iuuenilis per-
 „suasionis amor huc me perpetuo reuocaret, Aristoteli totum denuo me
 „dedidi: diligenter obseruavi, publice, vt maioris diligentiae necessitatem
 „mihi ipsi imponerem, explicauit: falsis etiam laudibus, quas tunc veras
 „arbitrabar, exornaui: et quamuis nihil adhuc solidae vtilitatis in tota com-
 „positione logicorum Aristoteleorum cernerem, aliquid tamen in partibus
 „quibusdam deprehendi. Quare non desperaui, immo vero omnes omni-
 „um hominum libros, qui de hac arte editi essent, morose peruestigauit:
 „multos et Latine et Graece conscriptos reperi, vnum etiam Hebraice: in
 „quibus omnibus nihil nisi Aristotelicae huius logicae contractas quasdam
 „sententias reperiēbam: pauci quidam nonnihil in partibus quibusdam re-
 „prehendebant, summam tamen vniuersae confusionis sequebantur, nul-
 „lum vsum, quod caput tamen rei fuerat, aperiebant. Vnus Agricola vo-
 „luit hic aliquid melius quam potuit. Incidi tandem in Galeni librum de
 „decretis Hippocratis et Platonis: qui mihi locus primus ad bene speran-
 „dum fuit. Nam cum illuc multa Hippocratis et Platonis dialectica decre-
 „ta sum admiratus, tum illud per mihi mirum fuit, quod in illa dialecticae
 „laudis contentione Galenus Hippocrati, (quem vt Deum quendam cole-
 „ret) non Aristotelem, quem artis huius inuentorem et perfectorem cre-
 „dideram, sed Platonem, tanquam in hac arte philosophorum omnium
 „principem compararet. Sed tamen hac Hippocratis et Platonis compa-
 „ratione non tam sum satiatus quam excitatus, ad omnes Platonis dialo-
 „gos, qui de dialectica aliquid praecipere, perlegendum. Hic vt verum
 „fatear, optatissimus mihi et gratissimus salutis portus fuit. Ex Socratis
 „enim sermonibus, cum varia variis locis de argumentorum generibus fe-
 „ria et vtilia praecepta cognoui, tum vero clarissimam illam methodi lu-
 „cem clarissime vidi, vt ars via et ordine traderetur, primo loco defini-
 „endam summam, tum partes omnes definitionibus et exemplis declaran-
 „das esse, id etiam valde probaui et amaui, quod Socrates in falsis opinio-
 „nibus refellendis id vnum maxime sibi proponeret, vt eos, quos contra
 „disputaret, a sensibus opinionum et testimoniis hominum auocaret, tra-
 „duceretque ad aequitatem animi, et iudicii libertatem, quia philosophis
 „stultum esse censeret hominum sententiis (quae plerumque mendaces es-
 „sent et fallaces,) potius temere commoueri, quam rei cognitae, et ex
 „omnibus causis perceptae constanter assentiri. Quid plura? Coepi ego-
 „met mecum, (cum alio enim id mihi religiosum fuisset) sic cogitare:
 „Hem? quid vetat paulisper *συνταξιζεν* et omissa Aristotelis auctoritate
 „quaerere verane et propria dialecticae sit Aristotelis doctrina? fortasse
 „enim philosophus iste sua nos auctoritate decepit? vt mirum esse mihi
 „diutius non debeat, si fructum, qui nullus inesset, in his libris non inue-
 „nerim. Quid si commentitia ista sit doctrina? nonne frustra me torqueo
 „et crucio, vt e sterili, et arido solo fruges capiam? Sic itaque animatus,
 „et

„et sacris Aristoteleae superstitionis tantisper exemptus, ad Aristotelis le-
 „ctionem redii, vt intelligerem, qualis esset Aristotelea logica: quaesui
 „primo ex methodi doctrina, quam docet Plato, logicae in logico Ari-
 „stotelis organo definitionem: repetito opere nullam reperi: commemini
 „tum dialecticae partitionis, quam in Cicerone et Quintiliano legeram,
 „et tantam lucem tamque mentis humanae in inueniendo et disponendo
 „propriam, cum studiosus essem contemplatus et admiratus, ad Aristote-
 „lis logicam conuersus obstupui: chaos quoddam mihi videre visus sum:
 „sic inuentionis dispositionisque partes inter se sine definitionibus, sine
 „partitionibus, sine popularibus et perspicuis exemplis confusas animad-
 „uertit. Ac cum me ab Aristotele falsa scholasticae opinionis persuasione
 „deceptum cognoui, ignoscite mihi Aristotelei, si vere et simpliciter vo-
 „bis loquor, quo me tum gaudio exultasse, qua laetitia affectum esse,
 „qua animi voluptate percussum creditis? - - Itaque pro tanto tam graue
 „liberationis munere Deo O. M. gratias immortales nomine Platonis ha-
 „bui, quod eum mihi nauclerum praeuisset, per quem ex tam longin-
 „qua iactatione tot fluctibus, tot tempestatibus ereptus, tandem incolu-
 „mis aut portum attingerem, aut certe propinquam terram aspicerem.
 „Nam tamen princeps illa dialecticae distributio viam mihi monstrare po-
 „tuit, tamen sine Platonica methodi luce, sine Platonica philosophandi
 „et quaerendi libertate progredi recta, ac sine errore non potui.“ Habes,
 „lector, longum quidem, at illustrem plane locum, qui initia philosophiae
 „Rameae tibi pandit luculenter, et ad quem eos, qui historiam Rameam at-
 „tigerunt, non respexisse merito miramur. Si enim ad eum attendissent,
 „minime disputauissent, vtrum Ramus plagiarius sit nec ne? vtrum *avro-*
 „*didaxos* ad philosophiam accesserit? vtrum ex logica Platonica vel Stoica
 „profecerit? vtrum Agricolae meditationibus vsus sit, et quae similia quaeri
 „in historia Rami solent. Ea enim omnia ex hoc vno loco definiiri possunt
 „clarissime, demonstrarique, Ramum, nec a sui temporis philosophia fuisse
 „imparatum, nec veteribus nihil debuisse, nec Agricolae sua denegasse,
 „suo autem quaerendi studio, et Platonicae dialecticae beneficio ad eam
 „artis differendi perfectionem peruenisse, quam postea totis viribus exco-
 „luit. Maxime autem memorabile ex hoc loco est, assertam primo dubita-
 „tionem philosophicam, et eversa eius ope auctoritatis et antiquitatis scho-
 „laeque praedicia viam ipsi parauisse, vt ex veterum obseruationibus ea
 „sibi eligeret, quae inueniendi, iudicandique facultatem iuuare posse cre-
 „deret, quibus vsus nouam ipse viam ingredi posset. Iure itaque suo ecle-
 „ctici philosophi nomen sibi vindicat Ramus, qua libertatis cupiditate in-
 „ductus iam quid porro in reformatione Dialecticae susceperit, enarran-
 „dum est.

II. *Consilia*
Rami emen-
dandae dia-

II. Duplici nempe via ad eam, quam sibi praefixerat metam curren-
 dum esse statuit, vna, quae obstacula remoueret, quibus omnis ars dia-
 lectica corrumpetur, et vera eius ratio impediretur, quaeque ex Ari-
 stotelico

stotelico organo oriri sibi persuadebat: altera quae nouam differendi se- *lecticae elen-*
 cundum veritatem artem melius et distinctius explicaret. Illum laborem *ctica.*
 elenchticum, hunc theticum esse probe intelligebat. Et illud quidem fa-
 xum vt felici successu volueret, posita dialecticae definitione, quam Ari-
 stotelem neglexisse conquereretur, de toto eius habitu iudicabat. Cum-
 que ex vocis *διαλέγεσθαι* significatione et exemplis dialogorum Platoni-
 corum statuisset, esse eam artem bene recteque differendi, secundum hanc
 notionem non modo totum dialecticae ambitum est complexus, sed et
 Aristotelis logicam exegit. Quaecunque igitur aut ad differendum
 apud Aristotelem nihil facere intellexerat, aut quae impedire credebat,
 aut quae desiderari iudicabat, ea omnia Aristotelicis obicienda esse con-
 stituit. Ex veterum enim testimoniis sibi compertum esse contendebat,
 „Platonem veterum inuenta dialectica mirifice amplexatum diligenter ex-
 „ercuisse, docuisse etiam sapienter et copiose auxisse, nec vllum fere ge-
 „nus esse argumenti, de quo non aliquid praeceperit, tantique hanc
 „vnam artem fecerit, vt omnium artium reginam deamque faceret, per-
 „petuoque nouis eam laudibus afficeret. Et haec veritatem dialecti-
 „cam, quaecunque inuenta esset, veritatisque vtilitatem simplicem et
 „nudam fuisse, deinceps vero turbari et corrumpi coepisse. Platonem
 „enim secutum Aristotelem, quanquam viuus antiquum inuestigandae ve-
 „ritatis morem retinuerit, et syllogismorum simplicium artem repperit,
 „et vtilitatem proposita in vtramque partem perpetuae disputationis ex-
 „ercitatione vberiore reddiderit, tamen ambitione et vano superiores
 „vincendi studio suis scriptis et artem totam, et artis vtilitatem et exerci-
 „tationem magna ex parte conturbauisse, eamque mille tenebris inuoluisse,
 „et in eorum quibusdam dialecticae artis vsum ad scholasticas altercatio-
 „nes transtulisse, idque malum repertis et notatis coniunctorum syllogi-
 „smorum modis vehementer Peripateticos et Stoicos auxisse.“ Hac opi-
 nione occupatus, Aristoteleam dialecticam mira pertinacia oppugnare coepit,
 id demonstraturus: „Dialecticam ab Aristotele et Aristoteleis non
 „recte institui, cum quod multa dialecticae artis non necessaria praecepta
 „libris illis conturbentur, tum quod multa necessaria praetermittantur,
 „multo etiam plura redundant. Vsum vero dialecticae artis totum ad
 „scholasticas et sophisticas altercationes esse traductum; adeoque humani-
 „tati, cui detracta esset, reddendam eam et restituendam esse.“ Longum
 esset, et lectori forte molestum, exponere, qua ratione per omnia lo-
 gicae Peripateticae capita, initio facto a definitione dialecticae, hoc quod
 sibi proposuerat, opus fuerit profecutus, quidque circa definitionem,
 partitionem, et partes, nempe inuentionem et dispositionem monuerit,
 qua ratione doctrinam Peripateticam de terminis, praedicabilibus,
 praedicamentis, interpretatione, syllogismo, analysi, topicis et sophisticis
 singulis

g) Animadu. Arist. P. I. p. 2.

r) l. c. p. 6.

singulis libris euersum iuerit: haec enim prolixiora sunt, quam ut heic locum capiant, quique ea nosse cupiunt, non sine delectatione ipsas Rami animaduersiones adire poterunt, in quibus more suo iucunde et eleganter differit. Sufficit monuisse, confusionem, tenebras contradictiones, ineptias, altercationes, defectus et pueriles nugae Ramum vbiq; deprehendisse. In quibus cumulandis eum nimium fuisse, in quibusdam aut ignoracione elenchi, aut affectu praeter mentem Aristotelis de nonnullis disputauisse, et imprimis supposita definitione arbitraria et nominali dialecticae, ad hanc modo normam organum Aristotelis totum examinauisse, sicque haud semel in verborum contentionem incidisse, facile viris doctis, qui in Ramum calamum strinxerunt, concedimus, nec omnia in Ramo aut laudamus aut excusamus, quem potuisse temperanter magis et moderate ea vrgere, fatemur. Ast nec hoc negauerit rerum peritus, multa acute vidisse Ramum, plurima praeclare monuisse, vulnera logicae Aristotelicae mascule tetigisse, et ita viam haud contemnendam aperuisse sectariae Aristotelis seruituti se eripiendi, et ad liberiores auras elabendi. Optandumque omnino, virum quendam doctum, instituta comparacione inter reprehensiones Vallae, Agricolae, Nizolii, Rami, Patricii et Gassendi cum Aristotelicis, ostendere, in quibus conspirauerint, in quibus diuersam viam inierint, quibus armis sectariam philosophiam adorti sint, quae contentionis ratio inter philosophiam eclecticam et sectariam fuerit, quid illa inde fuerit lucrata etc. Ex quibus prudentiam philosophandi mire instrui posse nemo rerum peritus est, qui negauerit.

III. *Negata
librorum A-
ristotelis γυ-
νησις.*

III. Non contentus autem Ramus, Aristotelicis organum eripuisse, quo ad referenda philosophiae mysteria uti possent, quo pacto alias quoque Lycei scientias, maxime metaphysicam^{s)}, perdi necesse erat; ipsa quoque Aristotelis scripta genuina paucissima supereffe Peripateticis obieciat, et vel plane supposita, vel interpolata tamen esse contendebat. Dialecticos autem Aristotelis libros plures quam centum fuisse assererat^{t)}, quorum sexdecim tamen hodie legantur, si tamen sint Aristotelis. Quod quibus fundamentis nixus dixerit, ex eo intelligi potest, quod de fortuna librorum Aristotelis tomo primo diximus. Ita vero lethali vulnere causam Peripateticorum affligebat, quos ne Peripateticos quidem γυνησις esse, ita demonstrare satagebat. Quam reprehensionem ita exasperabat, ut diceret, dialecticae vim totam ab Aristotele, primum tum multo magis deinceps ab Alexandro Themistio ceterisque recentioribus Graecis praefertim, deinde Latinis Aristotelis sectatoribus fuisse deprauatam, ut non ad vllum humanae prudentiae fructum, sed ad clamorem altercationis sophisticae ineptissimum referretur.

IV. *Scopus
Rami ec-
lecticus.*

IV. Recte fecisse Ramum, quod abiecto Peripateticae seruitutis iugo libere de rebus ad veritatis disquisitionem et enuntiationem pertinentibus philo-

s) Conf. SOREL. de Perfect. hom. P. III. p. 493. REIMMANN. Hist. lit. Germ. Vol. III. p. 593. Vol. IV. p. 92.

t) Animadu. Lib. I. p. 3. 4.

philosophari coeperit, nemo in hodierna philosophiae eclecticae luce erit, cui sanum est synciput, qui non vltro concefferit. Et in eo quidem multo magis laudandus est, quod cum vidisset, omnem dialecticae virtutem ad scholarum altercationes et inutiles lites referri, maiorem ex ea vtilitatem quaesiverit. Nam non scholae, sed vitae philosophandum esse, ipsa nos philosophiae indoles, et ratio congenita homini docet. Ast id ipsis Peripateticis inculcabat Ramus, „et se contendere modis omnibus afferebat, vt ad augendos iuuenilis industriae fructus, et ad minuendas longi temporis molestias docendae et exercendae in philosophia iuuentutis commendiaria quaedam via ex veterum et philosophorum et oratorum institutis, ex regum et pontificum legibus reuocetur, vt denique dialectica ex vfu naturalis et humanae rationis tota describatur, descriptaque explicandis poetis, oratoribus exponendis, examinandis philosophorum omniumque hominum sententiis, scribendo de rebus omnibus et dicendo, omnium denique fructu humanitatis exquirendo tractetur et exerceatur.“ Vnde in ipsius dialecticae praefatione, se, ait, *artis exercitationem tam late adhibere, quam longe pateat vis naturae et artis, vt iuuentus huic disciplinae dedita, propositi vel poetae, vel oratoris, vel cuiusuis exempli consilium ex argumenti genere, iudicium ex conclusionis specie, methodum ex perpetuo dispositionis ordine perspiciat, aliquid deinde simile conetur et efficiat, atque omnes artis partes ad confirmandam ingenii solertiam et animi mentisque prudentiam exprimat: in eoque rhetoricae cum dialecticae exercitationem et vsum scribendo dicendoque coniungat.* Quae omnia in se spectata commendanda omnino esse et laudanda in Ramo, nemo temere inficias iuerit.

V. Hunc vero finem vt obtineret, dialecticam ex vocis significatione ad differendi ordinem et ex veritate artem retulit, cuius obiectum, vel de quo differitur, cum sit quaestio, omnem dialecticae operam circa eius partem, quae antecedit, et quae consequitur, versari dixit. Et quoniam differendi et eloquendi artem, vt ipsius verbis modo diximus, coniungebat, ex partibus rhetoricae, inuentione, dispositione, eloquutione, memoria et pronuntiatione, siue actione, eloquutionem et actionem tantum propriam esse rhetoricae censuit, inuentionem autem et dispositionem logicae vindicauit. Prius Ciceronis imitatione, (quem potissimum ob oculos habuit) inuentionem, posterius iudicium nuncupauit, ex qua distributione tota tractatio dialecticae, in duas partes facta est, quarum vna de inueniendis argumentis, altera de disponendis agit. Et argumentum quidem esse ait, quod ad aliquid arguendum affectum est; quales sunt singulae rationes solae et per se consideratae, id quod non de medio tantum termino, quem Aristotelici vocant, sed de quavis enunciationis parte secundum Ramum intelligendum est. Ipsam vero propositionem axiomatis nomine definiuit esse dispositionem argumenti cum argumento, qua esse

V. Summa
dialecticae
Rameae.

Cc cc 2

aliquid

u) Dedic. Animadu.

aliquid aut non esse iudicatur. Argumentum autem in artificiale et inartificiale diuidens, quorum illud ex arte, hoc ex se arguit, artificiale vel ut primum vel ut ortum considerat, illudque vel absolutum et simplex vel comparatum esse ait, absolutum porro diuidit in consentaneum et dissentaneum: atque consentire rei argumentum dicit vel absolute vel modo quodam. Et ad illam quidem classem causam et effectum, ad hanc subiectum et adiunctum refert. Dissentaneum vero in diuersa et opposita partitur, haec in disparata et contraria; atque haec ipsa in relata, aduersa, contradicentia, priuantia. Similiter comparationem statuit esse vel penes quantitatem, ut sint paria aut imparia, maiora aut minora, vel penes qualitatem, qua sint familia atque dissimilia. Argumentum quoque ortum a primo habere species dicitur, coniugata, notationem, distributionem, definitionem, seu descriptionem, inartificiale ad testimonii vel diuini vel humani classem reuocat. Et hac quidem argumentorum, siue terminorum serie constituta, quodlibet eorum describit, quibusque regulis, ex natura eius petitis constat, explicat, quae tamen omnia apud ipsum legenda sunt, cum scriptionis nostrae specialem logicae historiam non poscentis modum excedant. Et haec quidem libro priore profequitur; posteriore de iudicio argumentisque disponendis tractat. Diuidit autem iudicium in axioma et dianoëam, Axioma autem, quod ex Stoicorum logica accipit, idem Ramo est, quod Peripateticis propositio seu enuntiatio, dianoëa idem quod ratiocinatio, syllogismus, et ratiocinatorum consecutio atque methodus. Ex quo intelligi potest, quid in dialectica Rami sit axioma, supra iam definitum, curque dispescuerit in affirmatum et negatum, verum ac falsum, illudque in contingens et necessarium, nempe quod vel ita verum est, ut falsum quoque esse possit, vel quod necessario verum est, ut falsum esse nunquam possit, quo scientiam refert. Quod cum cardinem rei tangat, axioma necessarium secundum proprietates eas, quas iam definiuerat Aristoteles considerauit, ut nempe sit, de omni, per se, et vniuersaliter primum, cuius scilicet consequens et antecedens de se reciproce praedicari possint. Quia vero axioma vel simplex est vel compositum, vtriusque naturam describit, illudque considerat prout vel generale est, vel speciale, vel particulare, vel proprium; hoc, prout vel copulatum, vel congregatum, vel disgregatum est, quod vel discretium vel disiunctum esse dicit. Quo pacto omnem iudicii axiomati ambitum complectitur. Dianoëa autem Ramo dicitur, cum aliud axioma ex alio deducitur, vnde syllogismus exoritur atque methodus. Et syllogismus quidem, ait, esse, quo quaestio cum argumento ut posito antecedente necessario concludatur. Ita scilicet quaestionem de dubio axioma, adhibito tertio argumento, cum quaestione comparato, illustrandam esse censebat. Syllogismi, iuxta Rami mentem duae partes sunt, antecedens, quod propositione et assumptione constat, et consequens, quod est ipsa conclusio. Si antecedentis pars vna deficit, enthymema oritur,

tur, si qua accedat, profyllogismus. Eum autem vel simplicem constituit, vel compositum, illumque diuidit in contractum et explicatum. Contractus est, quando argumentum, quasi in exemplum assumitur: explicatus, quando omnes eius partes exprimuntur. Huius quoque species, id est figuras facit duas. Vnam quando argumentum, id est medius terminus tam in propositione, quam in assumptione sequitur; alteram quando argumentum antecedit in propositione, sequitur in assumptione. Quo modo et secundae et primae figurae Aristotelicae locum in dialectica reperit. Syllogismum compositum, vel connexum, vel disiunctum constituit, prout nempe ex assumpto vel negato antecedente colligitur vel tollitur consequens. Methodum quoque definiuit Ramus dianoëam variorum axiomatum homogeneorum pro naturae suae claritate propofitorum, vnde omnium inter se conuenientia iudicatur, memoriaque comprehenditur. Potiora autem in ea secundum Ramum eo redeunt, vt vniuersalium et clariorum praecedat, minus vniuersale aut singulare et obscurius sequatur, adeo, vt gradatim a generalissimis per subalterna ad specialissima perueniatur. Ita vero secundum methodum Rameam primo loco collocanda definitio generalissima, tum distributio, quae vel partitio est vel diuisio in species, quibus vt et partibus idem rursus ordo definitionis et distributionis assignandus, cuncta autem, si longiora fuerint transitionis vinculis colliganda, vt oratio inde recta et elegans exurgat. Addit quoque nonnulla de crypticis methodi, cum res non clare proponitur, vt eo iucundius lector vel auditor trahatur fallaturae. Et haec quidem summa dialecticae Rameae capita sunt, quae exemplis ex oratoribus atque poetis aliisque scriptoribus petitis mire illustrauit, et velut stellis quibusdam interstinxit, vt fatendum sit, haud contemnenda inde lumina tractationi Rameae accessisse.

VI. Esse in hac dialectica Rami haud pauca, ex Organo Aristotelico transsumta, licet nouis nominibus compareant, ex comparatione aperitissimum esse potest. Nec diffusus id est Ramus, vltro id aduersariis dans, *Aristoteli et Aristoteleis non omnem laudem debitam se detrahere velle, sed si qua ab eis, dialecticae propria veraque praecepta tradita fuerint, libenter approbare.* Fatendumque, si verborum nouitatem tollas, multa eum ex Aristotele seruauisse, praecipue, quae de iudicio dianoëtico disputat. Inde enata sententia praestantissimi WERENFELSII ^v: *Ramum nulla de re nouam sententiam excogitasse, de variis philosophorum circa varias res opinionibus nunquam sententiam dixisse, in modo methodo docendi, in definitionibus et diuisionibus ab Aristotele recessisse, adeoque recte pronunciarum, eum inter λογισμάχους et μεθοδομάχους esse referendum.* Non repugnamus viro doctissimo, si multam de verborum nominumque nouitate contentionem fuisse statuat, non enim nouum hoc est, sed quotidie ea fabula luditur. Ast negari tamen hoc quoque

VI. Multa in dialectica Rami ex Aristotelicis seruata, multa addita.

Cc c c 3

non

v) l. c. Opp. p. 477.

non potest ^w, multa Aristotelicorum inutilia Ramum ex logica eiecisse, praedicabilia, praedicamenta, topica, elenchos minime curasse, adduxisse vero alia indicta Peripateticis, de caussarum, subiectorum, adiunctorum, dissentaneorum, comparationum, distributionum, testimoniorum, coniunctarum conclusionum partibus et modis, ad quae in differendi distribuendique ordine suo notiones et rationes arte inque scribendi dicendique artificio multa redire, veterum exemplis edoctus sciebat. Hinc nullum in arte praeceptum ponebat, quod perspicuis insignium hominum testimoniis et exemplis Ciceronis maxime et Virgilii non illustraret.

VII. Fontes
dialecticae
Rameae.

VII. Ex dictis vero nullo negotio de fontibus dialecticae Rameae definiri potest. Quam non omnem Peripateticae doctrinae traditionem negare posse, ostendimus. Sed et veterum Graecorum, maxime Platonis et Stoicorum, logicam cum Ramea comparanti erit clarissimum, multa ab iis in sua arua Ramum deriuauisse. Plato enim exemplis quidem magis, quam praeceptis cuncta ex definitione, distributione, resolutione et inductione deriuauit, Stoici enunciationes axiomata, syllogismos argumenta vocarunt. Cumque ad vtriusque sectae imaginem rhetores veteres orationum suarum vultum plerumque pinxerint, mirum haud est, Ramum in eorum lectione probe versatum hanc sibi speciem dialecticae finxisse, reiectis caullis et subtilitatibus Stoicorum, quas non minus, quam Aristotelicorum contemnebat. Occasionem autem ita transformandae dialecticae Ramo suppeditasse dialogos Platonis, ipsum supra fatentem audiuius.

VIII. Iudicium
de Dialectica
Rami.

VIII. His vero omnibus rite ponderatis non difficile est de dialectica reformatione Rami sententiam ferre aequam et veram. Et laudandus quidem in eo est magnopere, quod ab inutilibus speculationibus nobilissimam artem ad usum fori et vitae reuocauerit, nec in eo quoque culpandus est, quod accurate ordineque differere, vel differentes quoque veteres intelligere docuerit. Ast id maximopere in Ramo reprehendimus, quod antiquitatis praeiudicio, quod tamen in Aristotele feliciter eiurauerat, fascinatius et dialecticae nomine seductus, ad vnum differendi artificium omnem ratiocinandi scientiam retulerit ^x. Hoc enim pacto necesse erat, intellectum, cui medendo, illustrando et in veritatis viam ducendo destinata est disciplina praestantissima, in tenebris, quibus naturali morbo et nascendi infelicitate cingitur, manere, et quum falso ratiocinetur, emendari a dialectica Ramea non posse. Vehementer quoque improbandum est, quod in cortice, methodum putamus, haerens, nucleum ipsum omiserit, eam vero ita ad intellectus normam retulerit, vt pedem modulo adaptaret, qua ratione non potuit non inepta methodi affectatione haud semel tractatio corrumpi. Cuius exemplum esse possunt *διχοτομικῆ* Rameae superstitiose

w) Conf. Dedicaciones Dialect. et Animaduersionum Peripp.

x) Conf. CARTES. ep. ad Gallic. interp. princip. philos. Ars cogit. P. I. c. 3. p. 19.

stitiose ad nostra fere tempora excultae, itemque methodus cauffalis, quae dialecticae Rameae debetur, quaeque in non necessariis scriptores ita detinuit, vt haud raro ineptiae sequerentur. Quae omnia si parcius adhibuisset Ramus, si a necessariis aliis non abstinuisset, si methodi leges non vniuersales fecisset, et cuius pedi hunc cothurnum adaptauisset, pauciora haberemus, quae reprehenderemus. Moderate et ex vero magnus VERVLAMIVS ^y: *Methodus veluti scientiarum architectura est: atque hac in parte melius meruit Ramus, in optimis illis regulis καθόλου πρώτων, και παντός, καθ' αὐτό etc. renouandis, quam in vnica methodo sua et dichotomiis obtrudendis. Veruntamen nescio quo fato fit, vt humanis, sicut saepius fingunt poëtae, rebus pretiosissimis semper adhibeantur perniciosissimi quique custodes. Certe conatus Rami, circa illam propositionum limam coniecit eum in epitomas illas et scientiarum vada. Auspicato enim, et felicitis cuiusdam genii ductu processerit oportet, qui axiomata scientiarum conuertibilia facere attentauerit, et non simul ea reddiderit, circularia, aut in semet recurrentia. Conatum nihilo fecius Rami in hac parte vtilem fuisse non inficiamur. Alia scriptorum iudicia de Rami dialectica, ne nimii simus, omittimus: comparari autem cum dictis possunt, quae auctor artis cogitandi ^z, et acutissimi viri CHRISTIANVS THOMASIVS ^a atque NIC. HIERONYMVS GYNDLINGIVS ^b annotauerunt. Ille methodum tabellarum huc quoque reuocat.*

IX. Quodcumque autem dialecticae Rameae statuendum sit pretium, ipse certe Ramus debita laude in philosophiae historia priuandus haud est. Is enim, quod frustra tentarunt Agricola, Valla, Nizolius, Viues, maiori si non animo, certe strepitu et euentu aggressus viam ostendit, qua ad libertatem philosophandi abiecto iugo Aristotelicae philosophiae sectario procedi posset: et modum exemplo docuit suo, contemnendi eorum clamores, qui pro Sectae suae placitis tanquam pro aris atque focus pugnant, et sanctissima mysteria violari conuerunt. Quod Palladium diu orbi philosophico ereptum vt assertum iret, non minas, conuitia, calumnias, et quae his grauiora sunt, timuit, persecutiones diras contempsit, impavidum patiensque pectus aduersariis obiecit, et rarissimo exemplo libertatem philosophandi sanguine suo confirmavit, merito inter martyres philosophicos ^c numerandus. Qui si nihil egisset aliud, quam quod exemplo suo in academia Parisiensi viros doctos complures excitasset, vt in aliis philosophiae partibus idem tentarent, quod ipse in dialectica fecit, quorum haud infelices conatus passim annotauimus ^d, dignus certe esset, cuius nomen atque memoria in annalibus philosophicis perennaret, et cui non ingratam se praestaret posteritas.

IX. Merita
Rami de phi-
losophia.

§. X.

y) De Augm. scient. L. VI. c. 2. T. I. Opp. p. 358.

z) P. II. c. 15.

a) Cautel. c. X. §. V.

b) Via ad ver. logic. p. 78.

c) Singularem diff. eorum exempla collegit doctissimus HEVMANNVS.

d) Conf. LAVNOIVS de Fort. Ariff. in Academia Parisiensi.

*Fata diale-
cticae Ra-
meae post
auctoris obi-
tum.*

§. X. Extingui posse Rameas nouitates, extincto crudeliter auctore suo, sibi persuadebant eius aduersarii, verum contrarium euenit. Qui enim uiuus haud paucos sectatores habuerat, quorum nonnulli ab extremis Europae angulis ad eum conuolarant, post mortem asseclas multo plures nactus est. Et superflite quidem Ramo Audomarus Talaeus, vir doctus et eloquens, cui cum Ramo fraterna intercesserat necessitas, ex disciplina Ramea formatus eam propagare inter Gallos non sine sudore conatus est. Quis autem doctrinam Rameam plausus inter Germanos exceperit, cum ad eos Ramus diuertisset, ex supra dictis est manifestum. Quamuis ex illis quoque constet, Peripateticos ubique locorum manibus calcibusque obniti Ramo eiusque reformandae philosophiae consiliis coepisse. Quibus addimus, scholam Melanchthonis, quae rationalis philosophiae culturae se valde addixerat, parum Rameis conatibus fauentem, suum quoque studium disciplinae Rameae velut impedimentum aliquod obiecisse. Et haec quidem uiuo et spirante Ramo acciderunt. Post miserabilem autem vitae eius exitum magnis et citatis gressibus passim ad eam doctrinam, quam formauerat Ramus, properatum est, fueruntque passim viri docti, qui Ramismo, (quo nomine ista disciplina appellari solebat) nomen suum addicerent. Et Hispaniam quidem atque Italiam nouitatibus Rameis aures patulas praebuisse, non constat, aut viguisse inter Germanos, Anglos, Scotos eam doctrinam publica documenta produnt, et innumeris exemplis probari potest. Cuius prima occasio, qua Rami dialectica per istas regiones sparsa est, fuit, quod ab ore Rami magna eloquentiae et philosophiae laude docentis iuuenes multi, qui ex Germania atque Britannia ad eum confluxerant, pependerit, et tum dicendi tum ratiocinandi differendiue principia ab eo didicerint. Hos et doctrinae elegantia et iucunditate recreabat, et ad veterum exempla effingebat, et nouo doctrinae genere innutritos domum remittebat, gratos tanti praeceptoris discipulos atque admiratores. Qui cum muneribus essent admoti, occasionemque nacti disciplinam Rameam ad publicos usus adhibendi, uiua voce pariter atque scriptis rem literariam iuarent, factum inde est, ut Ramismus inter Germanos, Gallos et Britannos omni spe citius et promptius exurgeret atque inualesceret. Maxime autem ex discipulis Rami hoc nomine memorandi sunt Thomas Freigius et Franciscus Fabricius, qui elegantioris literaturae notitia aeternum sibi in ciuitate erudita nomen comparauerunt. Et Freigius quidem Friburgo-Brisgoius in academia patria praestantes iuris interpretes Vlricum Zasium et Henricum Glareanum praeceptores habuerat, at fama doctrinae Rami excitatus, Parisiensem scholam adiit, tantaque contentione et industria illustris praeceptoris disciplinae adhaesit, ut inter eius discipulos tantum non vnus omnium maxime emereret. Redux ex Gallia in Germaniam et Ramea eruditione ornatior, in patria primum, deinde Basileae munus docendi nactus est, tantis aduersitatum procellis

e) Conf. eius Academia.

iacta-

iactatus vt de abiiciendis omnino studiis cogitaret, quod consilium sine dubio perfecisset, nisi Hieronymi Wolfii commendatione in Altdorfina schola professoris munus illi obtigisset *f*. Is itaque cum omnium optime philosophiam Rami intelligeret, eam et institutione, et commendationibus in veteres scriptores propagare, et ostendere eorundem usum studuit. Franciscus Fabricius autem Marcoduranus, adolescens ad Petrum Ramum delatus est, eoque euentu ab ore eius haesit, vt se Lutetiae Parisiorum ei operam dedisse non poenitere ipse scribat *g*. Qui cum Iohanni Mohemio in gymnasio Dusseldorpiensi regendo successor esset datus *h*, praeter literaturam veterem, quam a Ramo quoque didicerat, et in qua eum valuisse scripta eius doctissima ostendunt, ipsam quoque Rami dialecticam propagandi occasionem nactus est fauentissimam. Cumque haud pauci ex huius disciplina viri docti prodirent, qui postea muneribus passim per Germaniam praefecti sunt, facile inde colliget lector causam, cur Ramismus, quem vocant, tanta inter Germanos incrementa ceperit. Et haec humaniorum quoque literarum cognitio, quam Ramea disciplina tantopere commendabat et adiuuabat, inter causas referenda est, cur illa tantopere inualuerit. Viri enim summi et in veterum scriptorum lectione ad miraculum vsque versati, quamuis male Aristoteli minime cupiebant, attamen Rameam dialecticam ad interpretationem et imitationem veterum plurimum facere credere, ideoque eam sibi commendatam habuerunt. Qua in re praecipue plurimum valuit summorum virorum Ioannis Sturmii et Davidis Chytraei auctoritas, quorum vterque eo nomine plurimum Ramo fauit *i*, licet Aristotelem non improbarent. Ast hi duumviri in constituendis per Germaniam scholis eligendisque doctoribus publicis a quamplurimis in consilii curarumque partes trahebantur; quae via fuit, qua Ramea disciplina latissime se extendere potuit, cum similiter animati eorum discipuli Rameam doctrinam fuissent amplexi. Vix itaque schola aliqua publica paulo celebrior nominari potest, in qua non Ramistae, quo nomine Rami sectatores solent appellari, docuerint. Vixit enim docuitque ex Rami sectatoribus FRIDERICVS BEVRHVSIVS in Tremoniano gymnasio, qui aliquot libris Rami dialecticam illustravit, eiusque *Paedagogiam* itemque *defensionem* scripsit, et libello erudito atque luculento Rami et Melanchthonis dialecticam comparavit *i*, ex quo disci potest, in quibus vtraque conueniat, in quibus discrepet, quae controuersiae momenta sint, quae omiserit Ramus, quae adiecerit. In Corbacensi schola pro Ramo fortiter dimicauit ADAMVS SCRIBONIVS, auctor *Triumphae logicae Rameae*, apud Hanouera-

f) Vitam eius habes ad ADAMVM in Vitis philof. p. m. 252. inde sua hauserunt FREHERVS Theatr. p. 889. et REIMANNVS Hist. lit. Germ. Vol. IV. p. 582.

g) In Praef. ad vitam Ciceronis.

h) Vid. HANCK. de Rom. rer. script. L. II. c. 1.

p. 29. CRENIVS Animadu. philol. P. II. pag. 293. TEISSIER. Elog. T. II. p. 468. FARRIC. Centur. Fabricior.

i) Vid. CHYTRAEI Epist. p. 547. ELSWICH. de Fort. Arist. in academiis Protestantium pag. 57. 59.

i) Francof. 1588. 8.

noueros Heizo Bufcherus, qui licet syncretisticam dialecticam, de qua infra dicemus, secutus fuerit, Rameam tamen dialecticam contra Cornelii Martini insultus defendit, et doctrinam *de soluendis sophismatis* abs Ramo omisam suppleuit. Eandem contra Martini tela calami pugnam apud Goettingenses suscepit Conradus Hoddaeus; maxime vero in Iulia academia, vbi Peripatetica doctrina valde valebat, pro Ramo omnibus ingenii neruis decertauit CASPAR PFAFFRADIVS, cui libellum *de studiis Rameis et legibus optimae institutionis* ^k debemus. In schola Erfordienfi pro Ramo stetit HENNINGVS RENNEMANNVS, editis *Enodatione totius philosophiae Rameae, et Philosophiae Rameae insuperabili scuto* ^l. Et hi quidem duo scriptores ab iis quoque consulendi sunt, qui specialia magis de controuersis Rameis in Germania agitatis, quae tangere hoc loco non licet, scire cupiunt. In academia Rostochienfi Thomas Rhaedus contra Aristotelem pro Ramo comparuit, qui cum Henningo Arnisaeo hoc nomine est congressus. Marpurgi HIERONYMVS TREVTLE-RVS *Rudimenta dialectica P. Rami* descripsit. Hamburgi Iacobus Reueccius et post eum Seuerinus Sluterus editis de Rami dialectica commentariis pro his partibus steterunt; Lubecae Ramismum introduxit Ioachimus Hanfius ^m. Etiam in academiis Saxonis magno strepitu disciplina Ramea inualuit, motusque haud leues concitauit. Id quod praecipue in academia Lipsiensi factum est, in qua Ioannes Cramerus Ramo amplissime fauit, licet is Organi Aristotelici publicus doctor esset. Id quod armauit in eum facultatem philosophicam, quae, vt eo grauiori inuidia Ramismum cummlaret, Caluinismi femina in Ramismo latere, in literis supplicibus ad electorem Saxoniae est conquesta. Vnde factum, vt auctoritate electorali deligerentur, qui in Rameae factionis pericula, quae imminere credebantur, inquirerent, quae tanta visa sunt, vt theologi quoque excitarentur ad aggrendam scriptis pestem perniciosam, inter quos maxime Matthaeus Dresslerus se Rameis partibus obiecit ⁿ. Tantis autem animorum motibus res acta est, vt cum nuntium Rameae doctrinae mittere recusaret Cramerus, is munere publico anno MDXCI. exueretur, et quicumque in ea academia promotionibus publicis frui cupiebant, singulari syngrapha promittere iuberentur, se nolle quicquam tradere, quod a philosophia Aristotelis sit alienum; tanti momenti, haec pugna dialectica erat:

Non Priamus tanti totaque Troia fuit.

Sed in aliis quoque Protestantium academiis fortunam disciplinae Rameae, licet variis vicissitudinibus usam, emerfisse, indubitatis testimoniis constat.

k) Francof. 1597. 8.

l) Oppositum id Phil. Scherbio. Valde eius maledicam linguam detestatur KECKERMANN. Praecogn. log. tr. II. c. 5. p. 169. cuius verba quoque adducit BAYLE l. c. not. O.

m) Consulendi de his scriptis WALCHIVS et ELSWICHIVS II. c.

n) Conf. quos laudant iidem ADAMI Vit. philos. p. m. 496. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 12. §. 1. DORNIVS ad Ionf. L. III. c. 36. §. 19. p. 210. qui ad B. Io. CYPRIANI Progr. de factis philosophiae Rameae in academia Galliae, inferum Suppl. Bibl. philos. Struuianae p. 25. prouocat. Quod tamen in editione Lotteriana, quae ad manus est, desideramus.

stat. Et in Altdorfina quidem schola multa inuidia premebatur Ramismus; ast quamuis Peripatetici magnis animis se ei opponerent, et praecipue Philippus Scherbius dissertatione pro philosophia Peripatetica aduersus Ramistas quam philosophiae Altdorfinae inseruit IO. PAUL. FELWINGE-
RVS, adeo erudite et acute disputaret, vt neruositate, breuitate et elegantia, flore item eloquentiae et accuratione cum vasto libro certare posse iudicauerit MORHOFIVS^o; his tamen non obstantibus inualere partes Rami, praecipue cum Henricus Rennemannus, duobus scriptis proterue Scherbium esset aggressus, isque nihil reposuisset, sed LIBAVI-
VS^p tantum Scherbium vindicasset^r. Constat id ex verbis TAV-
RELLI^r, qui, quod ab Aristotelicis dissentiret, vt suo loco dictum, Ramismi conuicio impetitus est. Is enim ad hanc obiectionem ita respondet: *Vt vero nihil ex Rami vel eius asseclarum scriptis didicerim, quibus ipse nunquam sum delectatus; cum videamus tamen adeo felicem eius doctrinae successum, atque in dies augeri eorum numerum, qui vel sese aperte Ramistas esse profitentur; vel saltem a Rami dogmatibus non abhorrent: quis non flectatur, et de Ramo iudicare incipiat aequius. Liberum probo philosophandi genus: noui etiam in Aristotele reprehendisse Ramum, quod probandum non fuerat.* In Iulia academia, quae Helmstadii circa ea tempora^s excitata est, et in qua Pfaffradium Rameam dialecticam propagauisse supra retulimus, contra Cornelii Martini et Io. Caselii diligentiam pro Aristotelica philosophia aduersus Ramum, insurrexit AN-
TONIVS NOTHOLDVS, qui nomine *studioforum philosophiae Rameae considerationem in Martini librum* emisit, cui cum anno MDCXCVII. Cornelius Martini peculiari programmate responderet, annotationibus ille suis id eodem anno recudi fecit^{*}, annoque sequenti diatriben philosophicam edidit, qua doctrina de definitione et diuisione dialecticae, de notionibus primis et secundis, de argumentis inuentionis et praedicabilibus, de analysi logica Rameorum, de metaphysica et praedicamentis ad Philippi et Rami documenta reuocatur ac iudicatur. Quali contentione quoque Martinianis oppugnationibus se obiecit Cornelium HERMANNVM NICEPHORVM, in libris *de Analyfi logica*, refert HERMANNVS ELSWICHIVS^f, qui epigramma quoque affert, huic libro praefixum, quod, quanti eo tempore Ramus inter Germanos fieret, in aprico ponit. Dabimus id hoc quoque loco, vt de fortuna et opinione Ramismi inter Germanos constet^g:

*Magnus Aristoteles logicus, non vilior illo
Ramus, at obscurus magnus Aristoteles.*

Dd dd 2

Ramus

e) Polyhist. T. II. L. I. c. II. §. 30. p. 62.

p) In Schediasm. medico-philos.

q) Conf. Cel. BAYERS Vit. medic. Altdorf.

pag. 20.

r) Alp. Caes. p. 37.

s) 1576.

*) Conf. ELSWICH. l. c. p. 66.

f) l. c.

g) Haec plerorumque Rameorum opinio fuit, vnde Aristotelicam quoque logicam discere iubebant, iuuenes, vt artificiales voces, id est terminos a scriptoribus adhibitos intelligerent.

*Ramus conspicuo discentem tramite ducit:
Et breuis et breuitas haec tibi cuncta aperit.
Nemo percipiet logicam feliciter artem,
Quam qui Rameam perdidicit logicam,
Postea Aristotelis; non ut meliora, sed illa
Quae vulgus nouit, tu quoque scire queas.
Cum stultis etenim stultescere tempora possunt;
Hoc apte quisquis fecerit, ille sapit.*

Sed in Leucorea quoque academia Rami partes inualuisse, ex HVLSE-
MANNO^r patet, qui per interdicta electorum Saxoniae actis ordinis
philosophici inserta, iterumque anno MDCIII confirmata prohibito
esse Vitebergenses, ne Rameae se darent philosophiae. In huiusmodi
edicto ab eo allato cauetur, cum a breui tempore in facultate philosophica
secta Ramistica exorta sit, quae id agat, vt per letentim methodum docen-
di Aristotelicam, surrogata noua, pellat, ne quis professorum audeat il-
lam in lectionibus publicis fouere, indicta etiam illis poena, qui contra
egerint. Sed ad Danos vsque penetrauit quoque dialectica Rami; qui
quamuis auctoritate publica ordinationis ecclesiasticae Christiani III. Me-
lanchthoniana dialectica vterentur^u, non pertimuit tamen Andreas Kra-
gius, philosophiae tum apud Hafnienses professor, post explicatum audito-
ribus suis Platonem, Ramum quoque et tradere publice et aduersus G. Lieb-
leri calumnias vindicare. Facile vero esset complures afferre, qui
hac ratione pro Ramo pugnarunt, si eorum nomina excitare vellemus,
qui in hoc argumento calamum exercuerunt. Quoniam tamen hoc in-
stitutum nostri limites excedit, lectorem rogamus, vt ex LIPENII^v,
REIMMANNI^w, WALCHII^x catalogis sua industria ea colligat, si mo-
do tanti videbitur, eorum studia nosse, qui cramben decies centiesque
recoxerunt. Addimus nos tantum verbo, apud Heluetios ita obtinuisse
Ramismum, vt ad nostra vsque tempora Bernae Lausannaeque eum au-
thoritate publica confirmatum esse ex Minutoli relatione scribat P. BAY-
LE^y: Apud Batauos quoque RVDOLPHUM SNELLIVM, lin-
guae Hebraicae et matheseos professorem Lugdunensem, edito *Syntagma-
te philosophiae Rameae (Commentarium in Rami dialecticam* nominat
Ven. WALCHIVS^z, qui an idem sit cum syntagmate, nescimus) de Ra-
mea dialectica egregie meruisse, et haud parum celebritatis illi concilia-
uisse, eo quod solide et perspicue Rami praecepta illustrauerit. Quin
inter Anglos et Scotos quoque admiratores et sectatores haud paucos me-
ruisse Ramum Keckermanni testimonio asserit P. BAYLE^z. Satis hoc
fortunarum videri poterat disciplinae Rameae, quod in ordine philoso-
phico toties caput erigere licuerit: ast accessit maior felicitas, ex iure-
conful-

r) In Praef. Dialyf. p. 13.
u) Vid. ALB. THURAE Id. hist. lit. Danor. P. II.
e. 4. §. 2. p. 301.

v) Bibl. philos. p. 1283.

w) Calend. crit. hist. logicae p. 52.

x) l. c. p. 617. seqq.

y) l. c. nor. O. z) p. 621. *) l. c.

consultorum ordine. His enim valde placuit methodus Ramea, quam et ordine et perspicuitate et facilitate gaudere sibi persuadebant. Observatumque CHRISTIANO THOMASIO †, Matthaeum Wefenbecium virum celeberrimum, primum fere fuisse, qui methodum caussalem ex dialectica Ramea ad usum iurisprudentiae traduxerit.

§. XI. Amplissimos habuisse successus dialecticam Rameam, ex aductis factis constare potest. Neque tamen putandum, nullis eam impedimentis, nullis aduersariis fuisse coarctatam atque repulsam. Nam quod viuo Ramo accidit, vt magnis iris, et acerba contentione contra Ramum eiusque philosophiam insurgerent Peripatetici, id post eius tristitia, quae perpeffus est, fata non minori alacritate et animorum motibus factum. Non memorabimus petulantiam iuuentutis, Ramistis passim insultantis, supra enim idem euenisse Ramo ipsi iam monuimus, nec adeo mirum vel etiam insolens est, iuuenes literarum studiosos incitatos a doctoribus suis et inuidia instigatos, ad quoduis contumeliae genus in nouatores digredi. Sed ad ipsa Peripateticae doctrinae columina prouocamus, quae pro Aristotele, tanquam pro aris et focus pugnaverunt, cuius praeter Parisienses exempla, Ramo adhuc superstite in Beza, Schegkio aliisque commemorauimus. Nulla enim schola fuit, in qua non aduersarios Rami doctrina reperiret, possetque factis amplius nominum eorum contexi catalogus, qui inimica Ramo tela intenterunt, si id ageremus. Paucis tantum et strictim nonnullos tangimus, ne hic quoque ἀσύμβολοι abeamus. Nempē in Tubingensi academia praeter Schegkium, qui cum ipso Ramo contentionis ferram reciprocauit, eius nouitatibus NICODEMVS FRISCHLINVS, edito *Dialogo contra P. Rami sophisticam* pro Aristotele respondit, nec in ea academia pedem figere potuisse ab eo tempore Ramismum verisimile est. Eandem vigilantiam ne Ramistica doctrina Aristotelicam pelleret, probauisse academiae Altdorfinae professores maxime Philippum Scherbium, ex antecedentibus repetendum est. In academia Heidelbergensi parum fauentem sibi Ramus expertus est Zachariam Vrsinum; is iubente electore consilium suum descripserat, vtrum suadendum sit, vt philosophia Ramea in Palatinatu introducatur, in quo multis id rationibus improbat et dissuadet^a. Hoc cum effectum, quem cupiebat habuisset, adeo momordit Ramistas et in praeceps egit, vt Rennemannus et Pfaffradus acerbissimis eum vocibus ideo reprehenderent^b. Argentorati Dafypodium, licet infirmo armorum genere, Ramum oppugnauiſſe, ex epistola Ioannis Pappi ad Marbachium^c constat. Et in Lugdunensi Batauorum academia Ramismo introducendo se maxime opposuit teste Mareſio^{*}, Iosephus Scaliger. Magnos vero et potentes aduersarios in academia Iulia experta est philosophia Rami in Ioanne Caselio et

*Aduersarii
Ramismi.*

Dd dd 3

Cor-

†) In Cautel. c. X. §. 17.

*) Extat in IACOBI MARTINI Speculo rationali L. II. c. 15.

b) Vid. KECKERMANN. I. C. BAYLE I. C. not. O.

c) Vid. Epistolae Marbachianae § 40. FECHTIO editae p. 404. *) Apud BAYLE. I. c. not. O.

Cornelio Martini, de cuius pro Peripatetica doctrina zelo et industria in eius vita, *parte huius tomi superiore*, quantum satis est, diximus. Is grauem se Ramistis aduersarium in *Analyfi logica* et scriptis logicis aliis praestitit, quocum congressum fuisse pro Ramo Beurhusium, Hoddaeam, Buscherum, quorum dissertationes iunctim prodierunt ^d, itemque Notholdum supra memorauimus. Vitebergae insensum aduersus Rami sectatores animam demonstrauit Iacobus Martini, cuius quoque academiae facultatem philosophicam obtinuisse ex aula Dresdensi decretum de non propagando Ramismo supra retulimus. Idem Lipsiae factum esse, ex dictis repetendum est. Nempe non contenti Rameorum aduersarii inuisam sectam libellis profligauisse, more ab omni fere tempore inter homines recepto, ad potentiorum auxilia et summos etiam magistratus recurrerunt, et argumento ab odio et inuidia ducto, Rameam disciplinam temeratae fidei purioris, confusi ordinis, suspectae nouitatis, contemtarum legum a principibus positarum, conuertiendi corrigendique cum contumelia libidinis et similibus accusarunt. Neque vero verisimile est viros prudentissimos, qui passim ex mandato principum summorumque magistratum rebus praeerant, et his litibus componendis destinabantur, adeo hebetibus fuisse vsos oculos, vt perspicere nequuerint, neque reipublicae salutem, neque literarum incolunitatem in his disputationibus logicis versari, et parum interesse principis, vincat Aristoteles an Ramus? Ast, vt tacemus, interdum priuatorum suspicionibus potuisse eorum animos corrumpi, vt cum disciplinae, cui a iuuentute erant innutriti, plurimum auctoritatis tribuerent, nouam et insolentem doctrinam refugerent, seque asperiores illi ostenderent: ipsae contentiones virorum doctorum haud raro in vna cathedra docentium, et litigationes inutiles, quibus tempus consumebatur frustra, atque iuuenum pariter atque doctorum publicorum animi in partes discindebantur, metum illis incusserunt, ne tandem bonarum artium ex his litibus interitus oriretur. Fuisse quoque nonnullos, qui crediderint, arma polemicae theologiae subtrahi, si Aristotelica logica pereat, facile HERM. AB ELSWICH ^e credimus, argumentum a studio metaphysico, quod ab eo tempore inter Protestantes inualuit petenti: Quamuis Ioannes Gerardus, magni nominis theologus, qui Aristotelicam philosophiam aliis praeferebam putauit propter aduersarios, cum quibus theologo in arenam descendendum, non improbauerit, si collationis et methodi causa coniungatur Ramea philosophia ^f. Illud dubio caret, ab eo tempore inferiores fuisse Ramistarum partes, et fulmina potentium multos ab his partibus amplectendis deterruisse. Hinc, quem supra excitauimus Nicephorus, cuius verba adduxit ELSWICHIVS ^{ff}, conquestus est: *Eam temporum iniuriam esse, vt neque precibus, neque rationibus, neque vlllo modo alio studium suum veritatis et publicae utilitatis sartum tectumque quis conseruare queat, sed et vi minisque depulsus*

d) Lemgouiae 1596. e) l. c. p. 73. f) Meth. stud. theol. p. 132. ff) l. c. p. 74.

pulsus ad placitum te potentiorum componas, ac veritatem utilitatemque turpiter deserere cogatur.

§. XII. Succurrere laboranti Ramismo alia ratione coeperunt nonnulli, quibus syncretismus aptissimum medium visum est, sed qui, si verum fatendum, et experientia consulenda, malum reddiderunt deterius. Et fuerunt quidem mature inter philosophos Germanos nonnulli, qui cum viderent, tanta auctoritate gaudere philosophiam Aristotelicam, qualem repurgatam dedit Philippus Melanchthon, ut pelli locoque moueri tota non posset, ad eam delati sunt sententiam, iuuari posse Dialecticam Rami, si cum dialectica Philippica iungeretur, et cum ferri nonnulla, et supplementi loco adiuici posse ex dialectica Aristotelico-Philippica iudicarent, confici inde *σύνθετον* aliquod, quod utriusque parti non posset non arridere. Inde enatum tertium aliquod philosophorum genus, quod tum mixtum dictum est. Praeiuisset his exemplo merito dicendus est FRIDERICVS BEVRHVSIVS; quamuis enim is adeo Ramo fuerit addictus, ut P. Ramum statueret non modo Socraticum et Platonicum, sed etiam vere Aristotelicum philosophum iure dicendum et habendum esse, utpote qui ex illorum omnium sententia constantibus principiis expressa, usum ducem ac magistrum sequens omnem fere artium et materiam et formam ex iis ipsis, et maxime ex Aristotele deducens omnia praecepta cum Aristotelis legibus congruentia retineat, contraria vero et repugnantia reiiciat, ac artium quidem praeceptis perspicue distinctis, usum tamen earum, ac ita philosophiam cum eloquentia coniungendam esse doceat: non alienum tamen a iuuentutis commodis censuit, si Philippi Melanchthonis dialecticam, in qua multa ab interpretibus Aristotelis confusa et inuersa, illustriora facta, quin et emendata sint, comparandam cum Ramea exhiberet, quam comparationem nec philosophica libertate indignam nec studiis inutilem fore putauit. Cuius vel hunc usum fore dixit, ut iuuenes res artibus propositas et diuersos auctorum terminos, id est artificiosas appellationes vno labore cognoscant. Quo fine utramque dialecticam cum explicationibus et collationibus edidit, in eo tamen laudandus, quod utramque in separatis paginis e regione oppositis expresserit, ut eo facilius res intelligi possit. Ast qui secuti sunt PAVLVS FRISIIVS in *Comparisonibus dialecticis*, BILSTENIVS in *Syntagmate Philippo-Rameo liberalium artium*, BVSCHERVS in *Harmonia logicae Philippo-Rameae*, POLANVS in *Syntagmate logico Aristotelico-Rameo*, LIBAVIVS in *Collatione dialecticae Melanchthonis et Rami*, quibus suo modo BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS iungi potest, qui licet Peripatetica pleraque sequeretur, attamen multa Ramea admisit, Semi-Ramei ideo cognomine ab Aristotelicis appellatus; hi, inquam omnes et his similes Ramum ex Melanchthone facere auctiorem, Philippum ex Petro perfectiorem, et ex utraque dialectica vnam reddere studuerunt. Qui tamen non in eo so-

Ramei mixti & syncretistae.

g) In Dialect. Rami et Melanchthonis inter se comparata p. 17.

lo constiterunt, sed infausto haud raro syncretismi fidere afflati concordiam inter dissidentes sententias malefanam et inutilem inire visi sunt, quamvis syncretismum prae se minime ferrent. Quo stigmatem notandum esse Frisium, Libauium et Keckermannum, in *antecedente huius tomi parte*, cum de syncretismo philosophico ageremus, annotauimus. Paulo liberius hanc conciliationem inter Ramum et Aristotelem tentarunt, et inter syncretistas Aristotelico - Rameos nomen suum retulerunt alii, quorum fere princeps habitus est Rudolphus Goelenius, idem vero iter tenuerunt Conradus Dietericus et Ioannes Henricus Alstedius, quorum libros loco laudato iam adduximus. Parum tamen hac ratione promotum est Rameae disciplinae studium, quod et in se valde corruptum, et vtrique parti suspectum factum est. Inde audita Pseudo-Rameorum a Ramistis nomina vel potius conuitia; inde vero et indignationes Peripateticorum, ex quorum numero Io. SCHARFIVS ^b pronuntiauit: *Hinc alia Ramistarum secta orta est, quae vocatur mista seu mixta: scilicet nomine fatali. Miscet enim omnia in vnum chaos, Aristotelem transformat in rameita falsarii sui Petri, hoc est lucem in tenebras, coelum in terram, arborem in ramos.* Quare etiam non Rameis solum, sed et mixtis ne delectentur iuuenes praecepit ABRAHAM. CALOVIVS ⁱ, salubri, uti recte putat, consilio. Semper enim eiusmodi syncretismum et ineptam doctrinarum diuersarum conciliationem atque mixturam systemata corrupisse, et veritatem multo magis impediuisse, historia philosophica exemplis testatur luculentissimis. Et si verum fatendum, ipsae hae conciliationes et commixtiones Rameae dialecticae exitiales extitere. Cum enim eius puritas, et imprimis vsus, quem in scriptoribus veteribus explicandis et imitandis prae se ferebat, Peripateticis praeceptionibus, alio longe doctrinae genere nixis, et ad metaphysicam magis spectantibus corrumperetur, hocque ipso auctoritati Aristotelis quam Ramus valde deprefferat, nouae vires, luminaque noua adderentur, non potuit non disciplina Ramea in contemptum adduci, et euilescere, et quae in plerisque scholis auctoritate publica introducta fuit Aristotelis logica reuirescere. Factum id iam esse circa annum MDCXXIV, ex Hermanni Nicephori praefatione in libros de analysi logica probauit ELSWICHIVS ^k. Ibi enim ita conqueritur: *Quorsum nunc res scholasticae nostrae prolapsae sunt? nescio quo fato iam pridem in antiquum tenebrarum chaos omnia ruere videantur. Irrepunt enim in scholas passim cum applausu libelli logici, ne dicam de aliis, nugarum pleni, expellentes e possessione sua contra ius fasque logicam Rameam optimam, pulcherrimam, et simul usum eius ut amplissimum ita accuratissimum.* Et eo quidem tempore Casparem Pfaffradium, Daniele Hoffmannum in philosophiam Peripateticam incitasse tradit GERH. THEOD. MEIERVS ^l. Ast si verum est, hoc ipso Ramismi quoque

vineta

h) In Instit. log. p. 41.

i) In Paedia theologica p. III.

k) pag. 74.

l) In Monum. Iulicis p. 24.

vineta caecidit, cum omni philosophiae bellum ille indixerit, ut suo loco dictum. Successerunt paulo post novi conatus Cartesii, cuius sectatores cum etiam nova logicae praecepta cuderent, Ramea dialectica tandem obliuione sepulta est, nec aliter hodie eius memoria viget, nisi in historia philosophica.

§. XII. Haec Ramea *σὺγγράμματα* fuit, in qua mutata quidem, aut non adeo multum emendata fuit dialectica, licet maximos strepitus edidisset, sed vicit et imperium obtinuit logica Peripatetica. Non defuerunt tamen hic inde, viri nonnulli docti, qui vnam alteramue rationalis disciplinae partem, etiam seculo XVI meliori facie et illustriori luce donarent, aut cum sectam condere, vel Aristotelem de folio deturbare non cogitarent, laudati quidem, sed examinati et in usum deducti non sunt, licet multo praestantius clariusque de rebus ad ratiocinationem eiusque ordinem pertinentibus differerent, quam Peripatetici. Et hinc factum, ut eorum tantum non omnis exoleuerit memoria. Nostrum non est, eos hoc loco colligere omnes, qui ad hanc emendationem rationalis philosophiae aliquid contulerunt, non tamen omittere possumus IACOBVM ACONTI-VM, aliis quoque nominibus in sacrae ciuitatis historia celeberrimum, qui cum logicum ingenium quam maxime esset adeptus, cuius specimina haud pauca in scriptis eruditissimis posuit: iuuenes quoque contentis quisquiliis logicae scholasticae propiore ad veritatem via ducere conatus est. Scripsit ideo libellum de *Methodo. siue recta inuestigandarum tradendarumque artium ac scientiarum ratione vtilissimum*^{m)}, quem a scriptoribus historiae logicae fuisse omissum merito miramur. Nam non in id duntaxat omnem doctrinae vim adhibuit Acontius, ut inuestigandi docendique viam praeceptis luculentis panderet, verum in eo simul etiam fuit, ut potiora, quae ad ratiocinandi artem et cognitionis acquirendae modum pertinerent, breui, at eleganti compendio, quod a scholasticis spinis esset liberum, enarraret. Cum enim statueret, logicam esse recte contemplandi docendique rationem, hincque duas eius partes constitueret, ad quarum vnam quaestiones, ad alteram themata siue proposita referrentur, id sibi ostendendum esse ratus est, qua ratione veritatis examen instituire et rei alicuius notitiam indagare, quodque assecutus fueris, docere commodo possis. Hinc quid sit cognitio, quaque ratione per quatuor causarum genera discurrat expedit, deque causa materiali et formali, multa a Peripateticis abeuntia et recentiorum cogitatis haud dissimilia affert, et quo modo gigni cognitio, latentesque notiones et scintillae excitari et ad res obscuras illustrandas applicari possint, ostendit, et regulas acquirendae scientiae exponit, et imprimis quomodo in definitione versandum, quaque vitanda luculenter docet, et de obscuris, ambiguis, impropriis, inusitatis commentatur, et

*Logicae
emendatio-
nes aliae.*

*Iacobus
Acontius.*

caussa-

^{m)} Extat in Collectione libellorum de methodo et ratione studiorum, quae Trai. ad Rhen. 1657. 12. prodit, p. 325. seqq.

causalem methodum depingit, et diuisionis leges tradit, et interpretandi docendique ordinem pulchre delineat, et quo pacto quodlibet suo poni loco debeat, paucis tangit. In quo breui libello, multa egregia et postea Cartesio tanquam noua obseruata reperiri, ipsi Cartesio olim indicauit Heulnerus, teste BAILLETOⁿ. Nec id negat, qui vitam Acontii descripsit P. BAYLE^o, qui inter melioris commatis libros hoc schediasma, et inchoatum tantum, vt ipse vocat, opusculum retulit. Vidit autem ipse Acontius^p, *se quidem in seculum incidisse cultum supra modum, ast se non tam eorum, ait, vereri iudicia, qui nunc regnant, quam exorientem quandam seculi adhuc paulo cultioris lucem pertimescere. Etsi enim multos habeat, habueritque aetas sua viros praestantes, adhuc tamen videri sibi videre nescio quid magis futurum.* Quae hoc modo ad Ioannem Wolfium scripsit anno MDCLXII. Acontius, surgente demum seculo XVII euentum habuere laetissimum. Tum enim dialecticae lumen eclecticum primus fere accendit, et ad noua atque meliora audenda in ratiocinandi arte animum adiecit illustrissimus VERVLAMIVS. Is enim ausu vere heroico, vt recte obseruatum P. GASSENDI^q nouam tentare viam ausus est, sperareque, fore, vt modo illi strenue diligenterque insitatur, noua tandem eaque perfecta condi haberique philosophia possit. Id quod quantis moliminibus egerit, supra capite libri primi quarto planum fecimus et quid in nouo, quod eam ob causam produxit organo, hunc in finem monuerit, exposuimus. Quae hoc loco repetere opus haud est, comparandus autem cum iis est GASSENDVS^r, qui more suo logicae Verulamianae elegans et perspicuum compendium suppeditat. Et hic ipse quoque vir praestantissimus, non modo logicae Peripateticae naeuos magna fiducia nec minori eruditione detexit, editis *Exercitationibus paradoxicis aduersus Aristoteleos*, quod in superiori huius tomi parte iam annotauimus, sed quoque et de origine logicae et de fine eius, et de simplici rerum imaginatione, de propositione et syllogismo talia attulit^s, quae si non omnia noua, exarsciata tamen et selecta, et clarissima luce perfusa, multa autem iucundissimae doctrinae copia illustrata recte possunt videri. Vnde meretur vir summus, vt logicae eius paulo diligentior, quam fieri solet, ratio habeatur^t, et praecipue vt cum Cartesianorum meditationibus comparetur, ex quo patecet, hunc Cartesii aduersarium eius tamen sectatoribus facem haud raro praetulisse.

Verulamius.

Cartesianorum de logica reformati merita.

§. XIII. Non admouisse rationali philosophiae condendae et ex instituto describendae manus, sed contentum methodi regulas posuisse, reliqua quae ad cognitionem humanam pertinent, ex parte principii philosophiae

n) Vita Cartesii T. II. p. 138.
o) Disq. T. L. art. Aconce p. 65. seq.
p) In Ep. ad Io. Wolf. de ratione edendorum librorum p. 416. conf. qui haec more suo expendit P. BAYLE L.c. not. C. D.

q) De Orig. Logicae c. 10. T. I. Opp. p. 62.
r) loc. cit.
s) In Institut. Logicis T. I. Opp. p. 92. seqq.
t) Conf. WALCH. Hist. log. L. II. c. 1. §. 19. Parerg. acad. p. 658. qui tamen valde breuis est.

sophiae inferuisse Cartesium in *antecedentis libri capite sexto* ex instituto docuimus, quodque ad rationalem disciplinam ex meditationibus et principiis Cartesii pertinet, fusc delineauimus, quo recurrendum est lectori, hanc artis rationalis partem historicam discere cupienti. Sed et porro monuimus, ea quae Cartesius, physicis intentus dereliquerat, logica sectatores occupauisse, et hanc quoque rationis disciplinam suis meditationibus excoluisse. Inter quos Antonii le Grand, Ioannis Claubergii, Petri Syluani Regisii, Arnoldi Geulingsii, Regneri a Mansuelt aliorumque nota sunt scripta recensita quoque a Ven. WALCHIO^{a)}, qui adeundus. Non omitti tamen hoc loco duo ex Cartesianis scriptores logici possunt, quibus plurimum debere artem logicam apud omnes in confesso est, nempe anonymus auctor *Artis cogitandi*, et Nicolaus Mallebranchius. Ille enim innumeras obseruationes nouas suggestit, hic metaphysicam logicae iungendo ac applicando nouam inquirendae veritatis viam se detexisse ratus est. Et prioris quidem commentatio Gallico sermone prodiit hoc titulo: *Logica, siue ars cogitandi, in qua praeter consuetas regulas plurimae obseruationes nouae ad formandum iudicium facientes continentur*, huius libri prima editio *Parisis* MDCLXIV lucem vidit, tanto autem philosophantium plausu et approbatione excepta est, vt decies recuderetur. Latinas quoque has artis cogitandi institutiones fecit anno MDCLXVI, CORNELIVS AB ACKERSDYK, qui cum Musis parum fauentibus in eo labore esset versatus, eo quod praecipue editionem primam quae valde imperfecta est, adhibuisset^{x)}, comparentibus editionibus Gallicis auctoribus, nouae quoque versiones Latinae apud Londinenses, Lugdunenses, inter Batauos, et Amstelodamenses confectae sunt, quorum editiones nominat WALCHIVS^{y)}. Quos tamen labores se deterreri passus haud est Io. CONRADVS BRAVNIVS, quo minus nouam interpretationem Latinam libri praestantissimi moliretur, quae eo nomine reliquis praefenda est, quia accessiones, quae paulatim in Gallicis editionibus comparuerunt, omnes continet, et praefationem luculentam praemisit celeberrimus Buddeus, in qua de historia logicae strictim disseruit^{z)}. Deberi hanc logicam portus regii fociis, de noua disciplinarum methodo tunc valde sollicitis, nemo hodie rerum literarum tam ignarus est, vt nesciat, idque extra dubium positum esse putamus. Ast quem verum ex illa societate auctorem habeat, quis parens fuerit, qui obstetrices tantum manus accommodauerint, de eo inter rerum literarum scriptores haud vna sententia est. Nonnulli enim Trignyo^{a)} alii Petro Nicolio, quidam Bonio^{b)} tribuerunt, LEIBNIZIVS^{c)}, rerum eruditarum sui temporis apprime peritus Antonii Arnaldi opus esse retulit. Quae

Ars cogitandi.

Ee ee 2

senten-

u) loc. cit.

x) PLACCIVS Theatr. Anonym. p. 603.

y) l. c. p. 651.

z) Halae Sax. 1704. 1718. 8.

a) WALCH. l. c. p. 652. STOLL. Hist. liter. P. II. c. 2. §. 25. p. 443.

b) Menagiana T. I. p. 141.

c) Praef. ad Nizolium p. 37.

sententia auctorem vitae Arnaldi ^d a partibus suis stantem habet, qui diferte, horis, ait, a feuerioribus studiis vacuis virum acutissimum, praeter grammaticam rationalem et elementa Geometrica arti cogitandi infudauisse, hocque *παρέργω* taedia grauiorum studiorum leuauisse. Cuius si assertis standum haud est, subscribendum esse videtur marchionis DARGENSI ^e relationi, qui duos tresue ex hac societate viros doctos symbolas ad hunc librum conscribendum contulisse affirmat. Qua ratione et Arnaldus, cui sine dubio operis lineamenta atque stamina debentur, et Nicolius, et alii forte quoque de hoc opere logico condendo fuerint solliciti. In quo quamplurima vtilissima, et ad veritatem inquirendam, formandumque intellectus iudicium, euitandos eius naeuos, eiicienda praeiudicia etc. facientia contineri, ipsa nos elegantis libri lectio conuincit. Maxime dogmata de ideis, de methodo, deque praeiudiciis satis luculenter explicata, nouisque luminibus aucta deprehenduntur. Quae causa est, cur has institutiones non modo P. BAYLE ^f, acer ingeniorum censor lectori commendauerit, sed ascetas quoque suos diligenter legere iusserit IOANNES MABILLONIVS ^g. Dolendum autem, tractationem de praeiudiciis, quod obseruatum CHR. THOMASIO ^h, nec plenam nec planam satis esse, maluisseque auctorem in enucleanda propositionum et syllogismorum natura tanta subtilitate versari, quam haec omnia, cum exigui vsus sint, abiicere. Quem tamen et temporum istorum ratio excusat, quibus non licuit ea omnia tollere, quae velut pretiosi thesauri in scholis tradebantur ⁱ, et multorum post eum exempla laudant, qui in logicis versati omnem subtilitatem de propositionibus et syllogismis aceruum cumularunt. Ille vel in eo solo laudandus est, quod naeuos logicae Aristotelicae egregie detexerit, et verbis magis eam, quam mentis ratiocinantis imaginibus inhaerere, ostendit. In quo viam ab eo stratam magno acumine postea pressit, qui *artem* quoque *ratiocinandi* vulgavit et Aristotelicam nuditatem detexit G. GER. TITIVS, IO. CLERICVS autem memoratu digniora ex hoc libro in *Institutiones logicas*, quas edidit, transtulit, vt supra notatum. Poscit autem lectorem disciplinae mathematicae haud imperitum, ob exempla ex illa petita, id quod nonnullis displicuit.

Nicolai Mal-
lebranchii
vita.

§. XIV. NICOLAI MALLEBRANCHII nomen in schola Cartesianorum, non modo propter singulare ingenii acumen, sed etiam propter nouas hypotheses, quibus logicam, metaphysicam, physicam et ethicam auxit et immutauit, celeberrimum est, et doctrinae laude valde commendatum. Eius vitam enarrauit more suo facundissimus FONTENELLIVS ^k, repetierunt scri-

d) Pag. 147.

e) Philof. du bons sens. Reflex. III. §. 2. p. 211.

f) Responf. ad Qq. Prouinc. T. II. p. 293.

g) De Stud. Monast. P. II. c. 9. S. 1. p. 416.

h) Cautel. c. 10. §. 9. p. 129.

i) Idque potissimum, quod in docenda iuuentute Iesuitas aemulabantur portus regii focii.

k) T. II. Hist. du renouvellement de l'academie royale des sciences p. 208.

scriptores diariorum eruditorum *Aetorum eruditorum*^l, *Ephemericum Belgicarum*^m, *Memoriarum Triuultienfum*ⁿ, *Diarii Parisiensis*^o, alii. Integram dare ex epistolis Mallebranchianis collectam promisit LONGIVS^p, quae tamen vtrum lucem viderit, ignoramus. Faciemus paucis strictimque acutissimi philosophi notitiam lectori, cum tanta sit eius fama, vt indictum in hac nostra tractatione praetermittere nefas habeamus. Editus est in lucem Mallebranchius Parisiis VIII. id. Sextil. anno MDCXXXVIII, patre Nicolao, qui regi a secretioribus epistolis fuerat. Vltimum liberorum veletudine infirma et corpore valde imbecilli natum magna cura parentes educarunt. Cumque a natura dorso pectoreque incuruo esset efformatus, homines puer fugit, et scholam tantummodo adit, nec alia forte, quam quaedam habitus corporis non satis pulchre effecti dispositio causa fuisse videtur, cur pingi se recusauerit^q. Solitudinis autem ob dictas, vti videtur, causas amantior, viginti duos annos natus mense Ianuario anni MDCXL, congregationis oratorii sodalitis, positus artium et disciplinarum rudimentis, nomen dedit, totusque in studia incubuit. Et primo quidem Cointii consilio excitatus antiquitatibus ecclesiasticis et historiae sacrae rimandae se tradidit, veteresque scriptores ecclesiasticos nocturna diurnaue manu versare coepit. In quo studio etiam diligentiam adhibebat omnem, memoriae tamen infidelitate valde retardatus est, quae cito iterum ea dimisit, quae impressa prius fuerant. Ad aliud itaque studiorum genus, cui minus virtute recordandi opus esset, diuertere cogitans, Richardum Simonium, cuius tunc in ea congregatione magna erat eruditionis opinio, in partem curarum pertraxit, et eius suavis criticae sacrae se deuouere statuit. Cui dum pertinaciter quidem, aut non satis feliciter inhaeret, toti se, relictis tantum non studiis omnibus pietati colendae, expectandoque in silentio animi diuinae sapientiae lumini sacrificauit^r. Ast fecit casus quidam inexpectatus, vt ad Cartesianam philosophiam deferretur, cuius postea post ipsum Cartesium praecipuus scriptor auctore sectae non inferior factus est. Nempe cum tabernam librariam praeteriret, a bibliopola CARTESII liber *de Homine*, tum recens editus ei oblatus est. In quo cum pauca obiter legisset, adeo perspicuitatis ab auctore seruatae lumine collustratus est, et scientiae haecenus sibi ignotae principia diligenter sparsa tanta auuiditate inspexit, vt satiari non posset. Igitur emto libro illud non legit, sed legendo magis deuorauit, tanto ardore, vt cordis palpitatione interdum ex nimia contentione oborta correptus, legendi modum facere cogeretur. Ita incenso philosophiae insatiabili desiderio dimissis, quae haecenus respexerat, studiis omnibus, philosophiam vnani insigni diligentia amplexus non modo est,

Ee ee 3

sed

l) 1716. p. 232. seqq.

m) Maerdelyke Vittrekfels 1719. Mai. art. 5.

n) 1716. Oct. art. 3. o) 1716. Ianv. art. II.

p) Nou. lit. Lips. 1719. p. 818.

q) Inuito tamen effigies expressa est, Nou. lit. Lips. 1716. p. 306. praefixa est Bibliothecae, Germanico idiomate editae P. XLV.

r) MARVILLE Melanges T. I. p. 25. edit. rec.

sed etiam omnibus aliis praetulit, ratus, nec criticam artem nec historiam tenuisse protoplasten, ast sapienter meditatum sapientissimum fuisse, hancque sibi doctrinam cupiendam esse. Vnde hunc reliquarum disciplinarum contemptum vel neglectum potius improbantibus respondit, non se meliorem eruditionem, quam quae Adamo adfuerit, cupere. Ab eo autem tempore ita se profundissimae meditationi immerfit, vt ad eas sententias delaberetur, quas enthusiasmo esse proximas nonnulli iudicarunt ¹. Totum autem decennium explorandae Cartesianae philosophiae, et meditationi tribuit, tam insigni acutissimi ingenii, magna iudicandi solertia aditti vigore in mysteria Cartesiana penetrando, vt Cartesio minime inferior esse iudicaretur. Ita vero doctrina philosophica collustratus ad scribendum se accinxit, cumque in inquirendae veritatis studio cardinem omnis philosophiae verti, hanc autem intellectus culturam non satis et prout decebat, a Cartesio traditam esse cerneret, ad explicandam nouam intellectus emendandi, et ad inquirendam veritatem formandi artem curas atque meditationes suas conuertit. Explorato itaque vnionis inter animam et corpus, itemque inter animam atque Deum intercedentis mysterio ², quae impedimenta inquirendae veritatis, quaeque errorum femina ex sensationum et passionum caeterua oriantur, quid natura anima sit, quidue valeat, quibus viribus incedere possit, vt ad veritatem perueniat, describere statuit. Inde exortus famigeratissimi scriptoris foetus, qui *de Inquirenda veritate* inscribitur, et cuius postea summa capita tangemus. Cuius primus liber anno MDCLXXIII prodiit, secundus tertiusque anno MDCLXXIV, quem vero quotannis fere lambere, emendare, illustrare, et perficere, acutissimus auctor studuit: vnde plures editiones enatae sunt, semper pleniores et emendatiores, perfectissima autem ea est, quae paucis ante auctoris obitum annis MDCCXII, quatuor voluminibus, prodiit. In hac vero logica, (huius enim scientiae perficiendae curam in ea tractatione auctor susceperat) Cartesianis quidem principiis vtitur Mallebranchius, ast iis multa noua inaedificat, multa non Cartesianae tantum sed et Platonice ³ disputat, multa a communi via discedentia affert. Et imprimis imaginandi facultatem, vires, corruptionem, et impedimenta intellectui inde enascentia luculentis depingit coloribus. Quae omnia cum eleganter dicendi genere viuo, acuto et florenti exponeret, et abstrusas metaphysicae cogitationes pulcherrimis dictionis luminibus illustraret, qua ratione scilicet aridas speculationes lectori commendari posse credebatur ⁴, dici vix potest, quantum plausum liber subtilissimus nactus sit: adeo vt non modo aliquoties, vt dictum, recuderetur, et Latine quoque a cel. L E N F A N T I O legendus exhiberetur ⁵, sed et haud pauci essent, qui

s) Vid. I. G. PRITII Diff. de Enthusiasmo Mallebranchii.

r) Vid. Praef. inquir. verit. Habebat autem Augustinum ducem.

n) Intelligent hoc, qui eius hypothesein de origine idearum cum Platone comparauerint.

x) MARVILLE l. c. T. III. p. 434.

y) Etiam Belgice, sed non satis feliciter conuersus prodiit, Nou. lit. Lips. 1719. p. 549.

qui in opiniones Mallebranchii pedibus irent, vnde postea sectae Mallebranchianae nomen in Cartesii schola auditum est. Valde autem φιλοσοφόμενα Mallebranchii commendabat D. Augustini auctoritas, quam nouae hypothefi de origine luminis intellectus, quod in ideis fulget, quodque ex immediata DEI perceptione deriuabat, praefixit ^a, cum hac ratione tanto doctore praeunte pulchrius magisque pie philosophari crederetur, nihilque esset in dogmatibus Cartesianis, quod non hypothefi huic posset applicari. Et has potissimum causas esse putamus, cur liber ille tam auide receptus a multis sit, licet adeo subtiliter scriptus, vt a paucissimis intelligeretur, et opinionum nouitas et subtilitas fere incomprehensibilis obstaret auctori, quo minus more apud Parisienses recepto, teste MARVILLIO ^b, censorem reperiret. Mirum itaque non est, cum vix prodiisset, fuisse nonnullos, qui quaedam atro carbone notarent, inter quos imprimis fuit Foucherius ^c, cui respondit Robertus des Gabets ^d, et post hunc Antonius Arnaldus, qui omnium acerrime cum Mallebranchio, licet amico prius, congressus est. In quibus virorum acutissimorum controuersis adeo subtiliter de abstrusissimis argumentis metaphysicae disputatum est, vt non defuerint viri eruditi primae notae, qui se parua horum omnium, vel libri illius, qui lites istas genuit, vel totius controuersiae potuisse comprehendere, Mallebranchium nubes petere et μετεωρίζεσθαι, totam autem pugnam inter nugas, magorum spectra et lemures producentium referendam esse confessi sint ^e. Maxime vero lis enata, cum de origine idearum differens Mallebranchius, videre nos rerum omnium ideas in Deo asseruisset. Ex hac enim hypothefi quae intimam animae cum Deo vnionem supponit, orta illi occasio peculiare systema de natura et gratia condendi, quod eum cum Arnaldo acerrime commisit. Non est nostri instituti locique enarrare, quibus inter se libris, quibusque rationibus de vtroque argumento disceptauerint duumviri eruditissimi, illud enim ad specialem logicae historiam pertinet, hoc ad historiam dogmaticam doctrinae reuelatae et annales ecclesiasticos spectat. Et quod ad istam de origine idearum controuersiam attinet, pleraque factis prolixè alibi ^f enarrauimus, ad quem locum eos, ne prolixitate nimii simus, ablegamus, qui subtilis, et si quid iudicamus, otiosae et inanis controuersiae historiam scire cupiunt. Systematis de natura et gratia facta, libros aliaque, id concernentia, quibus nec Iansenii nec Molinae sectatoribus Mallebranchius placuit, enarrat celeberrimus PFAFFIUS ^g, qui videndus. Conferri autem merentur, quae elegantissimus DANIEL ^h

in

2) Accessit ei nomen quoque Meditabundorum.

a) Vid. Trois lettres contre Mr. Arnaud p. 14. Hist. de ideis p. 256.

b) T. III. p. 186. qui ex Mallebranchii ore hoc tradit.

c) Edidit is Gallice criticum examen artis inquit. veritatis.

d) Is Criticam criticae Foucherianae opposuit.

e) Menagiana T. I. p. 258. T. II. p. 389.

f) In Hist. phil. doct. de ideis Sect. III. §. 2. p. 256. seq. Conf. Vita Arnaldi p. 189. seqq.

g) Primar. Tubing. T. I. p. 209. add. BODDEVS Hagog. p. 671. 1256. Cat. bibl. Reimann. T. I. p. 738. FABRIC. Syllab. script. de V. R. C. c. 16. p. 405.

h) P. III. p. 202. Vers. Lat.

in *Cartesii itinere per mundum* de his controuersis differit: quamuis enim, vt Societati Iesu adscriptus erat, minus faueat Arnaldo, multa tamen tangit, quae *avédoxa* huius controuersiae et arcanae circumstantiae detegunt. Factum autem istis hypothesebus, vt non multum ab enthusiasmoⁱ, vel etiam a Quackerorum^k illuminatione immediata abesse videretur, quo iure, quae iniuria? nostrum non est dispicere. Ex hoc vero dogmate de vnione animi cum Deo, arctiore illa, quae animae cum corpore intercedit, quod genuinum fundamentum est omnium hypotheseum Mallebranchii^l, de origine idearum de concursu gratiae, et similibus, quae per inquirendae veritatis opus sparfit, multisque postea libellis defendit, auxit, comfit et poliuit; enatum quoque systema causarum occasionalium, quod deserto systemate assistentiae a Cartesio stabilito, amplexus est^m, quo inter Cartesianos spurios a GVSSETIOⁿ, ANDALA^o aliisque relatus est. Cuius summam cum supra tetigerimus, dicta otiose nolumus repetere. Ita vero factum, vt cum multas sibi singulares opiniones de visione Dei, quae contingit menti, de natura substantiae intelligibili, de extensione intelligibili, infinita in Deo, et similibus concepisset, mox fanaticismi, mox Spinocismi^p accusaretur, et adeo suspectus haud paucis fieret, vt libri eius in Gallia vendi prohiberentur, et quod P. BAYLE^q refert, vix apud Batauos editorem reperirent. Ast non afflictos fuisse aduersarios Mallebranchii subtilitates acutissimi philosophi clamauerunt post Mallebranchium ipsum^r eius fautores, contenderuntque, pie magis atque sobrie eum sensisse. Nec morose refragabimur, si quis dicat, virum nimia subtilitate modum excedentem, incommodis sensa animi vocibus expressisse, nec ea omnia stricto et rigoroso sensu sumenda esse, quae magnam ei inuidiam apud haud paucos confluxerunt. Interim nemo tamen negauerit, qui Mallebranchianas hypotheses attente considerauerit, ipsas quoque opiniones Mallebranchii plane singulares esse, nec facile probandas. Non enim in logica tantum atque metaphysica, sed in naturali quoque et morali philosophiae parte abeundum sibi ab aliis esse censuit, nec assentientes reperit adeo multos statuendo, Deum in creatione omnia praeformantem, omnium motuum, qui in creaturis obseruantur, vnicam eandemque im-

media-

i) PRITIVS l. c. BVDDVS l. c. p. 246.

k) VOLTAIRE Lettre II. sur les Anglois p. II.

l) Id ex Praef. operis de I. V. luculenter patet.

m) Ludouicum de la Forge hoc Systema primum post praefusiones Suarezii produxisse, supra obseruatum, in maiori autem luce posuit Mallebranchius, cum hypothesebus suis valde fauens deprehendisset.

n) In causarum primae et secundarum reali operatione, Leon. 1716. 4.

o) In Cartesio Spinozismi euerfore, add. PETER. DE VILLEMANDY de Efficacia causarum secundarum Lugd. Bat. 1686. Conf. cel. HOLLMANVS Phys. P. I. c. 4. §. 209. not. o. p. 244. Pneu-

matol. c. II. §. 80. not. a. p. 159. seqq. vbi etiam alios Systematis causarum occasionalium fautores nominat.

p) Conf. Recueil de pieces de la philos. de Newton, Clarke, Leibniz. Tom. II. p. 217. 432. Cat. Bibl. Reimanns, p. 999. POIRRETVS Oecon. Diu. L. I. c. 23. §. 1. p. 328. ARNAVD Diff. contre un eclaireissement du traité de la N. et Gr. SOUVERAIN Platonisme dévoilé P. I. c. 8. pag. 74. seq.

q) BAYLE Lettres T. II. p. 221. 227. ed. Martchand.

r) Reponse a une Dissert. de Mr. Arnaud contre l'eclaircissement. Facile ab Atheismi culpa liberat Philosophum L. II. c. 2. Inq. Ver.

mediatam causam esse: quaecunque sint in mundo, esse aut substantiam aut modum existendi, extensionemque ad notionem substantiae requiri, materiam in infinitum diuisibilem, quauis parte sua multas alias substantias comprehendere; quemuis materiae vorticem ex aliis minoribus vorticibus constare, et quae aliae *νοηται δόξαι* viri celeberrimi fuerunt, quae eum cum multis viris doctis commiserunt. Praeter Arnaldum et Foucherium enim ingenii calamique aciem in eum acuerunt Regifius, Lamius, Fenelonius, Leibnizius alique, qui hypothesin logicam de origine idearum examinarunt, alibi ^{s)} laudati. Maxime vero qui ex eius disciplina prodiit Societatis Iesu alumnus P. DV FERTRE systema Mallebranchii euertere singulari tractatione ^{t)} conatus est, quem vero non ex sua, sed superiorum voluntate scripsisse, et nec intellexisse satis, nec candide retulisse mentem et opiniones Mallebranchii, multa quoque peruertisse alii conquesti sunt ^{u)}, aliquot autem epistolis pro Mallebranchio respondit Mironius. Eleganter vero in hoc argumento versatus est magnus Leibnizius, qui in epistola quadam ad Remondum ^{v)}, refutationem Tertrianam considerando, quid culpari in hypothesibus Mallebranchii, quid excusari, quid tolerabiliore sensu explicari ferrique queat, luculenter ostendit. Quae epistola ab iis legenda est, qui iudicium sobrium et accuratum, ut sunt Leibniziana omnia, de Mallebranchii opinionibus cupiunt. Quae cum in omnium manibus sit, ea, quae vir summus moderate et erudite attulit, haec in compendium mittere breuitatis studiosi omittimus, et lectori expendenda relinquimus, intelligi autem nequeunt, nisi a Leibnizianarum hypothesium perito, eo quod animaduersiones suas vir illustris illis more suo attemperauit, ut id in *Examine principiorum Mallebranchianorum* ^{w)}, similiter ab eo factum est. Patebit autem ex his obseruationibus, multa mitiores sensus pati, quam verba fundunt Mallebranchii. Quod an de iis quoque valeat, quae eius notioni de extensione, dogma de transsubstantiatione euertenti, a Iesuitis obiecta sunt, et an defendi possit, quod non nemo fecit ^{x)}, illis excutiendum relinquimus, quorum interest, dogma hoc cum philosophia conciliare, et obiecta *ἀσέβητα* soluere. Neque tamen inter tot obiectiones defuere Mallebranchio sectatores et asecrae, qui in aedibus virginis de Vailly, quae consanguinitate Mallebranchium attingebat, conuenire solebant, ut ductoris sui hypothesen atque dogmata inter se illustrarent ^{y)}. Fuerunt quoque nonnulli eorum, qui pro Mallebranchianis sententiis pugnarunt, inter quos eminere Mironius ^{z)}, Montagnolius, Cattelanus.

s) Hist. de Ideis l. c.

t) Refutation du nouveau Systeme de Metaphysique, composé par P. Mallebranche, quae in plerisque Ephemeridibus anni 1715. et 1718. recensetur.

u) BERNARD. Nouv. de la rep. des lettres 1717.

v) Recueil T. II. p. 326. seqq.

w) l. c. p. 211. seqq.

x) Vid. Europe savante 1718. Juin. art. 5.

y) ARCHIMBAUD Recueil des piéces fugitives T. III. art. 6.

z) Vid. Europe savante 1718. Juil. art. 7. 1719. Dec. art. 7. 1720. Avr. art. 10. Juin. art. 4. Juil. art. 4. Août. art. 7.

telanus. Inuenti etiam sunt, qui celeberrimum Cameracensem archiepiscopum Fenelonium, cuius tamen de amore puro hypothesin Mallebranchius refutauerat, et contentionis ferram cum eo reciprocauerat, in suspicionem adducerent, ac si clam ad eius partes transiisset, qui tamen perperam id de se dici et iniuriam sibi fieri publice professus est ^a. Scripsit haud pauca vir acutissimus, quorum indicem exhibet FONTENELIUS ^b, in quibus profunditatem meditationum acumen ingenii supra modum extensum, imaginationis vim atque lumen, et ardorem quandam valde cum elegantia emicantem prodidit, at quae obscura et difficilia intellectu faciunt hypotheses singulares, abstractae, et subtiles et dicendi quaedam atque exprimendi cogitationes consuetudo metaphysica, nouis notionibus lectoris sensus refugiens. Quam imaginationi luxurianti et ferocienti interdum fuisse iunctam a Mallebranchio, (qui tamen hunc intellectus morbum mira felicitate confodit,) uti valde mirum et insolens est, ita utrum excusari praetextu condimenti iucundioris possit, ut ipse ea de re monitus facere solebat ^c, aliis excutiendum relinquimus. Ceterum laudatur vir praestantissimus ob pietatem, morum honestatem, animi candorem, ingenii elegantiam et doctrinae soliditatem ^d, qua meruit inter academiae regiae scientiarum socios referri. Nam et in philosophia eminebat, et rerum theologiarum cognitionem admodum profundam sibi comparauerat, et matheos mysteriis erat accurate initiatus, et scribendi dicendique amoenitatem aridissimis metaphysicis argumentis apte iungere nouerat. Vnde inter ornamenta seculi nostri etiam ab iis relatus est, quibus haud paucae opiniones eius displicuerunt. Obiit LXXVII annos natus anno MDCCXV, III. id. Octobr. non sine iactura orbis philosophici.

*Summa libri
de inquirenda
veritate.*

§. XV. Auxisse philosophiam rationalem obseruationibus suis Mallebranchium, omnino fatendum est. Licet enim ratiocinandi praecepta omnia describere nunquam in animum induxerit, fundamenta tamen rationis, intellectus naturam morbosque, veritatis inquirendae studium sufflaminantia, media ea euitandi viamque, id est, methodum in perquirenda veritate obseruandam selectis animaduersionibus explicare conatus est. Hinc exposita ex sententia Cartesii (hanc enim fundamenti loco ponit) intellectus et voluntatis huiusque libertatis ratione, natura atque indole, iudicandi et ratiocinandi facultatem voluntati, magistrum secutus tribuit, et quo pacto libertas ad eam rite adhibendam in partes vocanda sit, ne sequatur vel error, vel peccatum explicat, et euentiam quam maxime commendat. Erroris autem fontes praecipuos sibi enarrandos sumens, in abusu libertatis errorum, qui sensibus imputari solent, fontes quaerit, et

a) Conf. Nou. lit. Lips. 1715. p. 385.

b) Iunctim edita esse Parisiis indicatur in Nouis lit. Lips. 1723. p. 627. Conf. BAYLE Tom. I. Lettr. p. 186.

c) MARVILLE l. c. p. 435.

d) Eleganti Oda vitam et doctrinam Malle-

branch. commendauit illustris A. F. DESLANDES, quae integra inserta est Nouis liter. Lips. 1715. p. 481. seq. praestitisse Cartesio, ingenio metaphysico, et scribendi elegantia iudicat LEIBNIZ, Or. Hannou. p. 165.

et quo pacto illi occasione sensuum fere omnium enascantur, magna subtilitate et non sine ingenio profequitur, et imprimis errores circa extensionem, motum, aliaque phaenomena materiae Cartesiana principia secutus detegit, inque his explicandis optices atque mechanices principiis utitur. Errores autem circa qualitates sensibiles denudaturus, quid anima, quid corpus agat in sensationibus producendis, quid obiecta in corpus eiusque fibras agant, quae sensationum indoles et experientia sit, et quo pacto innumera falsa iudicia cum illis sequantur, quae genuini errorum fontes appellandi sint, curiosa explicatione enumerat. Idque exemplis principiorum inde deriuatorum, qualia sunt differentiae specificae, formaeque substantiales, aliaque spectra scholastica, illustrat, immo ex morali doctrina quoque lucem affert, exque errore animae circa bonum: physicos etiam errores de natura et qualitatibus corporis huc reuocat. Tum amplissimum explicandae facultatis imaginandi campum ingressus, docta et acuta tractatione, de eius natura et indole, de spiritibus animalibus eorumque motu, mutatione eiusque causis ex aëris, neruorumque dispositione agit, quidque memoria sit, quid habitus, quae cerebri cum reliquis corporis partibus connexio et influxus in intellectum et voluntatem enarrat, et qua ratione imaginatio ex matris temperamento, ex educatione, nutritione, conuersatione alteretur varieque afficiatur, depingit, imaginationis quoque conditionem in feminis, viris, senibus tradit, quaeque in imaginando consuetudinis vis sit, quae auctoritatis inde enascentis, quae lectionis ineptae et praeposterae, quae opinionis noui systematis efficacia in producendis erroribus eleganter edisserit, et quosdam timiditate, alios cognitione superficiali, nonnullos auctoritatis veneratione, aliquos experientiae fiducia in errores prolabi probat. Eodem autem libro, qua ratione imaginatio fortior aliquo contagio alios inficiat, et in errores rapiat, non sine ingenio delineat, et iucundis atque eruditis exemplis Tertulliani, Senecae, Montani, quin et magorum illustrat. Tum libro tertio ad contemplandum intellectum purum progressus, cogitationem solam esse menti essentialem contendit, eam autem limitatam esse, nec infiniti capacem obseruat, indeque multos errores et haereses oriri notat, et dissipatos inde philosophorum animos considerare iubet, quemadmodum e contrario geometras iustis methodi limitibus constrictos non tam facile falli putat. Qua occasione logicam Aristotelis reprehendit, eo quod vires intellectus obtundat atque minuat. Multos autem errores ab inconstantia voluntatis in inquirenda veritate, inclinante magis, ad sensationes quam ad ideas puras repetit, et imprimis morum inde corruptionem sequi statuit. Vbi anam capit species ab obiectis materialibus emissas iugulandi, animaeque facultatem producendi ideas denegandi, quin et productionem idearum a Deo immediate factam, ideasque nobiscum creatas explodendi, sicque sibi viam parandi ad palmariam, quam delegerat sibi, hypothesin asserendam: omnes nos res videre in Deo.

Ff ff 2

Quod

Quod qua ratione fiat, ideam de Deo, de corpore, de anima, de spiritibus puris concipiendo explicat, et ex idea vaga entis in genere considerata, quae intime homini praesens sit, plerosque errores philosophicos oriri statuit, idque exemplo essentiae materiae illustrat, quam Cartesii vestigia premendo in extensione sitam esse contendit. Vltimam vero errorum causam in eo ponit, quod cuius ideam nullam intellectus habet, id non putet existere, adeoque ex praesentibus ideis de rebus tantum iudicet, id quod exemplis ex natura philosophiae petitis manifestius facit et ex morali disciplina in eundem finem nonnulla adducit. Quarto libro de inclinationibus siue commotionibus mentis acturus, earum originem et necessitatem tum naturam mouendi se versus bonum in genere detegit, et inde haud paucos errores, ob inquietam voluntatem oriri docet. Speciatim autem sciendi cupiditatem ad veritatem inquirendam esse necessariam, aut regulis et limitibus in ordinem cogendam monet. Tum desiderium amoris proprii in partes vocat, et qua ratione ex cupiditate vel honoris et existimationis, vel voluptatis, veritatis, impedimenta enascantur delineat, cupiditatem quoque sciendi et inter eruditorum choros sine merito comparandi huc trahit, et de eruditis apparenter talibus, et pseudo-doctis multa eleganter obseruat, tum speciali tractatione inclinationes ad scientias practicas et speculatiuas intuetur, ostensurus, quo pacto ex iis veritati obex poni possit, et quos effectus futuri mali vel boni cogitatio in animo habeat. Tertiam animi commotionem in amicitia ponit, quam ad errorem haud raro seducere notat, et hoo pacto intellectus morbos profunda tractatione detegere fatagit. Libro porro quinto, quid *τὰ πάθη* affectusque animi in inquirenda veritate valeant, quid sint, quo effectu gaudeant, quibus mutationibus corpus animumque afficiant, et qua facilitate in errores nos coniciant viuis coloribus depingit, mentis autem perfectionem in vnione cum Deo mediante veritatis cognitione et virtutis amore statuit, imperfectionem a dependentia a corpore eiusque sensibus et passionibus deriuat. Tum ad specialem passionum explicationem progressus admirationis naturam, effectum et damna, sed vtilitatem quoque modumque rectum considerat, idem de amore et odio eorumque speciebus primariis agit, et quo pacto falsae sint affectuum excusationes et apologiae enarrat: eos autem, qui malum auersantur esse periculo viciniore et iniquiores, qui cognitione antecedente carent, esse fortiores animaduertit. Cumque hac proluxa tractatione ab erronea via mentem liberasset, tum ad rectam inquirendo veritatem semitam eam ducere libro sexto nititur, expositurus media, quibus euidencia in inquirenda veritate conseruari possit, et quibus bonae methodi regulae absoluuntur. Refert huc, et prolixè explicat attentionem, ab ipsis passionibus excitatam et suffultam, imaginationis vsum, algebrae et arithmeticae necessitatem ad augendam intellectus capacitatem, tum regulas bonae methodi, quas non modo claras et perspicuas reddit, sed exemplis quoque philosophorum, qui

qui eas vel neglexerunt vel obseruauerunt illustriores facere laborat. Quo loco ei occasio enata est, accurationem philosophiae Cartesianae maxime extollendi, confusionem vero Aristotelicae fugillandi, tum ordinem cognitionis acquirendae inculcandi, et usum eius in quaestionibus particularibus ostendendi. Quae materiam ei praeberunt complura problemata physica more suo secundum hypothefes vel Cartesianas communes, vel proprias explicandi.

§. XVI. Sufficit breuis operis acuti et ingeniosi *διάρθρωσις*, vt intelligatur, praeclare de rationali philosophia meruisse Mallebranchium, et obseruationibus eam pulcherrimis auxisse, multaue esse, quae maximas laudes mereantur. Idque non ad ipsum, quod tractandum sibi sumferat, argumentum dumtaxat, sed ad ea quoque pertinet, quae ex omni philosophicarum scientiarum orbe illustrationis causa addidit. Ast esse quoque naeuos in eo haud paucos, partim scholae Cartesianae communes, partim proprios, nemo a partis studio alienus facile negauerit. Non colligemus hoc loco vel censuras virorum doctorum, vel obiectiones aduerfiorum, vel encomia sectatorum Mallebranchii, haec enim alia otia, alium locum postulant. In compendio tantum, lectoris in gratiam ea referemus, quae Ven. REIMMANNVS^e, qui more suo attento liberoque animo librum egregium examinavit, et ordinis causa in tabulas redegit, laudanda et reprehendenda esse censuit, eo quod cuncta strictim sit complexus, vt habeat lector monitorem, ad quem in adhibendo inter legendum proprio iudicio subinde respiciat. „Laudat is in auctore ingenii lumen et „acumen, meditationes profundas, singulares et minime quotidianas, „peritiam in physicis, ethicis, mathematicis, *παιδείαν* in taxando cultu superstitioso creaturarum, et commendando cultu interno, inque erroribus „philosophicis detegendis; tractationem de imaginatione perpulchram, „stili rotunditatem, viuacitatem, elegantiam et *ἐνέργειαν*, abesse iussas allegationes fatigantes, scopumque laudabilem, Deum vbique agnoscendum, „honorandum, amandum exhibendi, homines imbecillitatis et ignorantiae conuincendi. Vituperat autem pruritum nouandi philosophiam et „theologiam, et principia eiusmodi statuendi, quae lectorem non possunt „non deducere ad Spinocismum, nimiam erga foetum suum *σοφίην* et libidinem lambendi, formandi, reformandi, vindicandi, fastidium elegantiorum scientiarum, studium reprehendendi viros in sua arte celeberrimos, Heuelium, Sauilium, Tertullianum, Senecam, Bochartum, „Montanum imaginationis vim contagiosam in ipsius praecepta peccantem, „meditationem nimis metaphysicam, et oestrum comparandi sibi „famae et condendi nouam in philosophia sectam meditabundorum. „Maxime vero improbanda esse dogmata falsa, monstrosa, perniciofa et ad „atheismum indirecte ducentia monet, qualia sunt: Deum esse omnia,

Ff ff 3

„crea-

*Judicium de
Mallebranchii
hypothefibus.*

e) Cat. Bibl. suae p. 999. Conf. Hist. atheismi P. II. c. 5. §. 23. p. 415.

„creaturas nihil: omnia extensa esse substantiam DEI quatenus creaturas
 „repraesentat; mundum esse inuisibilem, Deum autem a nobis videri,
 „ideas esse substantiam Dei figurarum forma inductam, Deum esse, qui
 „in anima hominis omnes motus, actus, ideas, desideria producat, qui
 „vera omnium causa sit, quae ea producat, cum reliqua occasiones sint
 „tantummodo voluntatis suae exequendae. Modificationes animae nullate-
 „nus repraesentatiuas esse posse, voluptates sensuum mentem actu felicem
 „reddere, natura nullam dari certitudinem firmam atque inuincibilem ex-
 „istentiae corporum, et distinctionis inter phantasmata et extensionem
 „Dei veram repraesentatam: Naturam agentem, qua talem, esse merum
 „nihil; ideas sensibiles esse Deum figuris repraesentatum, dari extensio-
 „nem intelligibilem. Nec placet viro doctissimo, quod orationis floscu-
 „lis dogmata quasi sepeliuerit ad fascinandum lectorem; quod rem saepius
 „repetiuerit eandem, nonnulla alieno, nec suo loco, multa ambigua,
 „obscura, manca et contradictoria attulerit; quod plura destruxerit quam
 „aedificauerit, non tam de inquirenda veritate, quam de vitandis errori-
 „bus tractans. Quod non laudauerit, per quos profecerit, maxime Ba-
 „conum, quem sexcenties exscripserit; quod phaenomena omnia naturae
 „a voluntate diuina deriuauerit, sicque perpetua miracula supponat: quod-
 „que famam suam ruinis aliorum inaedificare annis sit, et ideo ab omni-
 „bus cogitationibus vulgaribus recesserit, vt ingenii rari et extraordinarii
 „quale ipse depingit ^f, laudem consequeretur.“ Haec tenus Reimannus,
 cuius censuram neque subscribimus, neque eam reuicimus, sed compara-
 tioni lectoris ex integro permittimus, attamen aequitatem et amorem in
 ferendo iudicio commendamus, quibus haud pauca in Mallebranchio posse
 excusari, et meliori sensu explicari, nonnulla ferri, reliqua modeste reii-
 ci, sumus certissimi ^g.

*Tschirnhausii
 merita
 de rationali
 philosophia.*

§. XVII. Quod in Gallia tentauit Mallebranchius, paulo post in Ger-
 mania suscepit EHRENFRIED GVALTHERVS DE TSCHIRN-
 HAVSEN, vir non minus acutissimo ingenio magnaue rerum mathe-
 maticarum peritia quam sanguinis nobilitate illustris, cuius vitae historia
 in annalibus disciplinarum mathematicarum enarranda est ^h, fatis autem
 de eius circumstantiis atque meritis, dabit disertissimus FONTENEL-
 LIVS ⁱ. Is cum profundiori meditatione instituta comperisset, praeter
 notitiam philosophiae vocabulariam pariter atque historicam, realem quo-
 que requiri, quae in ipsos naturae rerum recessus penetret, veritatisque in-
 ueniendae apta sit, quaeque, vt in mathesi algebram facere nouimus, quid
 occultum sit in philosophia, et tamen sub intellectum cadens, certa et
 constanti methodo in lucem potis sit deducere; ad eiusmodi artem inue-
 niendi,

f) Lib. VI. c. 8.

g) Comparanda cum his, quae LEIBNIZIVS
 et MIRONIVS II. cc. attulerunt, qui mitiores sen-
 sus Mallebranchianis paradoxis tribuunt.

h) Prodiit eius Vita Germanice, Gorlicii 1709.
 12. Conf. Bibl. nou. T. I. p. 328. obiit m. Oct.
 1708. 58 annos natus.

i) Hist. du Renouuement de l'acad. des sci-
 ences T. II.

niendi, velut praeclarissimum intellectus humani munus, declarandam cogitationes suas conuertit. Quod consilium certe laudatissimum, ita se exequi posse putauit, vt philosophiam quandam primam, quam alii metaphysicam vocant, ipse potiori iure logicam, vel medicinam mentis vocauit, delinearet^k, quae ea exhiberet omnia, quae homini, cui seria sapientiam sibi acquirendi mens est, omnium prima cognoscenda veniunt, doceretque, qua ratione veritatem per se ipsum certo acquirere, passiones suas sapienter moderari, sanitatem vtut dieta bonam non adeo exacte sequi possit, conseruare liberos prudenter educare, et similia possit. Quem finem obtineri posse sperabat haud difficulter, si primo exploretur, quatenam inter infinita hoc in mundo occurrentia negotia omnium optima sit occupatio, quae prae ceteris eligenda sit? quam esse statuit studium acquirendae veritatis per se ipsum: deinde si quis conuincatur, nihil magis ad id esse necessarium, quam ipsam methodum veritatem infallibiliter detegendi: sique tertiò in hac incognitas veritates detegendi methodo, primum exponatur, quid verum quid falsum sit, et quomodo vnum ab altero discerni queat, et quo modo quae via de veritate ad veritatem cognitio nostra semper et absque fine extendi possit: tandem quibus mediis quoue modo impedimenta remoueri queant, quae methodum acquirendi veritatem planam reddere et facilem prohibeant. Quae si rite fuerint cognita, dari tunc posse regulas statuebat, quibus infinitis obiectis illa methodus applicari, et ad ea extendi possit. In hunc itaque modum medicinam mentis siue logicam quandam vniuersalem formandam tradendamque esse apud se reputans, diligenti meditatione perficere opus, quod animo formauerat, constituit. Ne vero vlla in re falleretur, attente circumspicteque praecauens talia principia assumenda esse censuit, quae omnium, etiam Scepticorum iudicio essent certa et indubia. Qualia sibi esse ait: se variarum rerum conscium esse, se bene a quibusdam, a quibusdam vero male affici; quaedam a se posse comprehendere, quaedam nullo modo posse concipi sui que respectu esse incogitabilia: tandem, se varia sensuum externorum, itemque imaginum internarum et passionum ope aduertere. His enim quatuor principiis, ceu totidem columnis totum humanae cognitionis aedificium inniti credebat, et hoc pacto viam se sternere posse planam atque rectam ad inuenienda veritatis et felicitatis media sibi promittebat. Ita enata illustri auctori *Medicina mentis siue artis inueniendi praecepta generalia*, quae primo quidem, *Amstelodami*^l deinde auctiora et emendatiora *Lipsiae*^m prodierunt. In quo libro magna subtilitate auctor ingenti ingenii vi praeditus versatus est, cumque rerum Geometricarum et arithmeticarum esset peritissimus, eius problemata, ad illustranda praecepta sua magno numero adhibuit, in id connitensⁿ, vt

viam

k) Haec omnia fufe in Praef. Medicinae mentis prosequitur.

l) 1687.

m) 1695. cui addita Medicina corporis, quam

obseruationibus illustrauit EL. CAMERARIUS in Medic. recent. conciliatrice.

n) Pag. 290. seqq.

viam quandam facilem aperiret, qua quisque per se ipsum summam perfectionem, cuius homines lumine naturali capaces esse videntur, assequi et habitum sibi comparare possit, veritatem in omnibus rebus proprio Marte detegendi, ac proinde quid sibi sit utile, aut quid noxium sit discernendi. Ad quem finem egregium obtinendum, necessarium esse vidit, vt clare ostenderet, non modo, quid sit faciendum, vel omittendum, sed etiam quo modo. Ita vero intermedia sibi via opus esse iudicauit, inter viam, quae a priori per solas rationes omnia deriuat, et quae a posteriori sola experientia vtitur; ita vt a posteriori incipiatur, tum vero in progressu omnia tantum a priori deriuentur, et vbique per euidentem experientiam cuncta confirmentur, hocque eo vsque continuetur, quousque denuo ad primam experientiam, quae assumpta fuit, reditus fiat. Experientiam ideo facilem, nullis expensis obnoxiam, errori nulli subiectam, id est, illam quae in nobis fit et existit, initio quaerendam statuit, quae nos docet, et nostri, et aliarum rerum nos esse conscios, id est, cogitare, in quo asserendo ita a Cartesio dissentit, vt non hoc sit principium siue res notissima a priori, sed experientia prima et euidentissima, qua conuincamur, cum talia corpori nemo attribuat ad solam hoc mentem pertinere sui consciam. Ex quo experientiam secundam deriuat, quam fundamentum totius nostrae felicitatis esse contendit, quaedam nos bene, quaedam male afficere, quam ab ipsa Scepticorum ἀραγήῃ ultimoque scepticismi fine roborari recte obseruat. Eam autem mentis operationem, quae bene afficientia appetit, male afficientia auersatur, voluntatem esse ostendit. Tertiam experientiam ex eo sumit, quod animaduertat, nihil constantius et melius nos afficere, quam acquisitionem veritatis, indeque totius humanae certitudinis fundamentum, quod sine conscientiae pudore nemo negare possit, oriri, quod quaedam concipere possimus, quaedam non, inde enim veritatis certam normam, et intellectus ideas, et similibus naturam indolemque facile posse cognosci. Cum autem alia magis, alia minus fortiter assensum extorqueant, quarta experientia se discere ait, permulta sibi ab externis aduenire, per sensus, per internas imagines, et per passiones, licet hactenus modum et rationem ignoret. Quam facultatem imaginationem, et id cuius ope talia animaduertuntur, corpus nostrum vocat. His naturalibus experientiis difficultatibus istis se extricasse gloriatur, in quas se coniecere viri docti, qui initio philosophandi facto haec non ab experientia, sed ex definitione cognoscenda esse statuerunt. Quo pacto specialiora scientiarum reliquarum praecepta deinde deriuari posse monet, eo quod ita ab vna veritate ad aliam progredi ultra liceat. Et hinc enata auctori illustri methodus detegendi incognitas veritates, qua percipiendi, concipiendi, imaginandi rationes, differentias et causas describit, et quae concipi possint, id est, simili ratione cogitari ab omnibus, veritatem prodere, quae non possint, impossibilia esse, et absurda statuit; tumque rationem defini-

nitiones condendi, axiomata inueniendi, theoremata noua obtinendi prolixè depingit, et ad generationem alicuius rei potissimum attendendum esse moriet, et quibus regulis id perficiatur, vt primorum conceptuum seriem acquiramus, exponit, et quo pacto ex iis, quae ex ipsa generatione noua alia atque alia resultant, axiomate deducantur, explicat, similiterque circa theorematum generationem et naturam versatur, et quae veritates nouae ex deductis oriri queant, ostendit, eaque ad problemata soluenda applicat, et hac simul ratione Cartesianos methodi canones supplet et illustrat. Vt autem, quae ab erroribus oriuntur impedimenta remoueantur, ad fontem eorum in percipiendi siue imaginandi facultate ° sola quaerendum respicere iubet, et huic origini praeiudicia nos debere affirmat, ideoque imaginationem a veritate inuestiganda remouendam et vocabula definienda esse vult, et characterum in eo usum commendat, ex qua obseruatione algebraici calculi praestantiam concludit: et experientias nouas quaerere et adhibere suadet. Porro cum impedimentum veritatis in eo versetur, quod quae cognita sunt non magni faciamus, ac proinde sit difficile diu haec attente meditari, ea quae ignoramus, admiremur, huic quoque malo medicinam affert, et quia quae non statim vtilia apparent, parum digna inquisitione putamus, hisce quoque remedia parat, sique ex nostra indispositione, quam vocat, impedimentum nascatur, illam remouere docet, atque rectum commodumque tempus ac praeparationem eligere: attentionis quoque deficientis morbum sanat, et quibus modis possit, etiam in longa meditationum serie conseruari explicat, et hac occasione educationis bonae regulas proponit elegantissimas et vtilissimas, sed et illud impedimentum remouere docet, quod ex defectu commoditatis ad exequendam veritatem oritur, et quae inclinationis ad studia in ea re vis sit, ad excogitanda media, quod auxilium in bona methodo, quae via ad subsidia externa ostendit. Tandem in tertia quoque methodi huius parte, modum applicandi delectam veritatem, vt vitam suauiter consumamus, tradit, et heic ante omnia scientias commendat, maxime scientiam naturalem, eo quod ex hac rite explicata omnes alias deriuari credit. Et haec quidem celebris libri summa est, ex qua vasta auctoris doctrina, et meditationes profundae satis cognoscuntur. Cum autem totus scientiis mathematicis se tradidisset, inque iis magnum perfectionis gradum attigisset, totam tractationem exemplis ex mathesi sublimiori petitis illustrauit, et si verum fatendum, logicam nobis mathematicam exhibuit, quae in disciplinis theoreticis methodum pariter et exempla elegantissima exhibet, in morali argumento haud raro friget. Valde acrem censuram in hunc librum exercuit CHR. THOMASIVS ^p, quae magnarum,

inter

o) Concipiendi facultatem intellectui puro, percipiendi impuro siue imaginationi tribuit.
 p) In Dialogis mensuris ann. 1693. m. Mart.

inter vtrumque virum celeberrimum irarum causa fuit: neque id magnopere mirandum, cum haud pauca Thomafius contemneret, quae inter fummas veritates, easque simul vtiliffimas referri poffe Tschirnhaufenius contenderat. Attamen multum fe ex hoc libro profeciffe, in *Praefatione Praxeos logicae* poftea faffus eft. Nec inficiandum pulcherrima multa illuftrem virum cumulaffe, et rationali philofophiae lumen haud contemnendum accendiffe. Qui fi ex habitu disciplinarum mathematicarum ad philofophicas non concludiffet, fi inter vtrafque recte diftinxiffet, fi ad ea refpexiffet quoque, quae in vita humana quotidie occurrunt, et methodo longiori atque mathematica explorari nequeunt, fi intellectus puri et imaginationis limites paulo diftinctius defcripiffet, fi ipfam ratiocinandi artem, legibus methodi adieciffet, non haberemus, quod de perfectione libri praefantiffimi conquereremur, nec forte obfcu-ritas multis ineluctabilis vifa, certe geometriae ignaris ineuitabilis multos ab eius lectione deterruiffet. Poftulat enim lectorem mathematicum et meditationi geometricae affuetum, ex qua fua lumina haufit.

Recentiores qui de emendatione logicae meruerunt alii.

§. XVIII. Poft hunc multi inter Germanos, Belgas, Gallos prodierunt, qui logicam artem nouis commentariis illuftrando, et tum ineptias Peripateticorum perstringendo, tum noua adducendo, de ea pulchre meruerunt. Quos vero hoc loco recensere omnes, efferet hiftoriam literariam logicae fcribere, praefertim cum eorum, qui eminerunt fuis fcriptionibus, mentionem iam in antecedentibus fecerimus. Addi vero, qui defiderantur (inter quos fuo merito palmam alii praeripuit praefantiffimus CROVSZIVS^r), ex catalogis fcriptorum logicae recentioris poffunt, quos contexuerunt Morhofius, Struuius, Walchius, Stollus, libris notiffimis. Tacemus eos, qui hodie magna nominis fama viuunt, et rationalem philofophiam quoque illuftrant, quorum princeps facile hodie eft illuftris Chriftianus Wolfius, ad hos enim diuertere meta nobis pofta obftat. Non tamen praetermittendum hoc loco eft, magnum Britanniae decus, acutiffimus Ioannes Lockius, qui intellectus humani hiftoriae ac culturae ampliffimam lucem accendit. Cuius vitam cum eleganter defcripferit IOANNES CLERICVS^s, potiora et memorabilia ex ea ftrictim enarrabimus, et, quid ei debeat humani intellectus emendatio, circa quam philofophia rationalis verfatur, paucis poftea complectemur.

Vita Io. Lockii.

§. XIX. Tulit acutiffimum et politum IOANNIS LOCKII ingenium, ferax magnorum doctrina virorum Britannia, edidit Wringtonia

q) Appofite hoc obferuat RVDIGERO in Senfu veri et falſi L. II. c. 4. §. 7.

r) Conf. A. G. Erud. 1695. p. 230. MORHOF. Polyhift. L. II. c. 7. §. 15.

s) Debemus ei Syftema logicum Gallice exaratum Amft. 1720. 2. Vol. 8. Conf. Biblioth. choife T. XXIV.

t) l. c. T. VI. p. 342. praefixa quoque operibus Lockii diuerfis Roterod. 1710. 12. editis. Germanice vertit et libro de Educatione liberorum praefixit, S. G. STARCKIUS, Actis philof. Vol. I. pag. 972. fq. quoque inferuit praefantiffimus HEVMANNVS.

tonia anno MDCXXXII, IV. Cal. Sept. fatum parente Ioanne Lockio tribuno militum: qui omnem in hunc filium suum rite atque eleganter educandum curam atque diligentiam conuertit. Emicabat autem in puero iudicium aetate ista tenera maturius, et insolitus sciendi discendique ardor; Londinensi ideo scholae traditus est, vt disciplinarum semina in hoc agro foecundo spargerentur. Quae cum laetam segetem ostenderent, ad vrgendam messem plenissimam anno MDCLII in Oxoniensem academiam missus et collegio ecclesiae Christi adscriptus est. Quo loco positus cum incomparabili ingenii bonitati et excellentiae diligentiam naturae dotibus non minorem iungeret, mature omnes, qui illud cum ipso literarum stadium ingressi erant anteuertit. Ast infelicitati eius temporis adscribendum est, quod cum tam praeclaram indolem ad scientiarum culturam attulisset, in tricis scholis tum vfitatis fuerit detentus. Quarum vsum se habiturum nullum, neque desiderio sciendi, quod immensum alebat, facere posse fatis, quae tum in ea schola tradebantur, intelligens, magno vitae academicae taedio captus est. Lumina intellectus enim quae-rebat, quae cum se consequi posse desperaret, eo quod nihil esse in proprio fundo crederet, quo disciplina literarum iuuari posset, nec chaos Peripatetico-Scholasticae philosophiae aliquid ad formandum ingenium afferret, aliud animo alimentum quaesivit, et consuetudine hominum nonnullorum ingenii festiuitate magis, quam doctrina conspicuorum vti coepit. Et tum eam cogitandi scribendique facilitatem et elegantiam sensim didicit, ob quam postea multis admirationi fuit, et imprimis cum facundissimis epistolographis comparatus est. Atque his quidem ingenii nutrimentis animum dum alebat, exercitationes academicas autem, quas vtilitate carere vidit, negligebat, eo quod in disputationibus ostentationem tantum ferendorumque bellorum studium formari iuuarique obseruaret, mirum tamen est, quod inter Oxonienses non sine doctrinae opinione et auctoritate vixerit. Primus autem, quo dispelli posse intellectus tenebras sentiebat, ipsi auctor fuit Cartesius. Licet enim eius decretis nunquam subscripserit, et haud pauca eius passim reprehenderit, vehementer tamen cepit eum differendi cogitandique claritas, cuius eum fructum retulit, vt ignorantiae suae prioris causam non in ipso, sed in auctoribus quos legerat et audiuerat, quaereret, sicque desperationem illam abiiciendo, nouis stimulis ad prosequendum studiorum cursum accenderetur. Immerfit itaque se iterum disciplinis atque imprimis arti salutari se tradidit, quam tamen nunquam postea quaestus causa exercuit, cum ad praxin clinicam vires corporis non satis sufficere comperisset. Omnem tamen medendi artem accurate complexus est, et summorum in ea viro- rum amicitiam hoc nomine meruit. Cuius specimen quod ex Sydenhamii testimonio adduxit Clericus, apud ipsum legi meretur, in quo eo, siue ingenio iudicioque acri et subaecto, siue etiam antiquis, hoc est, optimis moribus, vix superiorem quemquam, inter eos, qui nunc sunt ho-

Gg g g 2

mines

mines repertum iri, paucissimos certe pares ille pronuntiat. Nunquam vero summos in arte medica honores poposcit, titulo magistri artium contentus. Anno MDCCLXIV itinere excolendum animum augendasque ingenii vires ratus, cum legato Britanniae regis in Germaniam ad aulam Brandeburgicam concessit, et ex hominum conuersatione, velut viuo quodam libro, naturam hominis perdiscere studuit. Anno vno peracto ad patrios lares reuersus ad Oxonienses quidem Musas denuo accurrit, at non aridis speculationibus, sed foecundis naturalis philosophiae meditationibus diligentiam curamque suam addixit. Ibi felicitas ei contigit, vt magno postea Angliae cancellario, comiti Shaftesburio ⁿ, innotesceret, et sanitatis eius curam aliquam ageret. Cui viro illustrissimo cum ingenium contigisset vastum et insolens, quodque et iudicandae solertia, et memoriae excellentia et viua quadam imaginationis alacritate facile omnes superabat, mira autem animi iucunditas et decora quaedam festiuitas, eum omnibus faceret gratissimum, lectio tandem et experientia rerum etiam summarum incomparabilis illius animo infideret, isque se facilem, apertum commodumque omnibus praeberet, dici non potest, quanta animi laetitia consuetudinem huius maximi viri Lockius amplexus sit; qui cum totus eius admiratione occuparetur, in vastissimo ingenio et rarissimo praestantiae exemplo inuenit, ex quo maxima emolumenta animi indies crescentis capere posset. Attulit quoque ad tanti viri amicitiam Lockius ingenium solers, et erectum, iudicium acre, candoremque animi, secundum veros philosophiae characteres expressum, quibus velut vinculis ita maximi viri amorem sibi vindicauit, vt ad vitae finem perduraret. Valde enim Lockii conuersatione gaudebat vir illustrissimus, vbi semel praestantissimas, quae ei inerant, animi dotes intellexerat, vnde non ad acidulas tantum hauriendas, sed Londinum quoque eum secum deduxit, et in domum atque familiam suam receptum adeo carum habuit, vt salutis suae curam ei traderet, quae adeo feliciter Lockio cessit, vt ex pectoris vlcere cum vitae periculo decumbentem a ferali malo liberaret. Id quod totum Shaftesburium illi conciliauit, praesertim cum eruditionem vinceret ingenii animique praestantia. Quam distrahi et impediri praxis clinicae strepitu videns ille, non concessit, vt medicinam extra domum suam faceret, sed vt ad rerum ciuilium et ecclesiasticarum intelligentiam animi perspicaciam conuerteret, illi auctor fuit: eo euentu, vt vir summus dignum eum haberet, quem quauis fere occasione sublata sententiam suam rogaret, etiam de rebus maximis, secum autem in conelau atque bibliotheca haberet, et aditum apud summos reipublicae, qui tum in insula ciuili prudentia eminebant, heroës, Ducem Buckinghamiae, Halafaxium aliosque pararet, quibus se conuersandi iucunditate et doctrinae copia

ⁿ) Vid. Memoires pour seruir a la vie d'Antoine Asley Comte du Shaftesbury, et Grand-Chancelier d'Angleterre sous Charles II. tirées

des papiers de feu Mr. Locke et redigées par le Clerc, Bibl. choisie T. VII. p. 146. Oeuvres diuerses de Mr. Locke p. 407. seqq.

copia Lockius valde commendauit, eo quod ingenii festiuitatem morum feueritati et cultui, quem maximis uiris debebat, eleganter iungere noffet, et natiuam in eo conuerfationis genere indolem atque libertatem quandam decore expreffam oftenderet. Anno MDCLXVIII eum fibi itineris in Galliam fufcipiendi comitem afciuit Northumbriae comes cum coniuge, apud quam perfitit, cum comes Romam excurreret. Qui cum praematurato fato extingueretur, cum hera domum Lockius rediit, occafionem in eo itinere nactus multa, duce experientia difcendi. Reducem in domum moecenas priftinus recepit, filiique vnici institutioni moribusque regendis praefecit. Quod tanta fide, tanta prudentia perfecit, vt matrimonii filio contrahendi curam parens vni Lockio committeret: felici fatis exoptatoque fuceffu. In hoc itaque feceffu cum philofophandi otium aliquot fuppeteret, anno MDCLXX. de intellectus humani natura, uiribus, facultatibus, et operationibus cogitare coepit, cum ex colloquio eo de argumento habito intellexiffent amici, quam fingulari illud lumine poffet illuftrari, vnde eum rogarunt, vt meditationes fuas in chartam coniceret. Quorum confilio paruit quidem, abfoluere tamen, quae coeperat impeditus ab occupationibus aliis non potuit. Ita uero percrebuit fama eruditionis Lockianae, vt circa hoc tempus albo focietatis regiae plaudentibus omnibus adfcriberetur. Anno porro MDCLXXII, quo Angliae magnus cancellarius, quem uocant, herus eius renunciatus eft, ab eo muneri fecretarii beneficiorum offerendorum v praefectus eft; aft cum regis ille indignationem anno fequente meruiffet, et regni figillum redderet, fulmina aulae Lockius quoque expertus eft, qui cum moecenati factionis, quae tum in aula regnabat, et fatalis libertati et religioni uidebatur, infidias genti tum Britannorum haud obfeure detexit w. Anno tamen fequenti regis recuperatoribus de commerciis difquirentibus additus eft, vt illis a commentariis v effet; quod munus anno MDCLXXIV decurrente iterum expirauit. Id licet reditus Lockio eriperet, non fine fanitatis tamen commodo ei accidit. Cum enim phthifin metueret, heri fui confilio fumtibusque iter literarium fufcepit, Montempeffulanum uero elegit, ubi moram diu fecit, vfus amicitia comitis Pembrockii, quem ob uaftam philofophiae cognitionem uehementer laudat, et hunc fibi operis de intellectu humano *εργολογία* fuiiffe in infcriptione libri fatetur. Deinde ad Parifienses feceffit, magnorumque uirorum conuerfatione et colloquiis gauifus eft, inter quos Iuftellum et Tornardum laudat Clericus. Et tum quidem facrorum oraculorum ftudio, maxime noui foederis, laudatiffimo confilio animum adduxit. Reconciliato cum aula Schaftesburio comite, et fanctiori regis concilio praefecto, Londinum anno MDCLXXIX Lockius reuocatus eft, totus tamen fanitati nondum

G g g g 3 restitu-

v) Secetaire de la prefentation des benefices.
w) Conf. ВУНДТ. Hift. fui temp. Tom. II. p. 583. Verf. Germ.

x) Secetaire de la commiffion touchant les commerces.

restitutus, et asthma quodam grauatus, quo factum, vt diu in vrbe persistere non posset, sed ad hauriendum puriorem aërem subinde rus excurrere cogeretur. Ast cum nouo odio herus eius premeretur, quod eum arci primum Londinensi incluserat, et coëgit postea, exilio spontaneo ad Batauos concedere, vbi a principe Arauionensi, qui summa rerum potestis in Britannia potitus est, beneuole est exceptus; Lockius de securitate in patria desperans, illum secutus est, Amstelodami sedem, anno MDCLXXXIII expirante figens. Ibi et medicis et theologis Remonstrantium Limborchio atque Clerico amicitia innotuit, opusque *de Intellectu humano* perfecit: Domi autem cum regi inuisus esset factus, illius iussu ex albo collegii ecclesiae Christi Oxoniae, frustra intercedente episcopo eius urbis Ioanne Fello, nomen eius deletum est. Veniam tamen post mortem regis, a Iacobo rege obtinisset, nisi amicos eam rogare impedisset, nihil se admisisse testatus, cuius deprecari veniam opus haberet: at vix insidias aulae tum euasit, cum eius capiendi et in Angliam mittendi mandatum rex dedisset, vnde aliquamdiu latere apud amicos coactus est. In hac mora epistolam *de Tolerantia* ad Limborchium scripsit, eo quod in haud paucis Remonstrantium dogmata illi placerent. Anno sequente autem cum abesse eum a seditionis consiliis omnibus apertum esset, iterum publice comparuit, tempusque et libellis exiguis scribendis, et mora Ultraiectina, et colloquiis eruditorum hebdomatim institutis sefellit. Ipse confecto operis de intellectu humano compendio, Clerici opera usus est, vt in *Bibliotheca vniuersali* y vulgari posset, quo dici vix potest, quantum videndi ipsius libri desiderium apud philosophiae maturae sobriaeque cultores accenderit. Tandem notissima rerum Anglicarum conuersione duce Guilelmo Arauionensium principe anno MDCLXXXIX facta, libertatem quoque redeundi in patriam Lockius nactus, eaque laetus usus est. Tunc etiam in insulam rediit et magnorum virorum amicitia frui coepit, qua ad munera haud leuia aditum sibi parare potuisset, nisi modico viuere maluisset. Delegatis itaque ad appellationes adscriptus est, quo in munere vacare quoque literis et philosophiae licebat. Etiam legati regii caractere fungi potuisset, quo pacto serenior auram in peregrina terra haurire se posse ob pectoris infirmitatem, sperare poterat, nisi fanitatis ratio id ipsum illi valde timido dissuasisset. Vt vero se vtilem domi exteris quoque exhiberet, anno MDCXCIV opus diu meditatatum, auctum, politum, *de Intellectu humano* vernaculo sermone vulgavit, quod tanto philosophantium plausu fauoreque exceptum est, vt anno MDCXCVII et MDCC recuderetur, et cum Gallice a Costeo, ipso auctore dirigente et inspiciente, tum Latine anno sequente a Burridgio, sed minus feliciter, verteretur. Ipse tamen, vt erat veritatis amantissimus, semper lambendo, emendando, perficiendo opus absoluere magis conatus est, quibus augmentis se commendat editio anni MDCCVI. Epitomen autem libri

Anglico

y) T. VIII. Janv. 1688. p. 49. seqq.

Anglico sermone ^z dedit Wynnus. Prodiit quoque eodem anno liber *de Imperio civili*, qui Gallica quoque veste comparuit, in quo despotismo absoluto neruos incidere studuit. Vitae, quae restabat, partem conuersioni cum uiris summis et non dignitate modo, sed ingenio etiam et rerum usu excellentissimis destinans, honestissimam uiuendi dulcedinem in humanitate ista posuit: maxime uero Pembrockio comite familiariter usus est. In cuius praediis tum degere solebat, cum grauior in vrbe aer pectus infestaret. Qui eum tandem coegit Londinum relinquere, et ad Mashamum equitem concedere, qui in agro ualde salubri * habitabat. Ibi et ipsius hospitis, uiri elegantis et humani beneuolentia, et uxoris eius, acutissimi Cudworthi filiae, eruditione et acumine philosophico, quod supra † iam depraedicauius, et loci commoditate, atque salubritate in infirma ualitudine ualde sustentatus est. In hoc secessu legendo, meditando, scribendo tempus consumpsit, raro Londinum per aestatem excurrens, debemusque huic otio librum *de Educatione liberorum*, bonae frugis plenum, et ideo in plerisque Europae linguis expressum, itemque tertiam *de Tolerantia* epistolam. Cumque emendandae utilitatis commercii per Britanniae regnum rationem peculiari studio haberet, de refingenda et ad iustum pretium reuocanda moneta considerationes profundas nutriuit. Quarum necessitatem cum peculiari schediasmate explicuisset, anno MDCXCV, quo ista pestis tandem oculos senatus regni perstrinxit, malo remedium quaesitum, Lockius autem, cuius iudicii aciem non minus in rebus ad civilem prudentiam et reipublicae administrationem, pertinentibus quam in disciplinis theoreticis se prodere inde constabat, collegio delegatorum ad commerciorum et coloniarum res curandas, mille librarum Anglicarum stipendio adscriptus est. Cui muneri ad annum MDCXC maxima cum laude et diligentiae atque attentionis prudentis testimonio praefuit, tum uero sanitate eius urbis aerem grauiorem non ferente, aegre consentiente rege id deposuit. Eodem anno MDCXCV Anglico sermone prodire iussit, *Christianismum rationi maxime conformem*, in quo erudito libro id demonstrare aggressus est, nihil esse in Christianae religionis decretis, quae in scripturis diuinis definiuntur, quod notionibus ueris, certis, accuratis rationis esset contrarium. Quae commentatio illi aduersarios haud paucos cumulauit, inuidiam addente eorum audacia, qui proscribere ex doctrina Christianorum mysteria omnia, et rationis notionibus ultra limites protrusis, sacrosanctae triados dogma conculcare ausi sunt, id quod praeter Vnitarios nonnullos fecisse Tolandum, scriptorem audacissimum, neminem latet. Hi cum post carecta Lockii ex parte latere cuperent, rationibus nonnullis usi, quas ille in laudato commentario attulerat, accensus est theologorum zelus, ut in Lockium quoque, uelut frigidam reuelationis hostibus suffundentem theologi infurgerent. Hinc praeter Samuelem

z) Eleganter uersa est, sermone Gallico.

†) In uita Leibnizii.

*) Oates dicto 20. mill. Londino distante.

muellem Bernardum, magni nominis et praeclaræ eruditionis theologus Eduardus Stillingfleet episcopus Worcestriensis, cum aduersus Vnitarios trinitatis mysterium defenderet, notionem de substantia Lockianam examinavit et reprobavit, eo quod *ἐρεγδοξώρεσιν* esse crederet. Ex quo liticula inter episcopum et Lockium enata est, et controuersiae reciprocatio, qua ter episcopo Lockius respondit, cuius eo de argumento scriptiunculae, etiam Icanni Edwardo oppositae alteri parti editionis Gallicae operis de I. H. anno MDCCIII excusae adiectae leguntur. In qua controuersia alibi prolixius enarranda ^a episcopum lectionis copia, Lockium philosophiae vsu excelluisse, plurimis visum est ^b, licet Socinianorum partibus nimium hunc fauisse contenderint haud pauci ^c, et inter hos praecipue Ioannes Eduardus ^d, cuius vehementiae valde indignatur Clericus. Hisce laboribus dum corpus senii et morborum incommodis fractum exhauriebat Lockius, imminentem tandem ruinam anno MDCCXVII sensit, cum tempestate frigida ad salutandum regem, qui colloquium eius desiderabat, Londinum concessisset. Adeo enim ab eo tempore asthma compressus est, vt tandem *ὀρθοπνοϊκός* euaderet. Vt itaque aeternitati feliciter suscipiendae se praepareret, studium diuinorum oraculorum, quod ab aliquot annis elegerat, gnauiter vsit, cuius fructus post eius fata nonnulli commentarii vel paraphrasae potius in epistolas ad Galatas, Romanos, Corinthios et Ephesios prodire. Ita vero mali vis sensim inualuit, vt in vltimo vitae anno ob virium debilitatem neque legere multa, neque scribere quicquam posset, quare, mentis acie morbi vehementia non suppressa, tempus omne pietati fouendae tribuit, sicque indies decrescentibus corporis viribus, inter preces Mashamiae coniugis et familiae spiritum Deo reddidit V. cal. Nou. st. v. anno MDCCIV, aetatis septuagesimo tertio. Pulchris eum depingit coloribus, nonnemo, qui eum intime nouerat apud CLERICVM ^e qui cum egregie in ea re sit versatus, ipse legi meretur. Laudat is maximam philosophiae notitiam libere et sine praedudiciis in grauissimis etiam reuelationis argumentis demonstratam, iudicandi solertiam, penetrationem et accuratorem, meditationis profunditatem, doctrinam in elegantioribus literis praeclare versatam, viuendi consuetudinem, pulchram et ab omni paedagogico fastu alienam, veritatis amorem, colloquiorum dulcedinem, vitae ciuilibus prudentiam, morum ciuilitatem, seriam et accuratam, et in ipsa tamen seueritate iucundam et maximis quoque viris commendatam, caritatem erga pauperes ipso opere demonstratam, irae rationis ope moderationem, silentii et amicitiae fidem, diligentiae, quantam sanitatis constitutio permitteret, contentionem, victus continentiam, morborum patientiam, utilitatem

a) Accurate rem omnem librosque huc pertinentes exponit BYDDREVS Isag. in Hist. theolog. L. II. c. 7. p. 1294. seqq. b) CLERICVS I. c.

c) POIRETT. Opp. posthum. p. 87. item Auctor fidei et rationis collatae.

d) Scripta huc pertinentia enumerant magni nominis theologi BYDDREVS I. c. p. 1296. PFAFFIVS Intrad. in Hist. lit. theol. P. II. p. 332.

e) Loc. cit.

litatem ex scriptis eius ad humanam societatem redundantem. Ipse in epitaphio, quod sibi posuit, talem se fuisse ait, qui mediocritate sua contentus vixerit, literis innutritus eousque tantum profecerit, ut veritati vnice litaret. Quibus sane ingenii animique virtutibus cum maximis in orbe philosophico heroibus meruit comparari.

§. XX. Multum debet rationalis philosophia Lockio ob librum *de Intellectu humano*, cuius literariam historiam cum fufe prosequutus fuerit B. GOTTL. KRAVSIVS ^f, breuitatis studio lectorem ad eum dimittimus. Ipsum opus nouum intellectus humani explicati et delineati aedificium sistit, quod non modo in Platone et Aristotele, sed in Cartesio quoque, Gassendo aliisque recentioribus, qui ante Lockium scripsere, frustra quaeras. Abiecit enim omnes omnino opiniones, et ex consideratione humani intellectus et conscientia sua philosophandum esse censuit. Vnde humani intellectus historiam non inepte appellaueris, non ex libris sed experientia interna conscriptam, qua de re digna est, quae legatur ipsius auctoris praefatio, quae nonnulla quoque illustrat, quae ei obiecta sunt, et aliquos offendere poterant. Libris opus praestantissimum quatuor distinxit acutissimus philosophus, et primo quidem de ideis innatis disputat, et nec speculatiua axiomata, nec practica innata esse intellectui humano magno acumine demonstrat. Libro secundo in idearum originem inquit, easque vel ex reflexione, vel ex sensatione ab obiectis externis ortas omnes esse, animam quoque non semper cogitare argumentis multis ab experientia sensuque desumptis probat. Tum de natura idearum simplicium, deque ideis vnus tantum sensus ministerio genitis differit, qualis est soliditatis idea, quam ab extensione subtiliter distinguit, ideas porro ex pluribus sensibus, itemque ex reflexione et attentione ad se ipsum exsurgentes, quales sunt ideae intellectus et voluntatis, exponit, eas quoque non negligit, quae ex vtroque fonte prodeunt, vbi de idea doloris, voluptatis existentiae, vnitatis, potentiae, successione subtilissime philosophatur, et qua ratione qualitates primae et secundae ad cognitionem humanam se habeant, erudite prosequitur. Tum perceptionem, memoriam, contemplationem, attentionem aliaque ad memoriam pertinentia considerat, et idearum quoque compositionem et distinctionem, ideas complexas modosque, et imprimis relationes describit: Ad modorum simplicium tractationem delatus, ideas spatii, corporis, extensionis, substantiae, accidentis, temporis, durationis, expansionis, loci, numeri, finiti et infiniti, aeternitatis curiose peruestigat, modos quoque ex sensibus oriundos, et qui vel cogitationem vel voluptatem et dolorem fontes agnoscunt, in partes vocat: quidque potentia siue facultas sit, docet, hacque occasione quid sibi de facultatibus intellectus, voluntatis, libertatis, necessi-

*Lockii liber
de intellectu
humano.*

f) In Historia literaria Germanice edita P. I. art. 1.

necessitatis videatur, et qua ratione se humana mens [in his omnibus ad operationem deducendis habeat, suas meditationes fecutus proponit. Sequuntur modi mixti, ideae substantiarum complexae, collectiuae, relationum, causae et effectus, identitatis et diuersitatis, et principii indiuiduationis, atque personalitatis, relationum moralium, clarae, obscurae, distinctae, confusae, reales, fictae, completae, incompletae, verae et falsae; in quibus omnibus non in se tantum, sed etiam ratione obiecti circa quod versantur considerandis, nec copiosiores, nec accuratiores, nec curiosiores ante se vllum habet, et multa affert, aliis nunquam obseruata, vel leuiter tantum tacta. Qualis est associatio idearum, quod intellectus humani mysterium miro lumine perfudit. Libro tertio voces, quibus ideae designantur considerat, et omnium fere generum idearum nomina percurrit, quae ratione ab ipsis ideis discrepent, quae impedimenta intellectui inde oriantur, quibusque regulis determinari accurate debeant, edisserit, ne particulis quidem exceptis, maxime vero pulcherrima tractatione de vocum nominumque imperfectione, et abusu, de inani subtilitate, de vocibus vagis, obscuris, nihili, indeterminatae significationis, etc. multa praeclara monet, et remedia sufficientia enumerat. Librum quartum cognitioni humani intellectus examinandae destinat, eiusque naturam, gradus, limites, realitatem definit; quidque veritas sit, quae propositiones vniuersales earumque criteria certa, quae axiomata, euoluit, propositiones quoque friuolas, quae plane nihil cognitionem humanam adiuuant, quales sunt identicae, verbales tantum, similesque tangit. Tum ad obiecta, circa quae versatur humani intellectus cognitio conuersus, explorat, quaque ratione cognoscamus existentiam nostram, itemque Dei, tum rerum extra nos, determinat, et media augendae cognitionis humanae suppeditat, ex quorum numero axiomata et hypotheses excludit, et pleraque ad idearum certarum, clararumque comparisonem reuocat, attentionem vero commendat. Affectiones etiam cognitionis, iudicium, probabilitatem, eiusque gradus determinat, quidque ratio sit, quid fides, qui vtriusque limites, fufe persequitur. Morbos vero intellectus, enthusiasmum, siue opinionem friuolam ratione et reuelatione destitutum, quae pro diuinitus enata habetur, erroremque describit. Epilogi loco scientias in phycas, practicas et signorum cognitionem partitur. Et haec breuis quidem celeberrimi libri summa est, in quo innumera pulchra, bona, vera et vtilissima, quamuis plerisque hactenus non obseruata esse, vnanimi consensu orbis eruditus censuit. Ast cum sua tantum lumina, et maxime suam conscientiam adhiberet Lockius, quo fieri non potuit vt non multoties ab omnibus philosophis discederet, et nouas obseruationes atque opiniones stabiliret, multa quoque, necesse fuit, magnis viris aliis hypothefibus occupatis displicere. Inter quos heic, vbi strictim omnia proponenda sunt, non tantum PETRVS POIRETVS s fuit, qui

g) Opusc. posthum. Sect. V. p. 172. qui rationalismum et naturalismum ei obicit, et quae confingenda sunt in philosophia Lockii, persequitur.

qui longe aliud sibi intellectus humani systema formauerat, et periculosas fidei et illuminationi assertiones Lockii esse statuebat, sed et illustris LEIBNIZIVS ^b magnus cetera, vt solebat vir summus aequissimum se meritis virorum doctorum tribuere, Lockianae eruditionis laudator. Is quamvis concederet, recte reiecit Lockium ideas innatas Cartesianorum, ideam tamen identitatis, et contradictionis natura homini adesse monet, alias quoque, quam Lockius, idearum verarum et realium notiones sibi fingit, ideasque nostras, etiam sensuales, ex fundo animae progredi, magisque per reminiscentiam quandam, quam sensuum impressionem acquiri contendit, parum autem probauisse Lockium obseruat, animam interdum nunquam cogitare, quod cogitationem cum perceptionibus distinctis confuderit. Nec probare potest, quod spatium et vacuum distinxerit, hocque ex motu probare voluerit, materiam ex partibus duris tantum et inflexibilibus constantem concipiendo; nec placent ei meditationes Lockii de infinito, de ideis adaequatis, quaeque de definitionibus nominalibus et realibus, et de axiomatibus disseruit, quodque formam syllogisticam logicae communis inutilem pronunciauerit. Quam censuram minus aequae pertulisse Lockium, eiusque amicos Molinaeum, Clericumque, supra in Leibnizii vita iam obseruauimus. Quamuis autem nihil inesse libro huic, quod non veritate nitatur, ipse auctor statuat, et imprimis laudent admiratores Lockii, quod abesse iussa metaphysica imaginaria et hypothesebus suffulta, ad naturam et conscientiam hominis ipsamque experientiam attenderit, ob quam praestantiam innumeros in gente sua sectatores Lockium habuisse refert CL. DES MAIZEAUX ⁱ, inuenerunt tamen alii quoque viri docti et attenti quod reprehenderent ^k. Et nonnullis quidem minus multa, quibusdam nimis pauca scripsisse visus est, quibus vtrisque in praefatione satis fecit Lockius. Magis memorandum est, quod vehementer in eo quidam reprehenderunt, erroneas eum de intellectus et voluntatis facultatibus inter se distinguendis opiniones fuisse secutum, speculationes haud paucas attulisse, quae in inuestiganda veritate vsum nullum habeant, libertatem minime accurate definiuisse, et quod ad methodum attinet, multa inutiliter repetiisse, obscuris lucem, exemplis additis non conciliaisse, in nonnullis tamen verborum praeter necessitatem fuisse, et quae his similia sunt. Quae an vera sint omnia, et qua ratione in Lockio vel excusari vel defendi possint, nostrum hoc loco non est, dispicere. Addimus id vnum, inter opuscula diuersa Lockii, extare quoque *Collectionem obseruationum de intellectu circa inquirendam veritatem rite adhibendo*, in quibus multa attulit, in opere *de intellectu humano* praetermissa, et amplissimam lucem ratiocinanti intellectui humano accendere aptissima. Prodiere opera Lockii omnia Londini M D C C X I V.

Hh hh 2

CAPVT

h) Recueil. T. II. p. 143. seq.

i) Praef. collect. Epist. Clarkii, Newtoni, Lockii.

k) Conf. THOMAS. Cautel, c. X. p. 130. Fund.

L. N. et G. L. II. c. 12. p. 144. WALCH. Parerg. Acad. p. 672. STOLLIVS Hist. liter. P. II. c. 2. §. 34. p. 453. Add. quos nominat FABRIC, Syll. script. de V. R. C. p. 333.

CAPVT SECVNDVM
DE EMENDATA AVCTA QVE
PHILOSOPHIA NATVRALI.

§. I.

*Dicendorum
ordo et ratio.*

Maturius laetiusque, quam reliquis philosophiae partibus naturali disciplinae contigit, vt emendatos vultus et augmenta maxime conspicua caperet. Adeo enim deterruere sapientiae studiosos steriles campi, et dumetis scitentia scholasticae physicae deserta, vt ad foecundiores et amoeniores agros plerique, quibus de meliori luto Titan praecordia finxerat, properarent, et elegantiorum disciplinae nobilissimae tractationem molirentur. Factum id esse mature post renatas literas luculentis exemplis in antecedentibus demonstratum, maxime vero obseruatum est, ad finem vergente seculo XVI. in hanc scientiam meliori facie reformandam citatis pedibus concurrisse excellentissima ingenia signum cum aliis paucis praefereute Bernardino Telesio, cum quae Cardanus similesque moliti erant, euentum fere nullum habuissent. Ab eo enim tempore nouatores, (qua voce sectariorum indignatio a philosophorum plebeiorem gregi eos discreuerat, qui naturam ipsam, quam veterem aliquem philosophum consulere maluerunt) aliam viam, quam quae iam calcata erat, ingredi ausi sunt; quamuis non deessent, qui Parmenideam, Platoniam, Ionicam, Stoicam, Epicuream physicam resuscitarent, quorum omnium conatus in *antecedente huius tomi parte* luculenter descripsimus. In varias autem sententias mireque inter se distantes semitas eos discessisse, qui a sectaria philosophia dissentire in naturali disciplina coeperunt, ex haecenus dictis lectori obscurum esse non potest. Nonnulli enim, cum sectariam physicam detestarentur, ad diuiniorum quandam naturalium operum declarationem confugerunt, et principia nobis diuina, spiritualia, et vel ex Mose, vel ex alio fonte a ratione deuiante hausta commendauerunt, mirum naturalis disciplinae aedificium, cuius fundamentum emanatio ex Deo, finis enthusiasmus esset, comminifcentes. Quales Physicos fuisse, qui philosophiam Cabbalisticam, Mosaicam, theosophicam excogitarunt, ex instituto ostendimus, et inepta horum hominum systemata de rebus ad naturam mundi eiusque partium pertinentibus fuisse descripsimus. Quae physicae diuinae, (huius enim furfuris se esse iactabat) absurditas etsi facile poterat a plerisque, paulo attentioribus palpari, miros tamen progressus habuit, ex quo paradoxum Theophrasti Paracelsi ingenium ineptiis non quidem medelam, attamen colorem et commendationem attulit. Is enim cum ignis beneficio corpora naturalia soluere, et
chemiae

chemiae opera in eorum naturam penetrare egregie nosset, principiis vagis et ineptis magnam verisimilitudinem media chemica maxime quae ex Mercurio et Opio parauerat, illis adaptando comparauit. Cuius scholae Paracelsicae historiam cum etiam in antecedentibus enucleauerimus, ea, quae de Paracelsi et sequacium opinionibus de rebus naturalibus exposita iam sunt, in naturalis scientiae historia repeti hic non possunt. Sed et tertium philosophorum genus prolixè enarrauimus, quod abiecta seruitute sua libertate frui et eclectice philosophari coepit. Cuius generis philosophiae antesignanos Brunum Nolanum, Cardanum, Verulamium, Campanellam, Hobbesium, Cartesium, Leibnizium, Thomafium, cum in scenam produceremus, occasio nobis enata est, de placitis eorum physicis simul differendi. Et hoc quidem pacto haud exiguam naturalis philosophiae partem historica enarratione iam explicuimus. Non tamen ista scopo nostro sufficere, nec plena fatis esse, ut intelligatur, quibus successibus emendare physicam philosophiae partem viri docti aggressi sint, quid in ea perfererint, et intelligimus ipsi et vltro fatemur: sunt enim praeter ea innumera, quae a magnae perspicaciae philosophis detecta sunt, quibus in amplissima luce collocata est doctrina naturalis. Quae non quidem omnia integra systemata concernunt, aut per pleraque tamen capita specialia infinita noua, rerum naturalium explicationi adiecerunt. Praecipue ex quo magni Verulamii opera, orbis philosophicus in hac doctrinae parte desipere desiit, et proscriptis spectris naturales eius vultus experimentorum, igne ferroque tentatorum, itemque scientiarum mathematicarum ope restituti et eleganter ornati sunt. Et in his quidem strictim enarrandis capituli huius tractatio versabitur. Quam tamen, si, ut ipsi optamus, dare constitutum haberemus, volumen, integro recentioris historiae philosophicae complexu non inferius exurgeret; nam et vitae atque meritorum ratio, qua eminere tot disciplinae naturalis cultores enarranda esset, et per amplissimum campum discurrendo ostendendum, quid per omnes rerum naturalium classes detectum sit, quomodo de causis rerum naturalium praeceperint viri magni et naturae sacerdotes doctissimi, quibus experimentorum auxiliis, et obseruationum indicibus ad certa, quae recepta tandem sunt, dogmata peruenerint, quae comperta sint, quae lateant, de quibus desperandum sit, in quibus oleum operam physici perdidit, quibus institutis cognitio naturae adiuta sit, et quae sexcenta alia sunt, quae ad physices accuratam et specialem historiam pertinent. Qualis tractatio, quam longe a scopo et limitibus nostris absit, quilibet intelligit, nec a nobis hanc prolixitatem expectabit. Relinquemus itaque historiae doctrinae naturalis explicationem dogmaticam eamque specialem aliis, vehementer autem cohortamur, viros in hac nobilissima parte egregie versatos, ut annales eius dogmaticos tandem aliquando conscribant, ut, quas veritates aetas nostra detexerit, quae detegendae adhuc sint, constet, et eo felicius in amplissimo hoc oceano emetiendo studium posteritatis versari queat. Nostra vero in eo tantum occu-

Hh hh 3 pabitur

pabatur industria, vt strictim summa attingamus capita, quae emendatam nobis physicam referunt, et eorum philosophorum res paucis perstringamus, qui agmen duxerunt, et quorum nomina, cum meritis in philosophiam naturalem maximis immortalitatem meruerint, omittere in hac nostra tractatione haud licet. Reliquorum enim, etsi in hoc argumento magnam famam consecutorum memorias tradere huius loci non est, fontes autem nominabimus, ex quibus notitia eorum fatis ampla hauriri queat. Idem etiam in obseruationibus recentioris aetatis designandis faciemus, cum eas integras adducere, nec scriptionis modus, nec tractationis limites permittant. Ita vero sine nostro ductu lectori facili labore licebit, fatis amplam sua diligentia physicae partis historiam congerere. Commendamus autem diligentissimi MORHOFII^a, et imprimis praestantissimi HOLLMANNI^b labores, quorum vterque quid per potiora naturalis disciplinae capita viri docti obserauerint, strictim at curiose et erudite enarrauit.

*Exempla
nouatorum
physicae.*

*Nathaneel
Carpentarius.*

*Redemptus
Baranzanus.*

§. II. Reliquerunt tenebras philosophiae sectariae naturalis mature non illi modo, qui omnem philosophiam emendare aggressi sunt: sed fuerunt quoque nonnulli disciplinae tantum physicae intenti, qui sobrie magis atque caste de natura rerum in hoc mundo comprehensarum statuere coeperunt. Multis id posset exemplis illustrari, si per varias Europae gentes eundo particularem istam virorum doctorum diligentiam perquirere vellemus; at sufficient pauca, vt de rei veritate constet, Nathaneelis Carpentarii, Redempti Baranzani, Bernardi Paliffi, Guilelmi Gilberti, Ioannis Espagneti, quorum haud incelebre in naturali scientia nomen est. CARPENTARIUM Deuonia Angliae genuit parente Ioanne satum, educauere academiae Britannicae in theologia, antiquitate et philosophia, fouit Vfferius archiepiscopus Armachanus, muneri praefecit Hibernia, viuis eripuit annus MDCXXVIII, memoriam eius conseruauit ANTONIVS WOODIVS^c. Magno is animo a receptis scholarum opinionibus declinauit, edita, *Philosophia libera, triplici exercitationum decade proposita, in quae aduersus huius temporis philosophos dogmata quaedam noua discutiuntur*^d. In quo libro paradoxa plurima a receptis scholarum definitionibus abeuntia explicantur, et dogmata physica haud pauca innouantur. Talia sunt, non dari notitias naturales, locum esse nihil, elementa esse graua, omnium rerum ortum esse ex nihilo, sensus fallere fallique non posse, ignem esse humidum, cometas non esse meteo-
ra incensa, et similia^e. REDEMTVS BARANZANVS Serual-
lam dioeceseos Vercellensis patriam habuit, Barnabitarum religionem am-
plexus,

a) Is laudabili industria, licet interdum ex-
temporali alterum Polyhistoris sui tomum, hi-
storia dogmatica philosophiae naturalis repleuit.
b) Quemadmodum vir eruditissimus in Instit.
physicis, plerorumque recentiorum hypotheses,
explorauit, et quid verisimile sit, detexit, ita co-

piose quoque fontes nominauit, ex quibus plura
hauriri queant.

c) In Athenis Oxoniensibus.

d) Oxon. 1635. Lond. 1672. 8.

e) Conf. MORHOF. T. II. p. 110. 245. SOZZI.
de Perfect. hom. p. m. 480.

plexus ^f, quem annus MDCXXII sustulit, triginta tres tantum annos natum. Quamuis is haud ita diu Annetii docuisset, adeo tamen naturalis scientiae cognitione inclaruit, vt inter prima sui temporis ingenia a MOTHAEO VAYERIO ^g meruerit referri. Testis autem libertatis philosophicae in argumento physico liber est *de nouis opinionibus physicae*, Lugduni MDCXIX editus ^h, in quo, Patritii, Telesii et nouatorum aliorum exemplis excitatus deferere Aristotelem ausus est. Quem cum Verulamio misisset, laudauit is in epistola, cuius editionem debemus NICERONIO subtilitatem magnam et diligentiam in ea via, differentiam tamen se inter antiquos et modernos maximam facultatis, veritatis perparum agnoscere ait, hincque suadet, vt rebus se submittat, ne cum aliis ingeniis redeat in orbem. BERNARDUS PALISSVM non tam lectio librorum (erat enim figulus ⁱ) quam rerum naturalium experientia et vsus admirabilis commendauit. Quamuis enim nec Graece nec Latine doctus esset, ex eruditorum tamen consuetudine ita profecit, vt de aliorum quoque opinionibus promte dextreque iudicaret, et de rebus naturalibus haud pauca ignota prius detegeret, ex quibus noua demum principia cudere ausus est. Cuius exemplum esse potest, quod in *Dialogis de natura fontium, metallis et gemmis* statuit: ex aqua omnia generari, eam autem duplicem esse, materialem et congelantem, nihil agi sine Solis operatione, sine sale non consistere hominis vitam, quin et reliqua corpora; et quae his sunt similia diligenter enarrata a SORELIO ⁱ qui videndus. GVILELMVS GILBERTVS Angliam ornauit, ortu Glocestriensis, philosophus et medicus Londinensis; qui ineunte seculo XVII. floruit. Duplici nomine multum illi debet philosophia naturalis. Primo quod libertate philosophica vsus, recedere a placitis Aristotelicis, quibus tunc superstitiose adhuc adhaerebat insula, et reicere multa ausus est. Edidit enim *Philosophiam nouam de Mundo nostro sublunari*, in qua multa innouauit, vetera, quae sine ratione sufficiente dicta erant, reiecit. Qualia sunt elementorum numerus quaternarius, transmutatio et mixtura etc. vacuum autem duplex adhibet separabile et inseparabile, et quae his sunt similia. Deinde ingenti ausu, maximis sumptibus ^k, incredibili industria et attentione ad magnetis naturam scrutandam se accinxit, primusue post innumeras obseruationes demonstrauit, virtutem magneticam terrestri globo a natura insitam adeoque terram magnum esse magnetem, edita *Philosophia noua de Magnete magneticisque corporibus, et de magno magnete, tellure* ^l. Hoc enim quasi signo dato, noua philosophia magnetica cusa,

Bernardus
Palissus.

Guillelmus
Gilbertus.

f) Conf. FR. LVIGI BARELLI Memoriae de Barnabiti T. II.

g) Apud BAYLE T. I. art. Baranzan. p. 440. add. NICERON. Memoires T. III. p. 43. seqq.

h) Addi illi potest Vranoscopia, Col. Allobr. 1617. 8. Campus philosophicus, in quo omnes

dialecticae quaestiones breuiter et subtiliter agitantur, Lugd. 1620. 8.

i) L. c. p. 470. Conf. MORHOF. T. II. p. 202. 438.

k) 50000. aureos impendisse in naturam magnetis scrutandam ex Haruaei testimonio refert MORHOF. T. II. p. 410.

l) Amstelod. 1600. fol.

cusa, et experimenta Gilbertiana ad principia physica reuocata sunt, quo labore naturalem doctrinam adiuuare conati sunt Nicolaus Cabaeus, Nicolaus Zucchius, Iacobus Grandamicus, Athanasius Kircherus, de quibus videndus MORHOFIVS ^m. De quo de magnete dogmate infra adhuc quaedam dicentur. Gilbertus autem eam sibi famam laudatissima hac diligentia parauit, vt maximam gentis suae gloriam in doctrina naturali meruisse censeretur, qua de re digna sunt, quae legantur, virorum doctorum testimonia, collecta a THOMA POPE-BLOVNTIO ⁿ. Ipsum Cartesium Gilbertiana philosophia praeclare ad examinandam magnetis naturam, vocatis in subsidium particulis striatis, vsum esse, supra iam obseruatum; et Gilbertianam quoque hypothesin ad declarandas proprietates declinationis acus magneticae adhibuit acutissimus HALLEIVS ^o. Addimus his IOANNEM ESPAGNETVM, cum Ioanne d'Espagne ecclesiae Gallicanae Londinensis pastore, cui de praeiudiciis et erroribus vulgi praeclarum librum debemus non confundendum; ille enim curiae regiae apud Burdigalenses praefectus fuit. Is cum artis chemicæ praestantia emineret, eamque ad exploranda naturae arcana adhibuisset, non modo *Arcana Hermeticae philosophiae* vulgavit, sed naturam quoque rerum in mundo reclusurus, *Physicam restitutam* ^p breuibus quibusdam thesibus comprehensam edidit, in qua pleraque noua sunt, et a receptis sententiis abeuntia, haud pauca vero, quae emanatio systemati, quale apud Alexandrinos philosophos occurrit, valde sunt affinia. Statuit enim, mundum ab aeterno in archetypo suo descriptum fuisse, archetypum autem, qui totus lumen sit, ante vniuersi creationem in se complicatum, sibi soli illuxisse, in mundi vero productione, quasi parturientem se explicuisse, opusque suum in mente, velut in matrice, prius occultum, quadam sui extensione manifestum fecisse, ac mundum idealem quasi duplicata diuinitatis imagine actuale et materialem eduxisse. Quod Platonicum, nempe recentius et Cabbalisticum esse recte monuit, qui exegetin in hunc librum scripsit Io. LVDOV. HANNEMANNVS. Reliqua ex hoc principio facile intelligi possunt, qualia sunt: omnia, summa, ima, in mundo analogia quadam similia inuicem cohaerere, spiritum diuinum rebus infusum geometricè haec inferiora tractare; et per omnia large diffusum, animamque mundi esse, spiritum dari vniuersi siue lumen in principio creatum, contractum in corpore solari, ordinem naturae esse seriem explicatam legum aeternarum, etc. Sed his, quae ex Orientali et Alexandrino atque Cabbalistico systemate mutuum accepit, noua multa inaedificat, statuit enim: mundum esse opus fabrilè in orbem gyratum, partes eius quasi catenae annulos se mutuis amplexibus stringentes; naturam opificem in medio sitam attritas semper vires reparare. Mundi vniuer-

m) loc. cit. n) Cens. cel. Viror. p. 919.

o) Theor. Variat. Pyxid. Magnet. in Philosoph. Transact. n. 148. Vid. Act. Erud. 1684. p. 392.

p) Lut. Paris 1642. Col. Allobr. 1653. Kil. 1718. Tubing. 1725. 4. cum exegeti.

vniuersitatem triplici natura constare, supra coelesti siue intelligibili, coelesti et subcoelesti, siue elementari: nihil sine voluntate creatoris in mundo mori, sed omnia transire et immutari, et in sua simplicia resolui, materiam primam Aristotelis figmentum esse; spiritum mundi architectonicum a duobus principiis vniuersalibus creationis opus inchoasse, vno formali, altero materiali, lucem solarem esse formam formarum, et vniuersalem, quae formas et rerum femina infundat, ita, vt indiuiduum naturae quodlibet scintillam lucis in se recondat: solem lucidum esse diuinitatis speculum, appetitum materiae defectus et imperfectionis argumentum esse, eo quod luxurians ac recalcitrans propter remotionem et distantiam a formali principio expleri non potuerit, hincque mortis venenum non a qualitatum repugnantia, sed ex infecta matrice et venenato materiae tenebroso menstruo et mixtura oriri, vniuersi harmoniam in diuersa et graduale materiae informatione consistere, simplicia corporum elementa non dari, materiam generationis esse fluorem, elementum naturae esse simplicissimam materiae primae portionem, terram et aquam sola elementa materialia esse, terrae corpus esse spongiosum, aërem vniuersum coelum esse, aream vniuersi, naturae cribrum, per quod influentiae in corpora transmittuntur, regionem lunae vicinam non igneam, sed aëream esse, ignem naturae alium a luce coelesti non dari, sed ignem nostrum, ex vnitis radiis lucis coelestis excitari, omnem calorem viuificum esse a sole; solem non esse planetam: amorem naturae esse ingenitum, discordiam in natura et repugnantiam nullam, quintum elementum ab Aristotele confictum esse spiritum aethereum incorruptibilem, tenebras et lucem realia entia esse, et ex eorum temperamento et coitu qualitates fuisse et elementa orta, adeoque elementa non esse vera principia, terram in ignem non posse mutari, etc. Haec et quamplurima alia dum Alexandrinis et Cabbalisticis hypothesibus affricat, et imprimis totum formati mundi opus ex chemicis principiis deducit, et secundum ea applicat, fecit auctor, vt nec Chemicis solis nec Platonicis, nec theosophicis, nec Cabbalisticis recentioribus, nec Mosaicis totus possit adiici, quorum tamen omnium principiis multa habet affinia, systema autem singulare aequae sibi proprium. Id quod valde placuit MORHOFIO ^q huius commatis physicis, mirum quantum, fauenti; ipsum quoque librum, velut praecipuum systema physicum, quod in Gallia oppositum fit Aristoteli, commendat SORELLVS ^r, recte autem notat, tale esse, quod prudentiores ex parte probauerint, ex parte reiecerint, ob dogmata somniis theosophicis repleta. Addi his possent, Sebastianus Bassonus et Stephanus Clavius, at eorum iam in *parte huius tomi antecedente* mentionem in vita Berigardi fecimus, quo lectorem licebit remittere.

§. III.

^q) T. II. p. 119. 165. Ex dictis patet, posse Espagnetum Mosaicis et theosophicis suo modo quoque annumerari.

^r) l. c. p. 481.

Physici ve-
centiores
scholastici.

§. III. Inter Germanos primus in disciplina naturali desiperè, et relictis nugis scholasticis sapere ausus est, DANIEL SENNERTVS, cuius vitam et insignia de naturali et salutari arte merita depraedicauit facundus AVGVSTIVCHNERI^s calamus, quem alii exscripserunt, qui adiri ab illis possunt, qui celeberrimi viri vitae historiam nosse cupiunt. Ornauit is literas et cathedram medicam cum munere archiatri Saxonici in academia Wittebergenfi, denatus aetatis anno LXV, reparatae salutis MDCXXXVII, ex peste, relicto filio, philologiae S. laude inter professores Wittebergenses inclyto. Qui cum eruditione, iudicii lumine, sentiendi libertate at modesta et prudenti vteretur, non modo eruditissimis foetibus artem medicam et philosophiam naturalem auxit, sed et celeberrimorum virorum laudes iure suo meruit, quas cum THOM. POPE-BLOVNTIVS^s collegerit, eum non exscribimus. Plurimum praestantissimo huic medico debent literae non medicae duntaxat, sed et physicae; eo enim duce inuisum in academiis Protestantium apud Germanos chemiae studium introductum, reiectisque ineptis hypothesebus Paracelsicis, philosophico habitu donatum est. Qui conatus vt minori inuidia premerentur, ad syncrētismum quidem confugit, edito de *Chymicorum consensu et dissensu cum Aristotelicis et Galenicis*, libro, quo nomine inter syncrētistas locum ei in antecedenti huius tomi parte fecimus; ast insedisse eius animo studium vere eclecticum, ex prooemio *Hypomnematum physicorum*, in quibus de rerum naturalium principiis, de occultis qualitatibus, de atomis et missione, de generatione viuentium, de spontaneo viuentium ortu disserit, constare potest, et ipsa quoque libri lectio demonstrat. In quibus sunt multa, quae a Peripateticis prorsus abeunt. Statuit enim^a: principia rerum naturalium non omnia esse contraria, nec sufficere Aristotelica ad explicandum generationis rerum ordinem atque causas, Deum in prima creatione rebus suas formas dedisse^x, per quas generationis ordo continuetur et absoluaetur; immo omnibus quoque corporibus naturalibus suam materiam assignauisse^y, priuationem frustra inter principia referri^z. Esse in rebus omnibus consensum atque dissensum, atque alia se amice appetere, alia fugere^a: non dari praeter elementa alia adhuc corpora simplicia, nec esse principia dicenda, in quorum resolutione ars ultra vix progredi possit^b. Qualitates occultas tantum ratione causarum et formarum esse intelligendas^c, doctrinam de atomis rationibus concludentibus nec facile refutandis probari^d, alterationes esse corporis alieni participationem; non dari quidem minimam quantitatis, at naturae, et quae de continui diuisione in infinitum Aristoteles disputat, ex alienis principiis, mathematicis scilicet, non propriis, seu physicis disputari^e, educationem formarum

s) In Panegyrico illi dicto Witteberg. 1655. qui extat quoque inter Orationes Vol. II. p. 889. Conf. Vita Operibus praefixa WITTE Mem. Medic. p. 89. В А У Л Е Д и е т. Tom. IV. art. Sennert. REIMANN. Hist. lit. Germ. P. III. p. 459.

e) p. 921. seqq.

u) II. 1. c. 2. p. 11.

x) c. 3. p. 16.

y) p. 19.

z) c. 4. p. 25.

a) c. 5. p. 32.

b) c. 6. p. 38.

c) III. 1. p. 90.

d) p. 98.

e) p. 116.

marum esse figmentum *f*, mixtiones, quae a forma superiore non diriguntur, ab atomorum consensu et dissensu provenire. Deum postquam semel a creatione cessavit, nihil amplius, nisi miraculose creare, naturam vero instituisse, quae cursum generationis et corruptionis absolvat atque tueatur et obseruet *g*, semen esse animatum, animamque in semine formare corpus animatum, ova in se habere animam, animam humanam cum semine propagari in liberos, et statim a primo conceptionis momento adesse *h*, formationem foetus fieri ab vna anima, casum et fortunam in rebus naturalibus locum non habere *i*, minima in mundo ad eius perfectionem pertinere *k*, dari in corporibus formas succenturiatas et subordinatas *l*. Talia et his multo plura Sennertus cumulat; quae quamvis hodierno, quod in physica coruscant, lumini non aequae respondeant omnia, et nonnulla adhuc ex scholae principii enata videri queant, falsum tamen est, quod MORHOEIVS *m* iudicat, eius physicam ab Aristotelica non adeo differre, nisi quod materiam primam, mutationem elementorum et similia specialia dogmata impugnet. Nempe nonnulla ex Paracelsica schola cum ipsis chemiae artificiis Sennertus receperat, quae Aristotelico quidem habitu vestit, prudenter sui temporis circumstantiis inseruiturus, at quae tamen haud raro ab Aristotelico sensu toto coelo differunt. Et hinc quoque factum, ut magnis animorum motibus in Sennertum Aristotelici, maxime Groeningae Freitagius, Ienaeque Zeifoldus insurgere coeperint, accusauerintque virum eruditissimum eiusque sequaces, quod non tantum receptam scholarum sententiam turpiter deseruerit, sed et in ipsam religionem, atque Deum animaeque immortalitatem iniurius fuerit. De quibus accusationibus legi merentur, quae more suo eleganter differit P. BAYLE *n*. Discipulum atque sectatorem praecipuum Sennertus habuit Ioannem Sperlingium, professorem physices in schola Wittebergenfi, LVIII. aet. anno fatis ex calculo anno MDCLVIII decessentem *o*. Edidit is *Institutiones physicas* anno MDCLIII, quae tanto plausu exceptae sunt, ut in plerisque Germaniae scholis argumentum praelectionum suppeditaturae adhiberentur *p*: eas *Exercitationibus physicis* postea illustravit, *Anthropologiam physicam* quoque non sine acuminis et doctrinae laude tradidit, Sennertum autem aduersus Freitagium et Zeifoldum masculis defendit. In his vero scriptis physicis praeceptoris quidem vestigia dicendi genere plano lucidoque delineata premit, at discedere tamen ab eo, ubi causam se habere putat, non erubescit, libertati philosophicae, ut ipse fatetur, ex animo addictus. Quod vero cum praeceptore qualitibus occultis formisque, quae asyla ignorantiae in doctrina naturali sunt, nimium tribuerit, potiusque declamet quam demonstret, id quod in eo reprehendit MORHOEIVS *p*, eorum, in quibus vivebat, temporum condi-

I i ii 2

ditioni

f) p. 144. g) IV. 2. p. 151. h) c. 6. p. 185.
i) c. 13. p. 328. *) p. 360.

k) p. 394. l) T. II. p. 249. m) l. c.

n) WITTE Mem. phil. Dec. VIII. p. 296. seqq.
o) CHR. VATER. Physiol. proem. p. 3.
p) T. II. p. 265.

ditioni et diluculo aduenientis lucis physicae adscribendum est, quo se praeiudiciis a pueritia in schola hauitis, et notionibus a iuuentute confuetis ex toto exuere non licebat. Laudandus tamen virorum optimorum conatus atque voluntas eo magis est, quo magis physicae restituere ecclesiasticam philosophandi libertatem, et excutere iugum sectarium coeperunt.

*Kenelmus
Digbaeus.*

§. IV. Dum in Germania lucem accendere philosophiae naturali Sennertus fatagit, multo clariorem facem in natura scrutanda occupatis in Britannia praetulit Baconus de Verulamio. Qui cum orbi philosophico oculos aperuisset, vt quam misere haecenus in eo argumento scholae coecutiuerint, omnibus palam fieret, enata inde contentio virorum nonnullorum valde acutorum inter Anglos tentandi, quid in hac noua via liceat attingere. Quod cum proscripserit omni Aristotelis auctoritate minus feliciter fieri posse quidam crederent, vt occupatis praeiudicio auctoritatis philosophis fucum facerent, non aperte bellum Stagiritae, intulerunt, sed quendam Peripateticae *παιδείας* tropum prae se ferentes, noua tamen propriaque dogmata illis obtruserunt. Inter hos nemo vel cogitationum acumine vel diligentiae contentione vel famae celebritate vicit **KENELMVM DIGBAEVM**, equitem Anglum apud Carolum I. gratiosum, et militia pariter atque ciuili prudentia in legationibus demonstrata illustrem, cuius vitae circumstantias cum post **WOODIUM** ^{q)} aliosque ^{r)} enarrauerit **P. BAYLE** ^{s)}, ad elegantissimum scriptorem lectorem dimittere, quam in tanto dicendorum aceruo prolixo esse malumus. Aderat celeberrimo viro magna eruditionis copia, quam non tam in academia Oxoniensi, vbi literis operam dedit, quam sua industria, attentione, lectioneque sibi comparauit, accedente vsu atque experientia, quam in itineribus variis sibi comparauerat. Absoluto enim studiorum curriculo Galliam et Italiam inuisitat, et post funesta Caroli I. fata, cum deuotissimus partibus regiis esset, aliquandiu Francofurti ad Moenum, Romae alibique haeserat, sed et in Gallia apud Montispeffulani ciues diu moram fixerat, quo loco etiam pulueris sympathetici construendi occasionem a Carmelitarum socio quodam nactus, illum publica oratione laudauit, reduxque Londinum ineunte vere anni **MDCCLXV**, sexagenarius obiit. His ergo subsidiis eruditionis, atque ingenii opibus instructus cum omnium fere disciplinarum esset peritus, linguarumque notitia adiutus, inter armorum strepitus ad philosophiam, maxime naturalem et metaphysicam, tum ad artem salutarem praecipue vero chemiam, et ad artes mathematicas animum conuertit, et nec labori atque industriae neque sumptibus pepercit, vt mysteria istarum artium perquiret. Et in metaphysico quidem argumento, quid ingenium Digbaeanum valuerit, ex tractatu *de immortalitate animarum* disci potest. In chemicae autem artis mysteria

q) Athen. Oxon. r) **BVLLART**. Acad. des Sciences T. II. p. 1137. seqq. Lex. Hist. vniu. T. II. p. 56.

s) *Diſt.* T. II. art. Digbi p. 290.

steria tanta felicitate penetrauit, vt medicinae rationes arcanissimas teneret, multaue remedia inueniret, quibus sanitatem aegris, maxime pauperibus gratis multoties restituit. Inde factum, cum et theoria et praxi naturalem scientiam praeclare teneret, vt regiae quae Londini floret scientiarum academiae albo inscriberetur. Cum Parisiis esset, Cartesium conueniendi occasionem nactus est, cumque eo de natura et operationibus animae disputauit, conspirare tanquam cum illius placitis se non posse, quamuis maximi illum faceret, testatus est. Ad propriam itaque philosophiam conuersus est, eiusque principia ita constituit, vt non plane Peripateticam disciplinam eiurasse videri posset. Experientiam vero, praecipue chemicam, in declarandis naturae operibus potissimum consuluit, et hinc nouas hypotheses exstruxit. Rarefactionem enim et condensationem pro principijs physicis assumens, in enucleanda natura rerum ab inanibus Peripateticorum vocibus abstinuit. Cuius exemplum capi potest ex libris *de Natura corporum, et de Plantarum vegetatione*, in quo posteriore processum accretionis et nutritionis plantarum luculenter demonstrauit, exposuitque, quomodo ex vno puncto seminali partes extra partes extendantur, partim salibus aëris aut terrestribus euocatae, partim pressione aëris et humoris externi, partim calore subterraneo eiectae &c. Qua ratione reiecit Digbaeum animam vegetatiuam Aristotelicorum, et longissime a formarum doctrina recessisse, nemo non videt. Vnde caute accipiendum est, quando Peripateticam philosophiam ei tribuit, qui aliquandiu in eius familia vixit et philosophiam Digbaeanam professus est Thomas Anglus; de quo supra dictum. Ille enim scripsit *Institutiones Peripateticas ad mentem summi viri clarissimique viri Kenelmi Digbaei*, quas tamen Peripateticas non esse facile ex comparatione patescit. Transtulit autem Digbaeus principia physica etiam ad metaphysicam, maxime ad psychologiam, vt ex demonstratione immortalitatis animae rationalis patet. In ea enim naturam et qualitates corporis, quarum praecipuas, generale principium suum physicum secutus, ponit densitatem et raritatem, supponit, et ex earum progressionem immortalitatem animae demonstrare fatagat. Quo nomine eum, licet iudice MORHOFIO non satis iudiciose refutauit ex societate Iesu Eggefeldius, ascito AMANDI VERI nomine, sub quo *Anima triumphans* prodiit. Recte enim Morhofio obseruatum, de principijs eius prius transigendum esse, quae nexu arcto inter se cohaerent; et sine eo frustra Digbaeum impugnari.

§. V. Digbaei exemplum secuti sunt plures, qui chemiae beneficio ignisque ministerio in naturam rerum materialium penetrare sunt conati. Et longum quidem eorum indicem texere liceret, si id ageremus, eo quod haud pauci chemici non contenti corpora composita ignis ope in simplicia resoluissent, ex iis principia quoque physica theoretica exsculperunt. Quod qua ratione fecerit Theophrastus Paracelsus, et qui ex eius schola prodierunt,

*Chemiarum
merita in
physicam re-
formatam.*

runt, in antecedente iam parte fufe differuimus, et quibus vultibus con-
 fpiendam se dedit philofophia horum hominum chemica, duce Os-
 waldo Crollio, delineauimus. Multum in hoc phyficae genere chemico
 laborauit, multumque profecit Helmontius pater, cuius tamen hoc loco
 mentio, fupra iam facta, repetenda haud eft. Neque putandum, omnes
 qui chemiae ministerio phyficae fcientiae lucem accendere conati funt,
 ad eiusmodi principia theofophica, nullibi nifi in ardentis imaginationis
 campo florentia, fuiffe dilapfos. Postquam enim defipere nugaeque age-
 re noftra aetate orbis philofophicus defuit, in id conuerti funt artis fpagiri-
 cae (quo nomine fchola Paracelficae vti placuit) ftudiofi, vt cum faniori-
 bus principiis, maxime mechanicis, eius experimenta coniungerent. Cu-
 ius exempla fi quis fcire aueat, eum vel commentarios focietatum fcientia-
 rum, Caefareo-Leopoldinae, Londinenfis, Parifienfis, Berolinenfis,
 Petroburgenfis adire iubemus vbi haud pauca chemiae philofophica me-
 thodo ad recludendos naturae recessus adhibitae fpecimina extant, vel ad
 IO. IACOBI MANGETI *Bibliothecam chemicam curiofam* ablega-
 mus, in compendio autem illuftris viri HERM. BOERHAVE *Ele-
 menta chemica* * confulere iubemus. Quemadmodum enim in praef-
 tantiffimo libro vir incomparabilis, et in chemiae arte ad miraculum ver-
 fatus experimentorum rationes prouidentiffimas iniit, et ingenio philo-
 fophico vfus illis theoriam inaedificauit, ita artis quoque mirabilis hifto-
 riam mira folertia congeffit, fcriptorum chemicorum indicem contexit,
 materiam chemicam difpofuit, vtilitatem chemiae non in arte tantum falu-
 tari, fed in philofophia quoque naturali demonftrauit, et hoc pacto, quid
 ad augendam phyficae partem philofophiae chemia attulerit, erudite at-
 que luculenter edifferuit. Ad quem eruditiffimum naturae interpre-
 tem lectorem dimittere, quam breui chemicorum enarratione extra oleas
 vagari malumus. Comparari tamen cum illo potefit IO. GEORGIVS
 PASCHIVS *. Ne tamen hoc quoque loco abeamus *ἀσύμβολοι*, vnum
 naturae per chemiae artem interpretem, at *πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων* RO-
 BERTVM BOYLEVM in fcenam producimus. Is ex illuftri Boy-
 leorum gente inter Hibernos ortus patre Richardo, comite Corckiae,
 ftudiorum curfum apud Lugdunenfes Batauorum Mufas peregit, peragra-
 taque, ad nofcenda naturae artis que opera Italia, Gallia et Heluetia anno
 MDCLVII Oxoniae in ampliffimo literarum teatro fedem fixit, cumque
 artem falutarem miro amore efflet complexus, (cuius fummos quoque in ea
 academia honores rite confecutus eft,) multum in eo defudauit, vt inter
 naturae confultos initia focietate de augenda fcientiae naturalis cognitione
 confilia agitentur, quorum euentus, condita focietate fcientiarum regia
 fuit laetiffimus †. Illi vero fauente Carolo II. inter primos adfcriptus eft.
 Quam

Robertus
 Boyle.

u) Lugd. Bat. 1732. 4. 2. Vol. Conf. Journal li-
 teraire T. XIX. P. I. art. 6. P. II. art. 3.
 x) De Int. nou-antiq. c. VI. §. 5. p. 318. BOR-

RICHIVS de Orig. et progressu chemiae p. 145. §.
 y) TH. SPRAAT Hif. Soc. reg. Lond. P. II.
 S. 2. p. 67.

Quam spartam cum ornandam accepisset, sede Londinum translata magnis sumptibus nec minori industria in explorandos naturae recessus incubuit, totus experimentis chemicis, mechanicisque et his similibus intentus. Huic enim studio se totum deuouerat, et ob eam quoque causam caelibem vitam ad obitum usque seruauiſſe videtur, qui exspirante anno MDCXCI, sexagenario maiori non sine ingenti literarum, praecipue physicarum iactura luctuque contigit. Locum autem vir summus inter primarios physicae scientiae doctores summo iure postulat; cum enim non linguas tantum eruditas, etiam orientis teneret, vt consulere scriptores fere omnes posset, sed et magno studio et immensis sumptibus chemiae experimentis et physicae, quam experimentalem vocant, inuigilaret, instituto autem commercio literario cum maximis in Europa viris, qui in natura scrutanda eminebant, omnium fere philosophorum sui temporis experientiam consuleret, affluerent autem ad eius aedes, humanitate et beneuolentia eius inuitati, quotquot naturae rimandae diligentiam adhibebant suam, iique obseruationes suas cum eo communicarent, (quos tamen interdum eum fefellerisse obseruat MORHOEIVS ²⁾) facile inde subduci rationes possunt, cur ex illustri viri conatibus magna ad philosophiam naturalem experimentis constantem incrementa acceſſerunt. Non vero nuda experientia contentum principia quoque curiose inuestigauisse, vel ex vno *Chymista sceptico, siue dubiis et paradoxis chymico-physicis circa Spagiricorum principia vulgo dicta hypostatica, prout propugnari solent a turba alchymistarum*, euidenti exemplo patet. Clarissime enim demonstrare conatus est, veros characteres principiorum, decantatam illam chemicorum triada tueri non posse, sed requiri alia, ex quibus ista constent. Vnde tribus istis chemicorum principiis constituentibus, sale, sulphure et mercurio, siue corpore spiculis minimis armato, inflammabilibus partibus constante, et volatili, minime contentus, systemati atomistico, ex Democriti atque Epicuri schola in lucem reuocato, manus dedit, illique experimentorum obseruationes adaptauit. Et hoc quidem pacto de natura rerum in variis scriptis pulchre philosophatus est. Debemus enim ei *Experimenta Physico-Mechanica de vi aëris elastica, eiusque defensionem aduersus Franciscum Linum; aliaque de aëris virtute elastica paradoxa hydrostatica, tentamina physiologica, et historiam fluiditatis et firmitatis, itemque de absoluta quiete in corporibus, experimenta et considerationes de coloribus, introductionem ad historiam qualitatum particularium, exercitationes de atmosphaeris corporum consistentium et effluuis, specimen de gemmarum origine et coloribus, obseruationes de adamante in tenebris lucente, apparatus ad historiam naturalem sanguinis humani* ³⁾. Quae omnia mira experimentorum luce collustrauit. Scripsit quoque librum de igne, quem arcana sua vulgari non passus consumsit ignis

²⁾ T. II. p. 130.

³⁾ Prodiere eius opera Col. Allobr. 1677. 4. Vol. Conf. MÆRCKLIN. Linden. renou. p. 939.

ignis incendii Londinensis. Ceterum pietatem atque virtutem, quin et Christianae religionis propagandae studium accendi ab attentata naturae operum contemplatione laudatissimo exemplo suo demonstravit Boyleus. Valde enim commendantur eius probitas, moresque sancti, modestia, humanitas, et sumtus magni, in reuelatae religionis propagationem facti. Mirumque virum in scrutanda natura tanta industria occupatum GROTTII incomparabilem librum de V. R. C. Arabico idiomate expressisse, ut inter infideles spargi felicius posset ^b. Tandem neque in eo errabimus, si contendamus, plurimum ad naturam rerum materialium recludendam totum medicorum ordinem, et immortales gloriae viros, qui arti salutarī clarissima lumina accenderunt, contulisse. Non negabunt hoc illi, qui conuicti sunt euentissimis rationibus, artem medicam, si rationalis sit, totam in quadam naturalis philosophiae parte comprehendī, nec constare posse, nisi a physica sustentetur. Inde magna recentiorum medicorum caterua exorta est, qui non contenti medendi artem descripsisse, in enucleandis quoque argumentis physicis laudabilem operam posuerunt. Quos hoc loco enumerare esset historiam literariam medicinae scribere, quae a nostro instituto aliena est. Facile autem plerique cognosci possunt ex bibliotheca scriptorum medicorum a IO. IAC. MANGETO, constructa indicibus ab ABRAHAMO MERCKLINO suppeditatis, vel ex bibliotheca philosophica STRVVII, vel ex aliorum quoque catalogis vbiuis obuiis ^c. Nobis ex immenso fere numero post illustrem FRIDERICVM HOFFMANNVM, qui felici conatu artem medicam ad habitum rationalem et philosophicum reduxit, et in nonnullis argumentis physicis, praesertim quod ad aquas medicatas attinet, lucem nouam naturali scientiae intulit ^d, suo merito iam memorandus est vir eruditissimus IOANNES IACOBVS SCHEVCHZERVVS ^e, medicinae publicus apud Tigurinos doctor, denatus anno MDCCXXXI. Is enim haud leuem philosophiae eclecticae operam praestitit, ex praestantissimorum naturae interpretum scriptis ea colligendo, quae iuncta obseruationibus suis elegantes solidasque naturalis disciplinae institutiones exhibuere ^f, scientiam autem praestantissimam ad augustum diuinorum oraculorum volumen traducens, splendidum atque eruditissimum *Physicae sacrae* ^g opus post se reliquit, ut taceamus, tractationem de *Physica Iobi*, *Herbarium diluuiantum*, quod herbas petrefactas ostendit, *Querelas et vindictas piscium*, *Museum diluuiantum*, et alia, quibus inter praestantissimos philosophos naturales suo iure meruit referri. Cui ex seculo XVII. merito addimus GVILELMVM HARVAEVM, magnae

Frid. Hoffmann.

Io. Iacob. Scheuchzerus.

Guilelmus Harvaeus.

b) Conf. Wood. Athen. Oxon.

c) Consuli autem cum fructu possunt historiae medicae scriptores, et imprimis qui literariam eius partem more suo eleganter atque erudite exposuit cel. STOLLIVS in Hist. liter. Medicinae, Germanice edita.

d) Conf. si placet Pinacothecam scriptorum

nostrae aetatis illustrium, nostra cura editam Dec. 1.

e) Ipse vitae suae historiam stricte enarrauit in Cat. Auctorum, physicae sacrae praefixo.

f) Tigur. 1729. 8. 2. Vol.

g) Prodit opus vere splendidum et augustum Aug. Vind. 1731. VI. Vol. fol.

magnae famae medicum Britannum archiatrum Caroli I. Qui quantis de philosophia naturali meritis corrufcauerit, ex variis, quae illi debemus *supra* in fequentibus adhuc tangendis conftat, inter quae palma fine dubio debetur nobiliffimo inuento circulationis fanguinis, de quo contentiois ferram cum Parisano, Primorofio et Plempio reciprocauit, quarum litium controuerfiam accurate enarrat praefantiffimus HEVMANNVS ^b. Merita autem insignis medici exafciata fcripta produnt ⁱ, et elogia virorum doctorum, a POPE - BLOVNTIO ^k, collecta loquuntur. Tandem ex medicorum choro qui de phyfica philosophiae parte pulcherrime meruerunt, illi quoque adducendi hoc loco funt, qui ferro naturam refecandam effe, a Verulamio moniti, cultro anatomico structuram corporum animalium diligentius quam antea ferutati funt, cum fcientia nobiliffima a Galeni aetate inculta neglectaque iacuiffet. Ingens fumorum virorum numerus afferri hoc loco poffet, fi id agendum nobis effet, vt fcriptorum anatomicorum hiftoriam fcriberemus. Aft id alium locum, aliud institutum postulat, haud pauci vero ex *Bibliotheca Anatomica* a DANIELE CLERICO et Io. IAC. MANGETO edita difci poffunt. Nec ignota funt inter artis falutaris ftudiofos et phyficarum rerum peritos illuftria nomina, Bartholini, Bagliuui Santorini, Winslouii, Ruyfchii, Malphigii, Cowperi, Verheyenii, Blancardi, Rudbeckii, Schelhammeri, Nuckii, Stenonis, Borelli, Whartoni, Diemberoeckii, Willifii, Vieuffenii, Garengenti, Blanchini, Morgagni, Bidlooi, Valfaluae, Duuernay, Hauerfii, Gliffonii, Albini, Pecqueti, Eufiachii, Graafii, Bellini, Swammerdammi, Guilelmini, Michelotti, aliorumque, quibus, qui hodie facile inter anatomicos regnat, cel. Heifterus adiiciendus eft. Hi enim omnes aut totius corporis animalis fabricam, aut vnus alteriusue vifceris vel partis naturam cultro anatomico ferutando, eiusque oeconomiam, munus, operationem confiderando naturalis philosophiae capiti quod de animali, praecipue homine agit, plurimam lucem accenderunt. De quibus fpecialia magis dicere, hiftoriae anatomiae eft, qualem plenam atque integram adhuc defideramus.

§. VI. Non minora, quam medicis, incrementa philosophiae naturalis debemus mathematicorum nationi, quae ftatim post reparatas literas plurimum ad augendam fcientiam phyficam contulit ^l, idque duplici ratione. Aut enim fiderali difcipliniae fe maxima attentione atque diligentia tradiderunt, et quae corporum coelestium natura, motus ratio et cum globo nostro terraqueo harmonia atque confpiratio effet, nouis experimentis

*Incrementa
phyficae eccle-
fticae ex di-
ligentia ma-
thematico-
rum.*

h) A& phil. Vol. II. p. 616. feqq.

i) Recenfet ea MERCKLINVS l. c. p. 378.

k) Cenf. cel. auct. p. 987. feq.

l) Exagitaerunt praeposteram mathematicorum circa doctrinam naturalem diligentiam

Thomafius et Rudigerus, ille in Cautelis circa praecognita iuris, hic in Phyficae diuinae proemio: aft, vel nonnullorum tantum ineptias petunt, ipse mathefi non imputandas, aut ignari myfteriorum mathematicorum nefciunt, quid fibi velint.

tis et incredibili industria explorarunt, ex quo studio noua illa systemata mundana exorta sunt, quae Ptolemaicum prorsus eiecerunt. Aut cognitio rerum materialium vicibus, operationibus et effectibus de earum mechanismo solliciti leges motus calculo arithmetico et demonstrationi geometricae subiecerunt, sicque quandam philosophiam naturalem, quam mathematicam dicere placuit, constituerunt. Et prius quidem mature factum est, postquam ex virorum magnorum deque astronomia immortaliter meritorum Georgii Peurbachii et Ioannis Mülleri, Regiomontani, cuius vtriusque vitam accurate delineauit G A S S E N D V S ^m, disciplina velut ex equo Troiano discipuli eruditissimi prodierunt, qui in sideralem scientiam diligenter incubuerunt, animos illis addente imperatore Friderico III, optimo principe, qui eorum conatus praeclare adiuuit ⁿ. Maxime vero in schola Viennensi ^o ab eo tempore diligentissimi astronomiae cultores reperti sunt, quorum expirante Sec. XV, et ineunte Sec. XVI, magna fama fuit atque multa existimatio. Nostrum non est, hoc loco catalogum contexere celebriorum astronomorum, quorum industria huic naturalis scientiae parti ingentia lumina accefferunt, illi enim in speciali astronomiae historia enarrandi sunt. Nec facile ignorantur a rerum in orbe erudito gestarum peritis celeberrima nomina Erasmi Oswaldi Schreckenfuchsi, Ioannis Humelii, Petri Rami, Michaëlis Moeftlini, Christophori Clauii, Iosephi Scaligeri, et quamplurimorum aliorum, ex Sec. XVI virorum clarissimorum, tum praecipue ex Sec. XVII, quod valde ferax virorum doctorum in scientia siderali fuit, Francisci Vietae, Ioannis Bayeri, Christophori Scheineri, Willebrordi Snellii, Henrici Sauillii, Dionysii Petauii, Philippi Lansbergii, Guilelmi Schickardi, Petri Gasfendi, Ismaëlis Bullialdi, Ioannis Heuelii, Ioannis Baptistae Riccioli, Sethi Wardi, Abdiae Trew, Ioannis Baptistae Hamelii, Casparis Schotti, Io. Alphonfi Borelli, Ioannis Dominici Cassini, Ioannis Flammstedii, Olai Roemeri, Edmundi Halleii, Erhardi Weigeli, Dominici Guilelmini, Iacobi Bernoullii, Godofredi Kirchii, Eduardi Bernardi, Ioannis Philippi a Wurzelbau, quibus ex hoc nostro seculo Franciscum Blanchinum, Gabrielem Philippum de la Hire, Dauidem Gregorium, Ioannem Polenum, Eustachium Manfredum, Guil. Whiston, Gabrielem Doppelmayerum, Iosephum Nicolaum de l'Isle, Petrum Horrebouium, Iacobum Philippum Maradum, Petrum Ludouicum de Maupertuis, Dort. de Mairan, Daniele Bernoullium, Arnoldum Celsium et complures alios magna nominis fama hodie viuentes astronomos addere liceret, si vel huius artis historiam, vel annales viuentium hodie eruditorum literarios conderemus. Tacemus ideo maximorum quoque principum gratiam et liberalitatem in hanc scientiam promouendam, quod sine magnis molimi-

nibus

m) T. V. Opp. p. 517. seqq.

n) Conf. Io. GRUNBECK in Vita Frid. III. p. 31.

STRVVIVS Corp. Hist. Germ. Per. X. p. 788.

o) Addi possunt Astronomi Norimbergenses et Tubingenses.

nibus et ingentibus sumtibus fieri nequit, cuius nuper demum in itineribus astronomorum Parisiensium in Americam et in Lapponiam, et astronomorum Petropolitano- rum in Tartariam, luculentum exemplum habuimus, nec de turribus speculisque astronomicis a regibus, principibus, et rebus publicis Hafniae, Grenouici apud Londinum, Norimbergae, Lugduni Batauorum, Parisiis, Berolini, Vlisippone, Petroburgi alibique excita- tis plura addimus, sed ad celeberrimi viri Io. FRID. WEIDLERI, cui et ipsi locus inter meritissimos de hac arte viros debetur, elegantissimam *Historiam astronomiae* p. lectorem dimittimus, ex qua plenis cyathis hau- riet, omnemque virorum summorum diligentiam, conatus, libros, ob- seruationum studia, et quae alia sunt, huc pertinentia, luculenter intelli- get. Non tamen indicti nobis praetermittendi sunt ex seculo XVI Ni- colaus Copernicus et Tycho de Brahe, ex seculo XVII Ioannes Keple- rus, et Galilaeus Galilaei, eo quod nouis hypothesium systematibus non astronomiam tantum, sed physicam quoque scientiam locupletarunt.

§. VII. Lucem vidit NICOLAUS COPERNICVS Thorunii *Nicolaus Co-*
Borussiae anno MCCCCLXXII et post accepta in Cracouienfi academia, lin- *pernicus.*
guarum, philosophiae et artis salutaris elementa, mathesi totum se, Re-
giomontani fama excitatus, tradidit. Deinde Italiam ingressus Bononiae
Dominici Mariae, astronomiae professoris opera et auxilio vsus est, tan-
to successu, vt insigni omnium applausu, expirante seculo XV, Romae
mathematicum professor constitueretur. Post aliquot annos reuersus in
patriam, in canonicorum Warmiensium ecclesiae cathedralis Frauenbur-
gi collegium receptus, de noua hypothesi systematis mundani cogitare
coepit, et restaurato dogmate Pythagoreo, Philolaico quod solem in mun-
di medio immotum ponit, nouam *Orbium coelestium eorumque reuolu-*
tionum theoriam construxit, quam sex libris vulgavit, qui *Norimbergae*
MDXLIII prodierunt ^q, quo anno sanguinis profluuiio extinctus est. De
quibus eius vitae circumstantiis atque historia prolixè differuit PETRVS
GASSENDVS ^r, quo cum conferri rerum literarum scriptores ^s, et
inter hos quoque MELCH. ADAMVS ^t, possunt. Aeternam is sibi
nominis gloriam nouo illo systemate mundano comparauit. Haecenus
enim Ptolemaei systema apud omnes obtinuerat, in quo terra in centro col-
locatur, circa quam Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter et Saturnus
in circulis concentricis moueri concipiebantur. Huius falsitatem vel so-
lae Veneris et Mercurii reuolutiones demonstrabant, cum inter eos et So-
lem terram aliquando intercedere, contra experientiam, oporteret, ex
quo homocentricorum auctores deserendos esse recte Copernicus collige-

Kk kk 2 bat.

p) c. 14. 15. 16.

q) Amstelod. 1617. cum Annot. NIC. MVL-

LERI.

r) T. V. Opp. p. 497. seqq.

s) IOVIVS Elog. c. vlt. FREHER. Theatr. p.
1447. VOSSIVS de Scient. Mathem. c. XXXV.

§. 45. p. 183. STARAVOLSCIVS Cent. Polon. erud.
alii.

t) Vit. Phil. p. 126. REIMMANN. Hist. lit.
Germ. P. III. p. 521. WEIDLER. L. C. c. XIV. §. 19.
p. 343.

bat. Ad scholam itaque Pythagoream conuersus, quae eiecta e centro mundi terra, solem in eo, velut loco nobilissimo constituebat, et ita simplici et concinniori ordine motuum coelestium causas enarrabat, ex ea assumendum esse statuit, terram circa axem proprium gyron, et circulationem absolueret ab occasu in ortum diem, diei noctisque vicissitudines perficiendo. Sed cum ista quoque ἀσυμμετρίαν proderent, Philolaum sequendum esse iudicauit, qui terram a centro amouens, motum ei diurnum circa proximum axem, et circumductum etiam annum circa solem tribuebat, eique locum inter planetas assignabat, cuius centrum Sol esset. Quae cum phaenomenis multo simplicius respondere conuenireque videret, etiam de singulorum motuum periodis definiendis cogitauit, indeque adhibitis obseruationibus astronomicis opus de *Orbium coelestium reuolutionibus* confecit, ac eas geometrica methodo demonstrauit. Dici non potest quam pulchrum systema Copernicanum fideralis scientiae et cosmographiae studiosis visum sit, eo quod absurditates et confusiones in Ptolemaico fiderum motu eorumque epicyclis et eccentricis emendabantur, et inuolutiones circularum multiplices, vt BVLIALDO ^u obseruatum, ad simplicitatem physicam reuocarentur. Permouit haec naturalis simplicitas Georgium Ioachim Rheticum, mathefios apud Vitebergenses professorem, vt dimisso munere professorio in Borussia ad Copernicum concederet, et se illi in disciplinam traderet ^{*}. Nicolaus Schoenbergius autem, cardinalis Capuanus magnis conatibus hypothesin Copernicanam promouere satagit ^γ. Tacemus alios, qui pedibus in hanc hypothesin atque sententiam Copernicanam ire non cunctati sunt. Quos hoc loco nominare eo minus opus est, quo minus in alienam messem falcem mittere fas est. Vnus quem postea nominabimus, Keplerus, specimen esse potest, magnis in fiderali scientia viris hanc hypothesin placuisse. Nec defuere praeclara virorum eruditissimorum de meritis his Copernici testimonia, quorum partem collegit THOM. POPE-BLOUNTIVS ^z, qui videndus. Signum tamen tollere contra hanc systematis mundani delineationem haud paucos iussit apprens facrarum paginarum pugna, quae tanta visa est theologis, maxime ex Romanae ecclesiae gremio, vt et sensuum et reuelationis fidem eiurare videretur, quo in argumento eminuit Christophori Clauii, doctissimi ex Iesuitarum Societate mathematici diligentia. Mirum itaque haud est, congregationem patrum ecclesiasticorum Romanam peculiari decreto hanc hypothesin confixisse ^a. Id quod non impediuit quidem multos, quo minus calculum ei adicerent, de quibus videtis I. GEORG. PASCHIVM ^b, at in omnes tamen se partes vertere

u) Proleg. Astronomiae Philolaicae.

x) Conf. REIMMANN. l. c. P. IV. p. 216. debemus ei narrationem de libris reuolutionum Copernici adiectam Io. KEPLERI Myfterio cosmographico. Conf. BORCLER. Bibl. crit. c. 34. p. 537. WEIDLER, l. c. §. 23. p. 345.

y) IDEM l. c. §. 24. p. 346.

z) Conf. cel. Auct. p. 609. seq.

a) Vid. R. SIMON. Lettr. choisies T. V. n. 12.

b) De Inuentis nou-antiquis c. VII. §. 3. P. 519. seq.

tere coacti sunt mathematici Romanae curiae addicti, vt fulmina pontificia euitarent. Cumque Cartesius eandem Copernici hypothefin nouis coloribus pingere et systemati, quod sibi conceperat, physico adaptare constituisset, miras fraudes eum comminisci oportuit, vt palpum inquisitoribus obruderet, vt supra narratum. Quae tamen feueritas hodie valde remisit ^c, praecipue cum inuenirentur nonnulli, qui dicta Scripturae S. cum ea hypothefi conciliare posse non desperarent, variamque viam inirent. Id quod valde agitatum est in Belgio foederato in controuersis Cartesianis, peculiari autem tractatione sibi demonstrandum fuit Io. IACOBVS ZIMMERMANNVS ^d, vt alios taceamus. Nec diffidendum, quamplurima commendare hypothefin Copernicanam, simplicitatem, ab omni perplexitate et confusione remotam, ordinem sapientiae diuinae conuenientem, similitudinem terrae cum planetis accuratam, rationes apparentiarum coelestium planissimas et tricus omnibus expertes, epicyclorum et epepicyclorum inextricabiles labyrinthos euitatos, arcuum retrogradationis et progressionis in planetis descriptionem luculentam, et quae alia sunt, ex hoc systemate fluentia, quae a reliquis prorsus exulant.

§. VIII. Mederi offensioni, quam ex hypothefi Copernicana tot viri docti metuebant, voluit TYCHO BRAHEVS, post Copernicum inter fideralis scientiae cultores facile suo tempore princeps, de cuius vita integrum librum accurata diligentia conscripsit PETRVS GASSENDVS ^e, qui ab iis legendus est, qui historiam astronomiae seculo XVI excultam intelligere cupiunt. Cui addi potest I. IENSI oratio *de vita et obitu Tychois de Brahe*, quaeque ad eius res cognoscendas collegerunt TEISSIERVS ^f, BVLLARTIVS ^g, WITTENIVS ^h, BARTHOLINVS ⁱ, PASCHIVS ^k, WEIDLERVS ^l, alii. Editus ex illustri, quae hodie adhuc in Suecia floret, Braheorum gente, Knudstorpium in Scandia anno MDXLVI, patrem habuit Ottonem Braheum; educatus a patruo, anno MDLIX, Hafniamque ad discenda humanitatis studia missus occasione eclipseos solaris fideralis scientiae amorem concepit, et sphaericae doctrinae principia haurire coepit. Lipsiam ad prudentiam iuris colendam ablegatus astronomiam potiore habuit, eique duce Ioanne Hummelio ex Sueuia nostra orto ^m infudauit, commilitatione vsus Bartholomaeo Sculteto, licet hanc fiderum contemplationem, quo posset modo paedagogus, qui ei praefectus erat, impediret. Anno MDLXVI, post reditum in patriam Vitebergam accessit, et ineunte auctumno Rostochium, vbi funesto casu in conflictu quodam nasi partem anteriorem fere totam amisit, sic vt ad-

*Tycho de
Brahe.*

Kk kk 3

uenti-

c) Conf. HEVMANN. Act. phil. Vol. II. pag. 808. seq.

d) In Script. Copernizante, vid. Act. Erud. 1691. p. 205. Relat. Innoc. 1701. p. 395. illustr.

C. WOLF. de Script. Math. c. 9. §. 29.

e) Opp. T. V. p. 387. quem plerique secuti sunt,

f) Elog. T. IV. p. 382. seq.

g) Acad. des Sciences T. II. p. 108. seqq.

h) Memor. philos. Dec. I. p. 5. seqq.

i) De Scriptis Danor. p. 146. 451.

k) De Inu. nou. antiq. c. 7.

l) l. c. c. 14. §. 85. seqq. p. 383. seqq.

m) Erat enim Memmingensis. De eius peritia astronomica vid. GASSENDVS l. c. p. 389.

uentitium nafum ex auro argentoque conflatum agglutinare opus effet. Anno MDLXIX, absoluto studiorum academicorum ftadio, cum iam praeclare in fiderum cognitione effet verfatus, ad iter astronomicum fe accinxit, et aliquandiu Auguftae Vindellicorum haefit, vbi eum virorum de promotis literis et literatis immortaliter meritorum Io. Baptiftae et Pauli Hainzelii beneuolentia, et commoda occasio quadrantis conficiendi detinuerat. Illi enim cum eruditos omnes mira humanitate excipere folebant, quos adducere folebat Hieronymus Wolfius, maxime Tychoni Braheo astronomiae cultura, quam infigliter promouebant, coniuncti fuerunt. Tum et aliis Germaniae locis vifis, labente anno MDLXXI patriam repetiit, acceptaque ab auunculo fede astronomicis et pyronomicis operis diligenter vacauit. Biennio post matrimonium, cum femina plebeia iniit, non sine confanguineorum indignatione, et petente rege adolefcentibus nonnullis planetarum theoriam praelegit. Tum anno MDLXXV iter diu meditatus tandem ingreffus est, et, postquam Hafiae Landgrauium Guilelmum, qui fiderali scientiae magnificis conatibus et proprio studio fauebat, conuenerat, Bafileam adiit, iterque profecutus per Heluetiam Venetias vidit, et in patriam rediit, Hafniam a Danorum rege Friderico II. vocatus, ob commendationem Landgrauii Venufiam infulam, quam Huenam inquilini vocant, vtendam, aedificiumque obferuationibus fiderum deftinatum extruendumque liberaliter accepit, cui coelestium speculationum theatro Vranoburgi nomen poftea indidit, instrumentorum neceffariorum apparatus magnificum fumtibus vere regis ab optimo principe suppeditatis parauit et canonicatus Rofchildienfis atque feudi Noruegii redditibus fatis vberibus ditatus, vt vni fiderum contemplationi vacare poffet. Descripfit prolixè Gaffendus, quibus obferuationibus in hac fede astronomica lumina astronomorum auxerit, quae apud ipsum legenda. Tanta vero industria, tanta cum laude et felicitate operi inftitit, vt nominis fama vbique increbesceret, et rex Scotiae Iacobus anno MDXC regis forem ducturus ipsum inuiferet, immo confcripto, carmine eleganti, elogio eum extolleret. Quia vero artis medicae peritia Tycho excellebat, arti quoque fpagiricae tempus impendit, et arcanis remediis desperatos haud raro morbos gratis fanauit. Quae res tandem ei inuidiam conflauit, et patriam atque arcem istam coelestem, quam liberalitate Friderici regis extruxerat, relinquere coegit. Christiano IV. enim rerum potito, cum infensos haberet aulae magiftrum regnique cancellarium, eo quod illum leui de cauffa irritauiffet, (cuius arcanam hiftoriam a GASSENDO praetermissam, narrat H V E T I V S ^p.) regis animus ab eo alienatus est, eo quod nonnulla irae impatiens grauiora in regem effuderat, et ftipendia cum

n) Meretur de optimorum virorum studiis et voluntate erga viros doctos legi GASSENDVS l. c. p. 392. quem locum multis exemplis illustrare poffemus, fi hiftoriam patriae noftrae literariam fcriberemus. Meritorum autem Hainzelia-

norum in literas memoriam alio forte tempore exponemus. Aderat tunc quoque Petrus Ramus.

o) Pag. 445.

p) De rebus ad eum pertinentibus Lib. II. p. m. 35.

cum canonicatu et feudo subtracta sunt. Quae res eum coëgit, de transferenda aliorum sede cogitare. Hafniam itaque concessit cum familia et apparatu, folis maioribus organis Vranoburgi relictis. Ibi cum ab aulae magistro per praetorem vrbantum astronomiae et chemiae exercitationibus insudare prohiberetur, cum suis et supellectile Rostochium anno MDXCVII, indeque ad Henricum Ranzouium, qui Holsatiae produx praerat, et studiis fideralibus vehementer delectabatur ^q, diuertit, ibique machinarum astronomicarum descriptionem Rudolpho II. imperatori dicauit. Is cum abiisse ex Dania Tychonem intellexisset, per procancellarium, amplissimis promissis eum ad se inuitauit. Qui morem gerendo cum Pragam concessisset, clementer exceptus et MMM. aureorum stipendio conductus arcem Benaticam habitandam vtendamque accepit, illucque familiam transtulit, ac socios obseruationum adsciuit. Pertaesus tamen eius loci, aedes Curtianas Pragae elegit, Keplerumque obseruationum et calculi adiutorem nactus est. Quibus laboribus dum strenue inuigilat, post largiorem in coena apud Rosenbergium potum hauustum ex vrina nimis diu retenta anno MDCI viuis ereptus est. Vranoburgum autem temporis et tempestatis iniuria ita dirutum et solo aequatum, vt HVETIVS, et Io. PICARDVS ^r, qui locum inuiferunt, vix eius vestigium inuenirent. Fuisse Tychonem hominem violentum, impotentem, iracundum, famulos et villicos male mulctantem, ebriosum quoque et mulierosum non nemo Huetio percontanti, ex Huenae insulae incolis, qui in familia Brahei vixit, retulit. Sed et contradictionis impatientem, pertinacem, atque superstitiosum fuisse obseruat TEISSIERIVS ^s. In fiderali autem scientia immortalem sibi gloriam et inuidendas eruditorum laudes comparauit, vt ex testimoniis a POPE - BLOVNTIO ^t collectis intelligitur. Testes quoque sunt libri, quorum ex parte edendorum curam habuit Keplerus. Inter quos mechanicos eminere iudicauit BARTHOLINVS ^u, indicem eorum dedere TEISSIERIVS ^v et WEIDLERVS ^w, qui videndi. Nouo vero systemate mundano maxime inclaruit, quo medium inter Copernicum et Ptolomaeum tenere, vel suo modo vtrique fauere studuit. Supponit enim, terram quiescere, et solem cum toto coelo, duplici illo diuerso circa illam motu, ita rotari, vt terra quidem centrum motus solaris, sol vero planetarii motus centrum esse statuat ^v. Ast vidisse Tychonem difficultates huius systematis, cuius congruentiam cum apparentiis coelestibus, in opere, quod meditabatur, astronomico, explicaturus erat, et ipse prodidit, et KEPLERVS monuit ^w. Viri autem acuti, non minus id confusione et ordinis defectu, quam Ptolemaicum, laborare, quin maiores tenebras officere rei fiderali, dudum

q) Conf. GASSENDVS l. c. p. 414 447. WEIDLER. l. c. p. 392.
r) Coll. Obseru. variar. Paris 1693 edit. vbi extat iter Vranoburgense.
s) l. c. p. 386. f) p. 789.

ff) De libris legendis Diff. III. p. 66.
t) l. c. u) l. c.
v) In App. Tomi I. Progymn. p. 810.
w) Praecept. Rudolph. p. 57. vid. WEIDLER. l. c. p. 392.

dum demonstrarunt. Quo nomine in Anti-Tychone in illud infurrexerit
 SCIPIO CLARAMONTIVS, cui Hyperaspisten opposuit KEPLERVS *.

Ioannes
 Keplerus.

§. IX. Tychoni Braheo socium addidisse optimum imperatorem
 Rudolphum II. IOANNEM KEPLERVM diximus. Tantum debet
 insigni viro, et illustri Sueviae nostrae, ex qua oriundus fuit, ornamento
 astronomia pariter atque naturalis scientia, vt indictum eum hoc loco
 praetermittere nefas sit. Natus exspirante anno MDLXXI Wilae in
 ducatu Virtenbergico, Leonbergae, vicino oppido educatus est; eo enim
 pater, militiam praeclaris facinoribus secutus, ob perditas facultates se
 contulerat, et cauponariam postea in agro exercebat, in exilio relicta vxore
 tandem defunctus. Qui cum filii educationem neglexisset, in coenobio
 Mulefontano inter alumnos receptus literarum semina ita feliciter hausit,
 vt ad Tubingensem academiam mitti posset, vbi in ducali collegio vixit.
 Ibi anno MDXCI magister philosophiae creatus, ministerio ecclesiastico
 se destinavit, duce vero Moeflino in astronomiae quoque mysteria incu-
 buit, eo progressu scientiae fideralis, vt a proceribus Stiriae anno MDXCIII
 Graecium ad occupandam cathedram mathematicam et ethicam euocare-
 tur. A quo tempore totum fere se astronomiae studiis tradidit. Cuius
 specimen praeclarissimum anno MDXCV extare voluit, edito *Mysterio
 cosmographico, siue de admirabili proportione orbium coelestium, deque
 causis caelorum numeri, magnitudinis, motuumque periodicorum genui-
 nis et propriis demonstratum per quinque regularia corpora geometriae.*
 Quo libro ingenii eius perspicacia et eximia eruditio astronomica viris in
 ea arte summis, maxime Tychoni Braheo commendata est. Biennio
 post coniuge ducta infelix matrimonium, ob lites de dote obortas habuit.
 Anno MDXCVIII religionis causa in Hungariam exul abiit, muneri an-
 no MDC restitutus. Cum autem indies magis calamitates publicae in
 Stiria suspectae viderentur, Tychonis amicitia et commendatione vsus
 Caesarei mathematici axioma accepit et familiam eo anno Pragam transtu-
 lit, incerto fortunae euentu, cum stipendium non promte solueretur, et illi
 cum Tychone, homine impotente, cui calculi focius erat additus, non fa-
 tis conueniret. Arti itaque salutari horas nonnullas dicauit, vt haberet
 ex quo postea viuere posset. Extincto mox Braheo, Herwarti ab Ho-
 henburg, Cancellarii Bauarici, intercessione stipendium quidem solum
 semel accepit, at postea litibus Tychonis haeredum impeditus, per annos
 vndecim in tanta doctrinae praestantia inopia laborare cum familia coactus
 est. Tandem a Matthia imperatore Lincium euocatus meliorem fortu-
 nae auram sensit, ibique ex fauore procerum Austriae modico stipendio
 vixit anno MDCXXIX Caesaris venia in Alberti Fridlandiae ducis patro-
 cinium transiit, et Sagani docuit, anno sequenti a Rostochiensibus ad
 professio-

x) BAILLET des Satyres person. T. II. p. 141.

L. V. p. 451. 471. BAYLE Dict. T. III. art. Kepler
 p. 3. WEIDLER. Hist. Astron. c. XV. §. 1. 199.

y) Vitam eius enarrat GASSENDVS Vit. Tych.

p. 414.

professionem mathematicam inuitatus, dum in comitiis Ratisbonensibus stipendia residua vrget, ad fidereas sedes anno MDCXXXI, aet. LIX, rapitur. Non est animus vel libros eruditissimos insignis viri ^z, vel merita in rem astronomicam praeclarissima, et quae noua detexit, illustrauit, auxit, exponere; hoc enim ad historiam disciplinae fideralis pertinet. Ast id praetereundum non est, acutissimum philosophum vidiſſe nonnulla et monuisse in naturali scientia, quibus sequens aetas, et in ea maxime Cartesius *, velut nouis inuentis, superbire coepit; inuenisse praeclaras hypotheses, quibus postea haud pauca naturalis doctrinae capita inaedificata sunt. Obseruatum id magno LEIBNIZIO †, „diuina prouidentia factum esse, vt obseruationes et molimina Tychonis in manus viri incomparabilis, Ioannis Kepleri venirent, cui fata seruauerint, vt primus mortalibus publicaret

Iura poli, rerumque fidem legesque deorum.

„Hunc enim inuenisse, quemlibet planetam primarium orbitam describere „ellipticam, in cuius altero focorum sit sol, ea lege motus, vt radiis e „sole ad planetam ductis areae semper abscindantur temporibus proportio- „nales. Eundem deprehendisse, plures planetas eiusdem systematis habe- „re tempora periodica in sesquuplicata ratione distantiarum mediarum a so- „le. - - Sed tantarum tamque constantium veritatum causas dare non „potuisse, tum quod intelligentiis, aut sympathiarum radiationibus inex- „plicatis haberet praepeditam mentem, tum quod nondum illius tempore „geometria interior, et scientia motuum, eo quo nunc, profecisset. „Apparuisse tamen et rationibus indagandis aditum. Nam ipsi pri- „mum indicium deberi verae causae grauitatis, et huius naturae „legis, a qua grauitas pendeat, quod corpora rotata conentur a „centro recedere per tangentem, et ideo si in aqua festucae vel „paleae innatent rotato vase, aquam in vorticem actam, festucis den- „siorem, adeoque fortius, quam ipsas, excussas a medio festucas versus „centrum compellere, quemadmodum ipse diferte duobus et amplius locis „in Epitome astronomiae exposuerit, quanquam adhuc subdubitabundus, „et suas ipse opes ignorans, nec satis conscius, quanta inde sequerentur, „tum in physica, tum speciatim in astronomia. Sed his deinde egregie „vfum esse Cartesium, etsi more suo auctorem dissimularit: miratumque „se esse saepe, quod Cartesius legum coelestium a Keplero inuentarum „rationes reddere ne aggressus quidem sit &c.“ Satis haec ingenii Kepleriani felicitatem detegunt, et manifestum faciunt, qua in re naturali disciplinae vtilissimam operam praestiterit. Quod autem Leibnizius dicit, Keplerum,

^z) Vid. WEIDLER. l. c. BAYLE l. c. eminent Tabulae Rudolphinae, in quibus auctor primum logarithmos ad calculos astronomicos traduxit. Colligere Kepleriana atque edere dudum molitus

est cel. HANSCHIVS, vid. Epp. Leibniz. Vol. III. p. 82. seqq. IV. 453.

*) Diximus ea de re in vita Cartesii, conf. BAYLE l. c. not. D. †) Act. Er. 1689. p. 82. seqq.

Keplerum, intelligentiis praepeditam mentem habuisse, id de hypothese Kepleriana intelligendum est, qua omnibus mundi corporibus, adeoque fideis quoque, intelligentiam quandam siue animam dirigentem et sentientem inesse, credebat. Quam eius opinionem ita enarrat GASSENDVS ^a, vt moneat, *eum sidera fecisse animata, ac vt instrumenta motus in animalibus sint fibrae digestae per musculos, sic censuisse illum esse et in terra et in planetis ceteris ingentes fibras aliquas pro ratione motus cuiusque, per quas anima vim suam motricem exercent. Censuisse vero etiam praeter speciales animas, et vires quae insunt in ceteris, esse in ipso sole animam nobilissimam potentissimamque, quae dum solem circum proprium axem, a centro mundi propterea non discedentem circumagat, immateriatas species irradiando circumfundat, quibus planetae velut correpti ipsi soli circumducantur.* Quae hypothesis, vt eleganter magno Leibnizio obseruatum, minime quidem physica videtur; immo nec admirandis Dei machinamentis dignum est, intelligentias peculiare itineris directrices assignare sideribus, quasi Deo deessent rationes eadem corporeis legibus perficiendi: ast facile id ferri in Keplero et condonari illi potest, cum tamen leges motus felicissime detexerit, licet in assignandis causis errauerit. Nec hic nouus error est, sed tantae sapientiae opus, quantum in directione legum motuum coelestium conspicitur, semper tale visum philosophis fuit, quod a potentissimis et sapientissimis intelligentiis produceretur, id quod astronomia barbarica satis superque probat. Immo philosophos hodiernos exagitat ideo P. BAYLE ^b, quod eos satis incertos esse putet, annon Kepleriana hypothesis vera sit. Quod tamen non asseruisset vir acutissimus, si matheos paulo fuisset peritior. Verum de his aliisque, quae ad Keplerum spectant, alibi differendum iudicandumque est.

Galilaus
Galilaus.

§. X. Eodem, quo orbem mathematicum Keplerus ornauit, tempore magna sideralis scientiae fama eminuit GALILAEVS GALILAEVS, vir celeberrimus, cuius vitam rogatus a cardinale Carolo Mediceo scripsit VINCENTIVS VIVIANI, praefigendam scriptis Galilaei vno fasce edendis, quam in tenebris latentem tandem in lucem protraxit SALVINVS SALVINI, inseruitque *Fasces consularibus academiae Florentinae* ^c, Germanico vero habitu indutam prodire iussit celeberrimus HEVMANNVS ^d. Nos pro instituti ratione pauca quaedam de tanto naturae siderumque interprete ex hac biographia notamus. Natus est, Galilaus Galilaus Pisis anno MDLXIV, XV. cal. Mart. patre Vincentio Michangelo Galilaeo ^e, matheos musicaeque peritia instructo. In pueritia et ingenii diuini singularem plane et inusitatam alacritatem, et mathematicarum rerum atque instrumentorum amorem prodidit. Qua naturae felicitate adiutus magna studiorum incrementa cepit, quamuis idoneis magistris destitueretur. Nam et artis musicae

a) Physic. Opp. T. I. p. 635.

b) Loc. cit.

c) p. 397. seqq.

d) A& Phil. Vol. III. p. 261. seqq. 400. seqq.

e) Spurious facit nostrum ERYTHRAEVS Pinnac. I. p. 279. negat biographus, conf. A& Erud. T. VIII. Supplem. p. 354.

musicae exercitatione, et Graecae linguae cognitione et logices vulgaris notitia (quam tamen mature nauseare coepit) et pingendi delineandique artificio mirum in modum adolescens excelluit. Annos natus octodecim anno MDLXXXI Pisas missus, et philosophiae Aristotelicae atque artis salutaris studiis destinatus est. Qui cum acerrime iudicaret, mox vidit, quibus ineptiis atque tricis scholastica doctrina et philosophia recepta tangeret, cuius etiam naeuos et errores in publicis disputantium circulis fortiter tangere non neglexit, licet parum se gratiosum apud Aristotelis pedisequos fore intelligeret. Ipse igitur, cum a viuis praeceptoribus parum castioris disciplinae sibi promitteret, ad veteres philosophos Graecos diuertit, et historiae philosophicae cognoscendae non leuem operam impendit. Mathematicas autem artes haecenus neglexerat, quarum exigua eo tempore in Italia cultura florebat. Quarum discendarum cupiditatem pater ei accendit, quae in flammis mox erupit, praecipue cum Ostilio Riccio Firmo, mathematico persuasisset, vt Euclideae axiomata ipsi explicaret. Ita factum, vt mathesi plus fauere, quam medicae arti, inciperet, indignante patre, et Riccio interdiciente, ne ad has porro artes filium duceret. At ille suomet, quod excellentissimum nactus erat, ingenio confusus, legere ipse Euclidem et intelligere demonstrationes eius coepit, ea felicitate, vt parentem tanta eius lumina obstupescentem commoueret, vt suo genio indulgere et tradere se totum geometriae reliquisque scientiis mathematicis pateretur. Quo impedimento superato dimisit medicinae studium, et veterum geometrarum, praesertim Archimedis scripta legere et meditari conatus, miros in geometria reliquisque matheos partibus profectus sensit. Quos cum sciret magnus Hetruriae dux, eum vix viginti sex annos natum cathedrae mathematicae in academia Pisana praefecit. Intellexit vero vir acutissimus, frustra haecenus Peripateticos in detegenda natura rerum materialium atque naturalium desudasse, quod leges motus naturales non intelligerent. Ad hoc itaque nobilissimum physicae caput cum magna cura attenderet, naturam motus mechanici propius inspexit, ita vero pseudo-philosophos et ignorantiae patronos aduersarios expertus est. Anno MDXCII a republica Veneta in sexennium ad Patauinam cathedram conductus est, eamque spartam inuentis machinis vtilissimis editisque lucubrationibus mathematicis egregie ornauit, nonnullas aliis donauit, qui eius postea plumis ornati superbire non erubuerunt. Thermometrorum circa hoc tempus inuento inclaruit; cumque sexennium istud effluxisset, in aliud operam suam Patauinae academiae denuo, aucto stipendio, addixit; idem tertio factum anno MDCVI, salario largiori soluto. Anno MDCIX cum ad aures eius perlatum esset, obtulisse Belgam quendam Mauritio Nassouiae comiti perspicillum, cuius ope obiecta distita velut propinqua intueri liceret, isque ab amicis de rei certitudine esset persuasus, de simili tubo optico inueniendo cogitare coepit, eumque post aliquot tentamina innixus doctrinae de refractione tandem

dem ita perfecit, vt organon opticum conſtrueret, quo res viſae millies maiores conſpicerentur, vt ipſe narrat in *Nuncio ſidereo*, quo loco legendus eſt. Quo *εὐρηματι* ita reipublicae Venetae fauorem aucupatus eſt, vt triplici ſtipendio ditato ad vitae dies munus mathematici reip. confirmaretur. His tentaminibus feliciter cedentibus ad microſcopia conſicienda delatus eſt, tuborum autem opticorum acie in coeli partes conuerſa noua multa, et inaudita haecenus detexit, quorum hiftoriam ipſe in *Nuncio ſidereo* contexit. Vidit enim in lunae facie aſperitatem, praecaltos montes, profundasque valles, in lacteo circulo et ſtellis nebulofis innumeram fixarum nudis oculis inconſpicuarum congeriem, in Venere phaſes, quales luna habet, in Saturno figuram oblongam et quaſi tricorpoream, quatuor porro circa Iouem lunas, quas fidera Medicea nuncupauit, et in ſole maculas ex quarum motu collegit, ſolem circa axem ſuum rotari. Tam ſtupendas ſiderum facies cum orbi detexiſſet, et laudatum librum Coſmo Hetruſiae principi inſcripſiſſet, adeo diligentia Galilaei feliciffima Moeccenati huic placuit, vt epiſtola ad eum data illi de ea re gratularetur, et philoſophum atque mathematicum Hetruſiae eſſe iuberet. Orbis autem aſtronomicus mire eius conatibus applaudit, quamuis eſſent haud pauci, qui iucunda ſibi ingenii elegantis ſomnia narrari crederent, quos tamen de rei veritate experientia poſtea conuicit. Anno MDCX a magno Etruriae duce vocatus Florentiam conceſſit, viditque Venerem non minus, quam Lunam crefcere et decreſcere. Biennio poſt itinere Romam factum coram cardinalibus aliisque viris principibus, macularum ſolarium aliarumque obſeruationum experientiam demonſtrauit, adſcriptus propter ingenii perſpicaciam academiae lynceorum. Aetate ſequente dum cogitationes de maculis iſtis vulgare ſcripto contendit, crabrones Peripateticos vehementer irritauit *f*, quos tamen edita reſponſione diſiecit fugauitque diſcipulus eius Benediſtus Caſtelli, Mathematicus Piſanus. Ipſe in Florentino agro, qui Philippi Saluiati erat, totus in fidera contemplanda incubuit, cumque macularum detectarum gloriam ſibi Chriſtophorus Scheinerus, Societatis Ieſu theologus vindicaret, cum eo, intercedente Marco Welſero noſtrate, viro ſummo, in epiſtolis concertauit *ff*. Sed et nouorum inuentorum auxilio ad vtiliffima problemata conuerſus, longitudinum geographicarum inuentionem ope obſeruationum circa Iouiales moliebatur, et quantum inde rei nauticae emolumentum enaſci poſſet, aulae Hiſpaniae regis, per magnum ducem ſignificauit, fruſtraneo tamen euentu: Comparentem vero in coelo cometam anno MDCXVIII licet aeger, lectoque affixus, obſeruauit, Horatii Craſſi, mathematicum profeſſoris Romani aliorumque hypotheſes varias et nihil recti ſignificantes, reiecit, quas eius cogitationes Marius Giudiccus edito libello *de Cometis* vulgauit, fremente et indignante Craſſo, et haud parum inuidiae Galilaeo conſtan-

f) Conf. quos nominat WEIDLERVS loc. cit. p. 426.

ff) Scriptores de hac controuerſia nominat HEYMANNVS l. c. p. 807.

conflante. Qui cum *Systematis Cosmici* explicationem accuratam moliretur, et quam pulchre sententia Philolai et Copernici cum coeli phaenomenis conspiraret, demonstrare vellet, anno demum MDCXXXII prodire in publicum ausus est, praemissa anno antecedente *Collectione testimoniorum PP. et theologorum de S. Scripturae dictis in conclusionibus mere naturalibus, quae experientia sensuum et demonstrationibus necessariis euinci possunt, temere non usurpandis*. Vix autem Systema Cosmicum ediderat, lingua vernacula et dialogistica methodo vsus, ex terrae motibus, fluxuque et refluxu maris demonstraerat, qua verisimilitudine Copernicana hypothesis Ptolemaicae esset praefenda, cum optatissimam occasionem insidias illi struendi nacti aduersarii Romanos censores, patresque ecclesiasticos, quos istam hypothesein anno MDCXVI damnauisse supra notauimus, excitarent, vt haereticae prauitatis philosophus incomparabilis accusaretur. Citatus Romam ab officio, cum comparuisset, honestiori carcere conclusus, rationem reddere iussus est. Ex quo loco cum male responderi posse intelligeret, sententiam retractauit, dialogum istum inter libros prohibitos relatum vidit, sicque post quinque menses, Roma quidem liber dimissus, sed Senensis tamen archiepiscopi, Piccolominei palatio excedere prohibitus est. Paruit Galilaeus et fauente hospite totum se perquirendis legibus mechanicis resistentiae corporum tradidit. Permissum tamen post menses quinque, rus quoque concedere, quo vellet, locum sibi studiis suis commodum delegit, amicos vero frequentes penes se habuit. Systema cosmicum autem a Matthia Berneggero Latinitate donatum, et in alias quoque linguas conuersum, miro vbique applausu exceptum est: indignante Galilaeo, cuius intererat, vt ex animo istam hypothesein eiurasse crederetur. Resumpto deinde anno MDCXXXVI, longitudinum definiendarum labore Belgii foederati proceribus, quae detexisset, obtulit. Qui cum tanti viri merita nossent, torquem aureum ei obtulerunt, quem accipere tamen noluit, nisi cogitationibus suis prius examinatis. Quod cum a rerum peritis proceres Belgii foederati fieri iussissent, et hi Galilaei inuentis subscripsissent, missi sunt Martinus Hortensius et Blauius, qui Galilaei obseruationibus interessent, et calculos necessarios pro compositione tabularum tractarent. Ast fatale, quod Galilaeo incidit, malum, laudatissimum institutum interrupit. Nam post XXVII annorum labores et obseruationes fidereas oculorum acie et tandem vsu omni priuatus, coepta absoluere non potuit. Scripta ideo sua et obseruationes Vincentio Renierio tradidit, ad Batauos mittenda, vt negotium perficeret, schediasmata alia amicis donauit, eo quod typis vulgare nihil amplius vellet. Animum tamen ad absoluenda, quae molitus erat, scripta nonnulla adiecerat: at oculorum artuumque doloribus et febris lenta depastus exequi consilium non potuit, ereptus inuidiae et ignorantiae persecutionibus anno MDCXLI ineunte. Haec Viuianus;

L I I 3

cuius

g) Conf. LEO ALLATIUS in Apib. Vrbanae p. 118.

cuius narrationem ideo sequendam esse duximus, quod is inter carissimos Galilaei discipulos fuerit, et scire res praecceptoris potuerit ^b. Conferri autem cum ea possunt, quae dedit I. NIC. ERYTHRAEVS ⁱ, et quae doctissimus HEVMANNVS ^k ex aliorum scriptis de Galilaeo annotauit. His enim inhaerere diutius hoc loco non licet. Librorum indicem dabit LEO ALLATIUS ^l, quocum conferendus Cl. WEIDLERVS ^m. Nobis in praesentia ideo praestantissimus Mathematicus extollendus laudibus est, quod non solum obseruationibus astronomicis, sed et geometricis et mechanicis philosophiae naturali insigne lumen accenderit, laudatus ideo ex merito a viris doctis, quorum testimonia collegit THOMAS POPE-BLOVNTIUS ⁿ, qui consulendus. Illud certum, in emendanda et firmitiori fundamento collocanda physica Galilaeo omnium plurimum tribuendum esse, unde recte Cl. CROVSAZIO ^o illustris mathefeos et hodiernae physicae parens dicitur. Quamquam enim Keplerus leges motuum naturalium iam detexerat, geometriae tamen sublimioris auxilio destitutus in causas earum non penetravit, vt supra dictum. Ast Galilaeus geometriam mechanicam, in qua prope solus inter veteres geometras Archimedes aliquid vidit, aggressus, iudice LEIBNIZIO ^p, *exacto iudicio magna-que interioris geometriae notitia instructus, pmoeria scientiae protulit primus, idemque solidorum resistentiam ad geometriae leges reuocare coepit.* Qui et hoc addit: *Quamquam non semper acu rem tetigerit, vsus hypothesis non satis certis ex fundamentis tamen positus recte ratiocinatum esse.* Et ab eo quidem tempore rationes mechanices geometricae diligenter excultae, mirabilem naturae rerum materialium cognoscendae lucem accenderunt.

Physicae incrementa ex studio mathematicorum geometrico-mechanico.

§. XI. Valde auctum est ab eo tempore, quo Galilaeus naturalis disciplinae pmoeria cum obseruationibus astronomicis, tum calculo geometrico ad mechanicam applicato dilatauit, physicae studium. Certatim enim prodierunt geometrae praestantissimi, qui nouas motus legis detegendo infinitas naturalis scientiae veritates geometrico calculo subiecerunt. Et hinc alterum mathematicorum genus constitui potest, quod geometriae mechanicae attemperatae auxilio physicam disciplinam maximo lumine collustrauit. Et ipsum quidem Galilaeum, quem secuti sunt Torricellius et Cauallierius, rem non semper acu tetigisse, et supra iam dictum, et in tam difficili argumento adeo mirandum haud est. Solet enim, vt in naturae regno, ita etiam in disciplinis diluculum solem plenumque diem praecedere. Perfectiorem tamen cognitionem geometricam monstrauit Gregorius de S. Vincentio, qui imprimis insignem hyperbolae usum in scientiis physico-mathematicis primus fere vidit ac ostendit, et intimioris

b) Conf. Act. Erud. 1709. p. 159. i) l. c.
k) l. c. p. 803. seqq. l) l. c.
m) l. c. vbi Astronomici recensentur.

n) Conf. cel. Auſt. p. 897.
o) Logic. P. IV. c. 12. §. 10.
p) Act. Erud. 1684. p. 319.

mioris geometriae adyta pandit ^q. Quem citatis pedibus sequuti Harriotus, Cartesius, Wallisus, Fermatius, Hugenius alique semitam eam ingressi sunt, quam post horum tentamina tandem ingenti ingenii perspicacia aperuerunt maximi geometrae, Leibnizius atque Newtonus, qui insignem geometrarum cateruam post se traxerunt. Quos hoc loco adducere esset extra oleas vagari. Ast merentur tamen duumviri maximi hoc loco eo magis memorari, quo magis ad philosophiam geometriae auxilia transferre diuino calculi differentialis et methodi fluxionum auxilio fategerunt, et tantum non alios plane physicae vultus effinxerunt. Et Leibnizii quidem memoriam supra iam recolimus: cui praeter Hospitalium, Varignonium aliosque insignes viros illustri Bernoulliorum familia addenda est, quae in hoc physici luminis genere immortalia merita habet. De magno Newtono autem eo magis hic dicendum est; quo magis, inuito licet viro maximo, in sectam abiit philosophia Newtoniana. Quam tamen describere totam more nostro eo minus licet, quo minus vel locus vel institutum nostrum, quod in speciali parte philosophiae non occupatur, id patitur. Dicemus vero strictim de vita celeberrimi mathematici, deque meritis et dogmatibus eius illa paucis afferemus, quae in historia philosophiae vniuersali ignorari nequeunt.

§. XII. Laudauit ISAACVM NEWTONVM more suo, elogium maximi viri conscribendo disertus FONTENELLII ^r calamus, cuius biographia vel oratio potius panegyrica aliquoties Anglica lingua recusa est: dederunt quoque eius summam Ephemerides nonnullae literariae ^s. Vitam autem eius enarrauit anonymus Britannus ^t, nos pauca hoc loco, instituti memores repetimus. Vidit incomparabilis philosophus atque mathematicus lucem VII. cal. Ian. anni MDCXLII. Cantabrigiae illustri et antiqua Newtoniorum familia fatus. Tanta vero ingenii quod a natura acceperat, diuini specimina puer iam demonstrauit, vt cum insatiabili disciplinarum desiderio arderet, quae maturae aetatis hominibus difficilia sunt, facile intelligeret, et Euclidis theoremata atque demonstrationes nullo negotio assequeretur. Totum ergo cum se non elegantioribus modo literis, sed et feuerioribus disciplinis, maxime artibus mathematicis dedisset, quae in geometricis Cartesius tradidit, et in opticis Keplerus, inter ipsa, quae posuit, matheseos rudimenta excussit ^u, facilitate et felicitate ingenii tanta, vt viginti quatuor annorum iuuenis, anno MDCLXV quadraturam circuli, hyperbolae, et aliarum quarundam curuarum per series infinitas ex WALLISII arithmetica infinitorum, per interpolationem serierum eius primo deduceret, deinde methodum excogitaret,

Isaacus
Newton.

q) Conf. Memoire pour l'Histoire des decouvertes qu'on a fait en Mathematique dans ces derniers Siecles, Mem. de Trevoux 1721. Juin. art. 4.

r) Elogior. T. III. Opp.

s) Present state of the rep. of lettres 1720. Juin.

P. II. art. 5. Journ. des savans 1734. Mai. art. 6. Bibl. Franc. Tom. XI, P. I. art. 5.

t) Londin. 1728. 12.

u) Didicisse a Wreenio multa Newtonum tradit Leibnizius. Recueil T. II. p. 19.

gitaret, easdem series per diuisiones et extractiones radicum inueniendi, quam anno sequente generalem reddidit. Id quod ex schedis eius se didicisse contendunt maximi geometrae affeculae ^r, praecipue ex Collinsii, qui amplissimum cum sui seculi mathematicis commercium aluit, scriniis. Ex quo commercio Collinsii constat, Newtonum haec mysteria perquisiuisse duce Ilaaco Barrouio insigni geometra in academia Cantabrigiensi, acceptoque anno MDCLXVII gradu magistri artium, tantum in hac methodo inuestigandi magnitudinum dimensiones per infinitas series, aliquot annos, antequam MERCATORIS logarithmotechnia anno MDCLXVIII prodiret, profecisse, vt huc vni inuentionis gloria debeat. De hac enim ipsum illustrem virum, et multo magis eius affeculae his testimoniis pertinaciter pugnauisse, supra iam ^u ex parte tetigimus. Talis cum esset, collegio SS. Trinitatis focius adscriptus a Barrouio prouinciam publice praelegendae matheos in se recepit, et postea professor mathematicum Lucasianus in academia Cantabrigiensi constitutus est. Quo axiomate ornatus senatui regni nomine academiae anno MDCLXXXVIII, et anno MDCCI interfuit. Non autem excellentissimum, quae plaudente et consentiente mathematicorum omnium choro sibi parauit, meritorum illustrius testimonium est, quam quod inter primos fuerit, quos ex exteriorum numero suo albo adscripserit academia scientiarum Parisiensis; Londinensis autem famae eius atque doctrinae consummatae gloria illum sibi anno MDCCIII praesidem elegerit, quo honore ad vitae finem functus est. Cumque non theoretica tantum eruditione emineret, sed et vitae civilis prudentia esset commendatissimus, suprema rei monetariae cura ei equiti aurato demandata est, ex quo munere amplissimi prouentus ^v ad eum redundarunt. Quamuis autem vir summus in rimandis mysteriis geometricis et arithmetis tanta felicitate ab ipsis iuuentutis annis versaretur, non tamen ante annum MDCLXXXVII nouam, quam geometriae calculique sublimioris auxiliis adiutus construxerat philosophiam naturalem et mathematicam communicare cum vulgo voluit. Hoc enim anno lucem prima vice vidit liber incomparabilis, cui *Philosophiae naturalis principiorum mathematicorum* titulum praefixit. Nempe minime satisfecerat maximo viro physica Cartesiana, nec Gassendiana quoque doctrina placuerat, cum videret, statuere eos ^w quidem materiam vniuersam homogeneam esse, et omnem formarum varietatem, quae in corporibus cernitur, ex particularum componentium simplicissimis quibusdam et intellectu facillimis affectionibus oriri; atque hoc pacto recte progressionem instituire

^r) GUIL. IONES Praef. ad *Analys. per quantitatum series, fluxiones et differentias*, CONTI Epist. ad Leibniz. Recueil T. II. p. 13.

^u) In Vita Leibnizii. Is Newtono proprio Marte acquisitae inuentionis laudem non denegauit, sibi vero calculum differentialem suis luminibus enatum esse constanter asseruit, nec attu-

lerunt Britanni, quod nos contrariae sententiae conuinceret. Qua de re digna sunt, lectu, quae Memoriarum Triuoltiensium auctores 1721. Jun. art. 2. monuerunt. Haec enim tangere prolixius huius loci non est.

^v) 700000 libras Gallicas eum reliquisse biographus ait, rarissimo inter philosophos exemplo.

^w) COTESIUS Praef. nouae editionis 1713.

stituerent a simplicioribus ad magis composita: at licentiam sibi assumere ponendi quascunque libet ignotas partium figuras et magnitudines, incertosque situs et motus, quin et fingendi fluida quaedam occulta, quae corporum poros liberrime permeent, omnipotente praedita subtilitate, motibusque occultis agitata, sicque ad somnia delabi neglecta rerum constitutione vera, fundamentum vero desumere ab hypothesebus: hincque etiam si deinde secundum leges mechanicas accuratissime procedant, fabulam quidem forte elegantem et venustam, fabulam tamen concinnare. Ad aliud ergo philosophiae naturalis genus deveniendum esse iudicavit, quod experimentale esset, et in quo ex simplicissimis principiis rerum causae deriverentur, nihil autem principii loco assumeretur, quod nondum ex phaenomenis comprobatum fuerit, quodque hypotheses non comminisceretur, nec in physicam reciperet, nisi ut quaestiones, de quarum veritate disputetur. Hoc philosophandi genus duplici methodo uti observavit, analytica et synthetica, et illa quidem naturae vires, legesque virium simpliciores ex selectis quibusdam phaenomenis deducendas esse, ex his deinde per synthefin reliquorum constitutionem esse tradendam. Quam philosophandi rationem cum omnium optimam iudicaret; eius illustre exemplum dare constituit, mundani systematis explicationem ex theoria gravitatis deducendo, demonstrandoque gravitatis virtutem uniuersis corporibus inesse, idque apparentias certissime euincere. Quibus positus, et mathematica argumentatione demonstrato: terram et solem et corpora omnia coelestia, quae solem comitantur, se mutuo attrahere, et singulorum particulas quasque minimas vires suas attractiuas habere, pro quantitate materiae pollentes, ac adiecta quoque corporum extensioni, mobilitati et impenetrabilitati gravitate; non potuit non vortices Cartesii reicere, quos fictam causam rerum naturalium asserere contendebat, eo quod experimentis nondum esset euictum, vortices huiusmodi dari, cum e contrario attractionem natura ipsa doceat, vortices autem legibus motus non faciant satis. Non est huius loci historiam immortalis operis contexere, et quo plausu ab uniuersa mathematicorum natione exceptum sit, opere se congerere, hoc enim alium locum postulat, id vnum sufficere, incomparabilem Leibnizium illius praestantiam agnouisse atque depraedicauisse. Quamuis autem methodo fluxionum analyticae opus hoc illustris auctor inaedificasset, ea tamen methodo in demonstrandis theorematibus usus haud est, sed more geometrarum veterum synthetica methodo usus est, quamuis eius vestigia prodiderit. Praeter physicam mechanicam ad rimandam curiosius luminis naturam et pandenda opticae scientiae mysteria magna diligentia attendit, et innumeris experimentis, quae radiorum lucis natura esset, explorare conatus est; cuius industriae specimen aliquod rogatu amicorum quorundam e societate regia, ad cuius societatis scribam missum, et in conuentu ipsorum lectum erat, anno MDCLXXV iam edidit, annis post duodecim theoriam absoluit, ne vero controuersis de hoc argumento implicaretur, ad annum vsque MDCCIV editionem pressit, quo

Hist. philos. Tom. V.

Mm m m

demum

demum anno prodiit lingua Anglica, *Optice, sive de reflexionibus, refractionibus, inflexionibus et coloribus lucis libri tres*, quos Latinos postea reddidit SAMUEL CLARCKIVS, ediditque Londini MDCCXIX. In hoc opere elegantissimo methodo suae experimentalis insistens Newtonus, exponere fatigit noua ac miranda luminis phaenomena, refractionum inaequabilitatem, radiorum in eandem superficiem iisdem angulis incidentium alternas reflexionis ac transmissus vices, varias radiorum prope corporum obiectorum extrema paruo intervallo transeuntium inflexiones, et suos singulorum colores connatos et immutabiles; idque demonstrare clarissimis experimentis sine vlla omnino hypothesi conatus est. Valde placuit incomparabilis viri felicissima in hoc argumento industria viris doctis, praecipue cum in varia refrangibilitate coloris rubri, flauis, viridis, coerulei, violacei et colorum intermediorum ingenii vires supra modum foecundas demonstrauiisset. Ast inuentus tamen est, qui veterem opinionem, quae colores omnes ex lucis et vmbrae commistione deriuat, defendere, et experimenta Newtoni erroris conuincere conatus est. Prodiit enim, IO. RIZZETTI *Specimen physico mathematicum de luminis affectionibus* x, in quo theoriam colorum Newtonianam et Bernoullianam euertere studuit, ad quas tamen obiectiones respondit cel. RICHTERVS y. Tandem anno MDCCXI *Analysis per quantitatuum series, fluxiones ac differentias cum enumeratione linearum tertii ordinis tractatusque de quadratura curuarum* comparuit: quae ad sublimiorem geometriam spectantia omnia vastissimum maximi geometrae ingenium luculenter demonstrant. Mirum autem est, virum in his difficillimis argumentis a iuuentute educatum et versatum in arte critica paucos habuisse pares, et in chronologia ex veterum monumentis eruenda, et ad certitudinem quandam reuocanda, ingenti eruditione fuisse versatum. Cuius rei exemplum esse possunt, *Fundamenta chronologiae* ab eo condita z, in quibus calculo astronomico nixus, et supposito expeditionis argonautarum tempore ante N. C. DCCCCXXXVII, recentiorem antiquitatum Graecarum periodum annis DXXXIV, quam fieri alias solet, facit. Quo de argumento controuersiam ei mouerunt abbas Contius, Societus Iesuita, Freretus, Befordus Harduinus alii, quorum obiectiones in chronologiae historia enarrandae, et ibidem quoque exponendum, quid de Danielis vatis Chronologia Newtonus statuerit *. Quem in animo quoque habuisse sacra oracula ex mathesi illustrare refert bibliothecae Anglicae conditor. Sed interrupit indefessam Newtoni diligentiam, quam sanitas ad LXXXV aetatis annum inconcussa haecenus sustentauerat, fenestris

x) Conf. A&E. Erud. T. VII. Suppl. S. 3. art. 7.

y) In breui disquisitione de iis, quae opticae Newtonianae in epistola ad Christianum Martinellum non ita pridem opposuit Io. Rizzettus, conf. A&E. Erud. l. c. S. 5. art. 7. Dissentit quo-

que a Newtoni theoria colorum Io. CASP. FENCIVS in libro de coloribus coeli.

z) Ea tamen inuito Newtono in lucem prodierunt.

*) Conf. Bibl. Française 1726. Jul. art. 1. 2.

†) Biblioth. Angloise T. IX. art. 8.

et utis infirmitas, et incontinentia vrinae, qua exhaustus tandem anno MDCCXXVII, XIII. Cal. Apr. mortalium rebus ereptus est. Vixit autem vix vnquam philosophus et mathematicus, quem viuum adhuc adeo doctrina in coelum apud plerosque extulerit, et non ciuibus modo suis stupendum, sed et exteris admirandum fecerit. Et illi quidem inuidendis elogiis et veneratione, quantum ornamentum in Newtono Angliae obtigisset certatim prodiderunt, patuitque in exequiis regali pompa habitis, loco sepulturae, epitaphio ^a et statua eius in horto regio Richmondi inter heroes posita ^b, numo condito ^c, omnibus insulae ornamentis literariis eum fuisse praelatum. Post mortem autem, pauci fuerunt, in tam ferace philosophorum acutissimorum insula, qui non in naturali philosophia eius disciplinae se addictos faterentur, sic vt, inuito sine dubio viro immortalis fama, philosophia Newtoniana inter Anglos in sectam abierit. Maxime vero viuo adhuc Newtono inter eius sectatores eminuerunt Rogerus Cotesius, astronomiae et philosophiae experimentalis professor Plumianus apud Cantabrigienses ^d, cui nouam principiorum philosophiae editionem debemus, Samuel Clarkius, theologiae professor, qui opticam latinam fecit et Newtonianam philosophiam contra obiectiones Leibnizii magno acumine defendit ^e, Io. Keilius, astronomus Oxoniensis ^f, qui pro inuentionis methodi fluxionum gloria Newtono vindicanda acriter pugnauit, Guilhelmus Whistonus, qui systema solare ex eius mente concinnauit, quibus addi complures alii possent, si Newtonianae philosophiae historia scribenda esset, quam vt eruditi viri, qui eam accurate tenent, sine partis studio moliantur, merito optamus. Sed et extra insulam fuerunt, qui in admirationem non Newtoni modo, sed etiam eius philosophiae rapti, has partes amplexi, et philosophiam quandam Newtonianam commenti sunt. Inter quos eruditionis elegantia aliis praefendus est GVIL. IACOBVS S^r GRAVESANDE, A. L. M. et I. V. D. societatis Londinensis membrum et astronomiae atque mathefeos professor Lugduni Batauorum. Is enim anno MDCCXX prodire iussit *Physices elementa mathematica, experimentis confirmata, siue introductionem ad philosophiam Newtonianam*. In qua demonstrationes equidem difficiles et abstrusas viri summi faciliores et clariores facere promisit, lectorem tamen geometriae non ignarum requirit. Quin et ingeniosissimus VOLTAIRIVS, non contentus carminis Gallici gloria, inter Newtonianos asseclas eminere quoque contendit. Nam non solum Newtonianam philosophiam omnium hominum captui attemperare peculiari scripto ^g conatus est, sed et metaphysicam

Mm mm 2

a) Vid. Nou. lit. Lips. 1731. p. 697.

b) Ibid. p. 497. 1732. p. 731.

c) Ibid. 1734. p. 108.

d) Epitaphium a Bentleio acutissimo mathematico 1717 defuncto positum exhibet Hist. of Works of the learned 1738. May. art. 4. conf. Suppl. Nou. lit. Lips. T. IV. p. 808.

e) T. I. Recueil. Debemus ei Annot. ad ROHARTII Physicam.

f) Edidit praeter astronomica Introduct. ad veram physicam, conf. STOLL. Hist. lit. P. II. c. 4. §. 48. p. 560.

g) Elemens de la philosophie de Newton mise a la portee de tout le monde. Amst. 1738. 8.

physicam Newtonianam atque Leibnizianam, inuito, si viueret Newtono, comparare inter se, huncque illi multis modis postponere studuit *s.* Quo tamen in libro, impares congressus Achilleis eum prodidisse, et nec mysteriis Newtonianis explicandis, nec refutando euertendoque systemati Cartesiano et Leibniziano sufficere, anonymus Cartesianus *b.*, et doctissimus KAHLIVS demonstratum iure. Nihil autem, quanta Newtoni fama sit, in aprico magis ponit, quam studium sectatorum Newtonianorum, philosophiam hanc, abstrusis et difficillimis theorematibus et demonstrationibus vix acutissimis ingeniis peruiam ita explicandi, vt nec foeminarum sensus atque captum refugiat. Quod saxum voluere inter Anglos coepit HENRICVS PEMBERTONVS, edita *Introductione in philosophiam Isaaci Newtoni* *c.*, qui tamen coruos delusisse hiantes nonnullis visus est. Idem tentauit inter Italos FRANCISCVS ALGAROTTI, qui theoriam colorum lucisque et attractionis dialogo Italico explicuit, praefixo titulo: *Newtonianismus pro foeminis* *d.* Qui libellus cum rem luculenter explicaret, non tantum a PERRONIO DE CASTERA in Gallicam linguam conuersus, sed a CARTERIA erudita quoque foemina, nuper, non sine ingenii philosophici laude *e.*, Anglis vernacula legendus traditus est. Adolescentum autem, sublimioris matheos expertium studiis quam maxime consulendum esse ratus est GEORGIVS PETRVS DVMCKIYS, edita *Philosophia mathematica Newtoniana illustrata*, in qua elementis matheos ad comprehendendam demonstrationem huius philosophiae scitu necessariis praemissis, definitiones et leges motus generaliores, leges virium centripetarum et theoria attractionis seu grauitationis corporum in se mutuo, tandemque mundi systema explicatur. Ex quibus parca manu ex infinitis, quae dici poterant, allatis satis superque constat, quem locum illustrem inter nostrae aetatis philosophos Newtonus meruerit. Quamuis autem in extollendo viro summo inter se orbis philosophici et mathematici ciues decertauerint, non tacendum tamen, fuisse nonnullos, quibus alia de eo sententia placuerit *f.* Et in ipsa quidem, quod mireris Britannia inuentus est, qui non modo philosophicae accuracionis gloriam Newtono inuideret, sed et impietatis eum clanculum infimularet. Prodiit enim auctore BERCKELEIO vernacula Anglorum, *Philo-*

g) Dictum de eo in vita Leibnizii.

h) Lettre d'un physicien sur la phil. de Newton mise a la portee de tout le monde par Mr. Voltaire 1738. conf. Bibl. Françoise T. XXVIII. P. II. arr. 4. i) Lond. 1728.

k) Vid. Nou. lit. Lips. 1730. p. 449. seqq.

l) History of the Works of the learned 1739. Jun. arr. 1. vbi eruditio et ingenium foeminae istius valde extollitur. Conf. Suppl. Nou. liter. Lips. T. VI. p. 375.

m) Idem fecisse Hazfeldium, qui perpetui mobilis gloriam sibi vindicauit, refertur in Bibl.

Angl. T. XIV. P. I. art. 2. Quod mirari quis posset, cum ex optica et principiis Phil. Newtoni constet, id imprimis vrgere virum summum, definitibus causis mechanicis, in ordine causarum metaphysicarum illico ad Deum recurrendum esse. At quid non consequentiarum machinis eruitur? Nec thesis quoque Newtoniana, spatium esse Dei sensorium periculo carere Leibnizio visa est, vid. Recueil T. I. p. 3. seqq. Sed improprie tantum loqui Newtonum et absque suspitione erroris demonstrat Clarckius Resp. prima §. 3. l. c. p. 7.

Philosophus analyticus ⁿ in quo libello methodum fluxionum incertitudinis, et obscuritatis, eiusque demonstrationes paralogismorum, totumque Newtonianum arithmeticae infinitorum et differentiarum mysterium, inter somnia et tricas numeratur, mathematicos vero summos, qui in Anglia viuunt, libertinismo frigidam suffundere contenditur. Quam seripcionem ad commaculandam Newtoni famam collineare facile obiecta impietas et astutia atque artes prohibita, quas ad obtinendam auctoritatem Newtonus adhibuisse dicitur, produnt. Cui tamen impudentiae anonymus Philalethae nomine adscito apologiam opposuit ^o. Extra insulam et Cartesianorum factio, et Leibnizianorum cohortes magnis animis philosophiam Newtonianam adorti sunt, rati excelluisse quidem virum celeberrimum in geometria et disciplinis matheos reliquis, ast mediocrem tantum philosophiae notitiam possedisse, nec tanti esse obiectiones eius contra systema Cartesii physicum, vt hoc derelinquendum videatur, et in eius locum qualitas attractionis occulta collocetur. Qua in pugna eminuit acutissimi inter Gallos philosophi PETRI REMONDI MONTMORTII ^p diligentia, qui in *Comparatione principiorum physycorum Cartesii cum principiis philosophorum Britannorum* ^q, fortia tela in Newtonianam philosophiam vibrauit, et carere eam ratione sufficiente, duritiem, grauitatem et attractionem qualitates corporis concreatas constituendo, vacuumque asserendo, et simplici vorticum hypothefi principia obscura et minime intelligibilia surrogando, demonstrare conatus est. Ex altera parte ipsum Leibnizium magnis arietibus placita Newtoniana concussisse, et aduersus Clarckium acriter contra attractionem, sensorium Dei et similia Newtoni placita pugnauisse, ex illius historia supra enarrata, exque *Collectione scriptorum Leibnizianorum, Newtonianorum, Clarckianorum* constat ^r. Maxime vero systema Newtonianum euertere annisus est cel. NIC. HARTSOECKERVS, qui in *Collectione scriptorum nonnullorum physycorum* imbecillitatem systematis Newtoniani ostendere suscepit, cui tamen ex Germanis respondit IACOBVS GEHRINGIVS edito schediasmate de *Philosophia Newtoniana* ^s. Tacemus alias Leibnizianorum, Thummigii, Koeleri, Kahlii velitationes, pro Leibnizio contra Newtoni asseclas susceptas. Addi his debent ea, quae de systemate optico a Rizzetto oppugnato supra diximus. Quae vero illustres geometrae Nicolaus et Ioannes Bernoullii de problemate inuerso virium centripetarum contra Newtonum eiusque hyperaspisten Keilium, monuerunt, alio loco enarranda sunt ^t.

M m m 3

§. XIII.

n) The Analyst, Lond. 1734. 8. vid. Bibl. Britannique T. IV. P. 2. art. 8. vbi etiam apologia Philalethae recensetur, cuius auctores esse creduntur Middletonus et Smithus Prof. Cantabrigienfis.
o) Vid. Mem. de Trevoux 1718. Fevr. art. 11. Conf. Nou. lit. Lips. 1730. p. 450.
p) Vid. de eo Mem. de Trevoux 1723. Fevr. art. 6. Nou. lit. Lips. 1724. p. 147.

q) Extat in Europ. Erud. 1718. Oct. art. 3.
r) Recueil de plusieurs pieces de physique ou l'on montre l'invalidité du Systeme de Mr. Newton.
s) Lips. 1722. 4. vid. Act. Er. Germ. P. LXXXIV. art. 4.
t) Conf. si placet Pinacothecam Script. illustr. Dec. II. in elogio Ioannis Bernoullii.

*Philosophia
naturalis
Newtoni.*

§. XIII. Philosophia Newtoniana cuius indolis sit, ex dictis factis constat. Falluntur equidem, qui magnum virum non tantum inter geometras, mechanicos, astronomos, physicos, sed inter metaphysicos quoque summo loco ponunt, ne quid sectae suae desit, in quo cum contemptu aliorum gloriari possit. Absuit ab hac iactantia, ut modestia non minus, quam reliquis virtutibus eminebat, vir optimus, in metaphysicam si non plane contempsit, omnem tamen eius ratiocinandi modum neglexit, omnes hypotheses reiiciens, et ad experientiam solam confugiens. Quod ne frustra dixisse censeamur, en ipsa NEWTONI verba^{f)}, quibus totam principiorum philosophicorum tractationem praestantissimam clausit, et magna quasi voce aliqua obsignavit: *Quicquid ex phaenomenis non deducitur, hypothesis vocanda est; et hypotheses seu physicae, seu metaphysicae, seu qualitatum occultarum, seu mechanicae, in philosophia experimentalium locum non habent. In hac philosophia propositiones deducuntur ex phaenomenis, et redduntur generales per inductionem.* Pulchre vero observatum eruditissimo KAHLIO^{t)}, ex assertis nonnullis, quae magnus vir passim in scriptis suis disseminavit, quaeque ad metaphysicam trahi possunt, inepte aliquam philosophiam Newtonianam etiam metaphysicam exsculpi, cum talia, quae dissolutas scopas exhibent, ad effingendum aliquod doctrinae aedificium minime sufficient. Suum itaque, quem sibi emetiendum delegerat campum, incomparabili viro assignandum esse culibet, infano auctoritatis praedudicio non corrupto patet, neque obstat summae, quam immortalibus meritis sibi acquisiuit, nominis gloriae, si non in omnibus philosophiae partibus reformatorem se praestitisse dicatur. Ad philosophiam ergo naturalem illustri philosophi diligentia referenda est. In qua quid detexerit, quibus legibus naturam rerum circumscripterit, quibus demonstrationibus qualitates rerum, et imprimis, cui totam fere physicam inaedificat, attractionem viresque centripetas euincere studuerit, hoc loco, ubi specialis physicae scientiae historia non traditur, explicari non potest, digna vero est, quae a viro docto rerumque geometricarum et physicarum perito condatur accurata philosophiae naturalis Newtonianae historia. Ne tamen in tanta doctrinae Newtonianae celebritate, quae hodie floret, plane conticuisse, et invidisse lectori tanti viri placita, accusemur, dabimus primo definitiones ab ipso viro celeberrimo allatas, quibus notiones physicas determinat, et principia atque leges, quae inaedificat, et tum qua ratione ex experimentis collecta argumentatione de rebus physicis argumentandum putet, ipsis eius verbis ex *Optica*, ubi pleraque quaestionum nomine in summam contraxit et coaceruavit, explicabimus. Ita vero in *Principiis philosophiae* decernit:

I. Quantitas materiae est mensura eiusdem orta ex illius densitate et magnitudine coniunctim.

II. Quan-

f) L. III. p. 484. ed. rec.

t) Comparat. Phil. Newt. et Leibniz. Praef.

Conf. cel. WOLFII vs Elem. Math. univ. Tom. V. c. 9. p. 474. coll. c. 5. p. 414.

II. *Quantitas motus est mensura eiusdem orta ex velocitate et quantitate materiae coniunctim.*

III. *Materiae vis infita est potentia resistendi, qua corpus vnumquodque, quantum in se est, perseverat in statu suo vel quiescendi vel mouendi vniformiter in directo.*

IV. *Per inertiam materiae fit, vt corpus omne de statu suo vel quiescendi vel mouendi difficulter deturbetur. Exercet vero corpus hanc vim solummodo in mutatione status sui per vim aliquam in se impressam facta, estque exercitium eius sub diuerso respectu et resistentia et impetus.*

V. *Vis impressa est actio in corpus exercita, ad mutandum eius statum, vel quiescendi vel mouendi vniformiter in directum.*

VI. *Vis centripeta est, qua corpora versus punctum aliquod tanquam ad centrum vndique trahuntur, impelluntur, vel vteunque tendunt. Huius generis est grauitas, qua corpora tendunt ad centrum terrae, vis magnetica, qua ferrum petit magnetem, et vis illa, quaecunque fit, qua planetae perpetuo retrahuntur a motibus rectilineis, et in lineis curuis reuolui coguntur. Et par est ratio corporum omnium, quae in gyrum aguntur, quae conantur a centrīs orbium recedere, sed vi aliqua contraria in orbibus retinentur, quae centripeta commode vocari potest. Cuius iustam magnitudinem, vt corpus in dato quouis orbe cum velocitate accurate retineri possit &c. inuenire mathematicorum est.*

VII. *Vis huius centripetae quantitas trium generum est, absoluta, acceleratrix et motrix, referturque ad corpora centripetentia, ad corporum loca et ad centra virium.*

VIII. *Vis motrix ad corpus refertur, tanquam conatus et propensio totius in centrum, ex propensionibus omnium partium composita: vis acceleratrix ad locum corporis, tanquam efficacia quaedam, de centro per loca singula in circuitu diffusa, ad mouenda corpora quae in ipsis sunt, vis absoluta ad centrum tanquam causa aliqua praeditum, sine qua vires motrices non propagantur per regiones in circuitu.*

IX. *Est igitur vis acceleratrix ad vim motricem, vt celeritas ad motum, oritur enim quantitas motus ex celeritate ducta in quantitatem materiae, et vis motrix ex vi acceleratrice ducta in quantitatem eiusdem materiae.*

X. *Voces attractionis, impulsus, vel propensionis cuiuscunque in centrum, indifferenter vsurpantur, has vires non physice sed mathematice tantum considerando. Itaque his vocibus non definitur species vel modus actionis causae aut ratio physica, nec centrīs vires vere et physice tribuuntur, si de viribus centrōrum sermo est.*

XI. *Tempus absolutum, verum et mathematicum in se et natura sua absque relatione ad externum quoduis, aequabiliter fluit, alioque nomine dicitur duratio: relatiuum apparens et vulgare, est sensibilis et externa quaeuis durationis per motum mensura.*

XII. Spa-

XII. Spatium absolutum, natura sua absque relatione ad externum quoduis, semper manet simile et immobile: relatiuum est spatii huius mensura, seu dimensio quaelibet mobilis, quae a sensibus nostris per situm suum ad corpora definitur.

XIII. Locus est pars spatii, quam corpus occupat, estque pro ratione spatii vel absolutus vel relatiuus.

XIV. Motus absolutus est translatio corporis de loco absoluto in locum absolutum, relatiuus de relatiuo in relatiuum.

XV. Distinguuntur quies et motus absoluti et relatiui ab inuicem per proprietates suas et causas et effectus.

XVI. Motus proprietas est, quod partes, quae datas seruant positiones ad tota participant motus eorundem totorum.

XVII. Moto loco mouetur locatum, suntque motus omnes qui de locis motis fiunt, partes solummodo motuum integrorum et absolutorum, qui non nisi per loca immota definiiri possunt.

XVIII. Causae quibus motus veri et relatiui distinguuntur ab inuicem, sunt vires in corpora impressae ad motum generandum, per quas solas motus generatur et mutatur.

XIX. Effectus, quibus motus absoluti et relatiui distinguuntur ab inuicem, sunt vires recedendi ab axe motus circularis.

XX. Leges motus hae sunt I. corpus omne perseverat in statu suo quiescendi vel mouendi vniiformiter in directum, nisi quatenus a viribus impressis cogitur statum illum mutare. II. Mutatio motus proportionalis est vi motrici impressae, et fit secundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur. III. Actioni contraria semper et aequalis est reactio, siue corporum duorum actiones in se mutuo semper sunt aequales et in partes contrarias diriguntur.

XXI. Quantitas motus, quae colligitur capiendo summam motuum factorum ad eandem partem et differentiam factorum ad contrarias, non mutatur ab actione corporum inter se.

XXII. Commune grauitatis centrum corporum duorum vel plurimum, ab actionibus corporum inter se non mutat statum suum vel motus, vel quietis, et propterea corporum omnium in se mutuo agentium, (exclusis actionibus et impedimentis externis) commune centrum grauitatis vel quiescit vel mouetur vniiformiter in directum.

XXIII. Corporum dato spatio inclusorum iidem sunt motus inter se, siue spatium illud quiescat, siue moueatur idem vniiformiter in directum absque motu circulari.

XXIV. Si corpora moueantur quomodocunque inter se, et a viribus acceleratricibus aequalibus secundum lineas parallelas vrgeantur, pergunt omnia eodem modo moueri inter se, ac si viribus illis non essent incitata. Haec principia sunt, quae mathematicis experientia commendauit, et quibus iam ex parte Galilaeus, Wrennus, Wallisus, Hugenius geometrarum

rum principes, vfi sunt. His itaque totam motuum corporum theoriam Newtonus quoque inaedificauit, et qua ratione vires centripetae inueniendae sint, qui motus corporum fit in conicis sectionibus excentricis, quomodo orbis elliptici, parabolici et hyperbolici ex vmbilico dato, motus in orbibus dati, corporum descensus et ascensus rectilineus, orbis in quibus corpora viribus quibuscunque centripetis agitata reuoluuntur, motus corporum in orbibus mobilibus, motusque apsidum, motus corporum in superficiebus datis, et funependulorum motus reciprocus, motus corporum viribus centripetis se mutuo petentium, inueniri et determinari queat, docet. Tum de corporum sphaericorum et non sphaericorum viribus attractiuis, de motu corporum minimorum, quae viribus centripetis ad singulas magni alicuius corporis partes tendentibus agitantur, de motu corporum, quibus resistitur in ratione velocitatis, varia de corporum circulari motu in mediis resistentibus, de densitate et compressione fluidorum, de motu et resistentia funependulorum, de motu fluidorum et resistentia proiectionum, de motu per fluida propagato, et de motu circulari fluidorum tractat, et hoc pacto principia philosophiae naturalis non tamen philosophica, sed mathematica tradit, nempe motuum et virium leges et conditiones, quas tamen scholiis philosophicis generalibus illustrat, qualia sunt corporum densitas et resistentia, spatia corporum vacua, motusque lucis et sonorum. His vero absolutis, ex iisdem principiis methodo mathematica docet constitutionem systematis mundani, et qua ratione vires quae planetas perpetuo retrahunt a motibus rectilineis, et in orbibus suis retinent, quibusque grauitantur planetae, definit, hincque hypotheses efformat, centrum systematis mundani quiescere, solem motu perpetuo agitari, sed nunquam longe recedere a communi grauitatis centro planetarum omnium, planetas moueri in ellipsis vmbilicum habentibus in centro solis, orbium aphelia et nodos quiescere, et ex his problemata magni momenti in astronomia deducit, et cometarum quoque situm, motum, et determinationes explicat. In fine autem vorticum hypothesin impugnat, et haec ad cognoscendam diuini Numinis potentiam et prouidentiam ita applicat, vt, cum motus planetarum maxime regulares in orbibus concentricis, et cometarum in eccentricis, originem ex causis mechanicis habere nequeant, concludat, elegantissimam hanc compagem, non nisi consilio et dominio vnus entis intelligentis et potentis oriri potuisse. Hunc omnia regere non vt animam mundi, sed vt vniuersorum dominum, in qua notione veram Dei notionem quaerendam esse putat. Deum itaque in fine describit, velut dominationem entis spiritualis summam, ex qua sequatur, Deum verum esse vnum, intelligentem et potentem ex reliquis perfectionibus, summum esse, aeternum, infinitum, omnipotentem, omniscium, non esse aeternitatem vel infinitatem nec durationem vel spatium, sed aeternum infinitum durare semper et aesse vbique, et existendo semper et vbique durationem et spatium, aeternitatem et infinitatem constituendo, nec posse esse nunquam

Hist. philos. Tom. V.

N n n n

quam

quam nusquam; omnipraesentem esse non per virtutem solam, sed etiam per substantiam, in ipso contineri omnia et moueri vniuersa, sed absque mutua passione. Deum semper esse ex necessaria existentia vbique et semper, inde esse totum sui similem, totum oculum, totum aurem, totum cerebrum, totum brachium, totum vim sentiendi, intelligendi et agendi, sed more minime humano, more minime corporeo, more nobis prorsus incognito: corpore omni et figura destitui, nec eius nos, nisi attributorum, minime vero substantiae ideam habere, adeoque tantum per proprietates, attributa, rerum structuras et causas finales cognoscere, venerari autem ob dominium. Et hoc quidem pacto nobilissimam tractationem de phaenomenis coelorum et maris nostri per vim grauitatis explicatis claudit, monet autem in fine, causam grauitatis nondum se assignauisse, quamuis certum sit vim hanc oriri a causa aliqua, quae penetret ad vsque centrum solis et planetarum, sine virtutis deminutione, quaeque agat non pro quantitate superficierum particularum in quas agit, vt solent causae mechanicae, sed pro quantitate materiae solidae, et cuius actio in immensas distantias vndique extendatur decrecendo semper in duplicata ratione distantiarum. Satis autem esse, dicit, quod grauitas reuera existat, licet eius causae ignorentur. Tandem spiritum quendam subtilissimum corpora crassa peruadentem, et in iisdem latentem esse statuit, cuius vi et actionibus particulae corporum ad minimas distantias se mutuo attrahant, et contiguae factae adhaereant, corpora electrica agant ad distantias maiores, lux emittatur, et reflectatur, et corpora calefaciat, sensatio omnis excitetur, et membra animalium ad voluntatem moueantur vibrationibus eius per solida neruorum capillamenta ab externis sensuum organis, et ad cerebrum et a cerebro in musculos propagatis. Cuius tamen actionis leges se nondum accurate demonstrare posse fatetur. Et haec quidem in *Principiis philosophiae* Newtonus.

*Hypotheses
physicae
Newtonianae.*

§. XIV. In optica non minus experientia quam calculo geometrico nititur Newtonus, et quae ex longa obseruationum serie didicerat, fundamenti loco subternit, ex quo elegans illa de coloribus et luminis refractione, reflexione, refrangibilitate et similibus tractatio exorta est, quae mere experimentalis est. Subiunxit tamen in fine quaestiones, id est, hypotheses, quas ex obseruationibus his fluere concludebat, quas tamen, vt erat modestia insignis, et nihil pro certo admittebat, quod non vel ex experimentorum inductione, vel ex certissimis regulis exsurgebat, et probari poterat, ad inquirendum de iis, viris doctis proponebat. Ex quibus si *θετιμας* exprimantur, ita visum esse Newtono patet.

I. Corpora et lumen agunt in se mutuo "

II. Corpora omnia fixa quum sunt vltra certum gradum calefacta, lumen emittunt et splendent.

III. Ignis corpus est eousque calefactum, vt copiosius lumen emittat.

IV. Cor-

u) Lib. III. P. I. p. 340. seqq.

IV. Corpora magna calorem suum conferuant diutissime, partibus suis se mutuo calefacientibus.

V. Flamma vapor est, fumus siue exhalatio candefacta, hoc est calefacta eousque, vt lumen emittat.

VI. Sol et stellae fixae sunt ingentes terrarum globi vehementer calidi, quorum vtique calor conferuatur corporum ipsorum magnitudine et mutua actione ac reactione, quae est inter ipsa, et lumen quod emittunt, et quorum partes quidem, ne in fumum abeant, facit non modo sua ipsorum adeo fixa admodum natura, verum etiam ingens pondus, densitasque atmosphaerarum sibi circumcirca incumbentium, et ingenti nisu vndique comprimentium, et condensantium vapores atque exhalationes quotquot emiserint.

VII. Phaenomena luminis non pendent ex nouis modificationibus, sed ex congenitis et immutabilibus radiorum proprietatibus.

VIII. Philosophiae naturalis id praecipuum officium et finis est, vt ex phaenomenis sine fictis hypothesebus arguamus, et ab effectibus ratiocinatione progrediamur ad causas, donec ad ipsam demum causam primam, quae sine dubio mechanica non est, perueniamus *.

IX. Constat ex phaenomenis, esse entem, incorporeum, viuentem, omnipraesentem, qui in spatio infinito tanquam in sensorio suo, res ipsas intime cernat, penitusque perspiciat, totasque inter se praesens praesentes complectatur, quarum quidem rerum id, quod in nobis sentit et cogitat imagines tantum ad se per organa sensuum delatas in sensorio suo concipit et contuetur.

X. Radii luminis exigua sunt corpuscula e corporibus lucentibus emissa, quae diuersas habent proprietates.

XI. Ad colorum varietatem omnem, diuersosque refrangibilitatis gradus producendos nihil aliud opus est, quam vt radii luminis sint corpuscula diuersis magnitudinibus, quorum quidem ea, quae sint minima, colorem constituent violaceum, vtique tenebrosissimum et languidissimum, reliqua, vt eorum quodque in magnitudinem excedit, ita colores exhibeant fortiores et clariore, vti coeruleum, viridem, flauum, et rubrum.

XII. Corpora vim suam actuosam plurimum accipiunt a particulis luminis, quae in eis componendis insunt.

XIII. Corpora inuicem agunt per attractiones grauitatis virtutisque magneticae et electricae.

XIV. Qua causa efficiente fiat attractio, heic non inquiritur, fieri sane potest, vt ea efficiatur impulsu, vel alio aliquo modo nobis ignoto.

XV. Accipienda attractionis vox, vt significet vim aliquam, qua corpora ad se mutuo tendant, cuiusdem demum causae tribuenda sit. Nam ex phaenomenis naturae illud nos prius edoctos oportet, quatenam

corpora se inuicem attrahant, et quanam sint leges atque proprietates istius attractionis, quam in id inquirere par sit, quam efficiente caussa peragatur.

XVI. Corpora omnia fluida composita esse videntur ex particulis duris. Quin et ipsi luminis radii corpora dura esse videntur. Quare durities vniuersae materiae simplicis proprietates haberi potest.

XVII. Natura vniuersa valde simplex est et consimilis sui: perficiens nimirum magnos omnium corporum coelestium motus attractione grauitatis, quae est mutua inter corpora illa omnia et minores fere omnes particularum suarum motus alia aliqua vi attrahente et repellente, quae est inter illas particulas mutua.

XVIII. Vis inertiae est principium passiuum, quo corpora in motu suo vel quiete persistant, vel recipiunt motum vi mouenti semper proportionem respondentem, et resistunt tantum, quantum sibi resistitur. Ab hoc solo principio nullus vnquam in rerum vniuersitate oriri potuisset motus: alio itaque principio opus erat ad mouendum.

XIX. Ex variis binorum motuum compositionibus manifestum est, non semper eandem esse in mundo quantitatem motus, sed posse motum nasci et perire.

XX. Multo magis in eam semper partem vergit natura rerum, vt pereat motus, quam vt nascatur, et quidem is perpetuo imminuitur.

XXI. Quoniam varii motus, qui in mundo conspiciuntur, perpetuo decrescunt vniuersi, necesse est prorsus, quo ii conseruari et recre-scere possint, vt ad actiuosa aliqua principia recurramus, v. c. grauitatis et fermentationis caussam.

XXII. Simillimum veri videtur, Deum O. M. in principio rerum materiam ita formasse, vt primigeniae eius particulae, e quibus deinceps oritura esset corporea omnis natura, solidae essent, firmas, duras, impenetrabiles, et mobiles, iis magnitudinibus et figuris iisque insuper proprietatibus, eoque numero et quantitate pro ratione spatii, in quo futurum erat, vt mouerentur, quo possent ad eos fines, ad quos formatae fuerant, optime deduci: particulas autem primigenias diuidi in partes nulla vi posse, vel naturam earum et texturam immutari.

XXIII. Itaque existimandum corporum omnium mutationes in variis solummodo separationibus nouisque coniunctionibus et motibus durabilium illarum particularum consistere.

XXIV. Hae particulae primigeniae non modo in se videntur habere vim inertiae, motusque leges passiuas, quae ex vi ista oriuntur, verum etiam motum perpetuo accipere a certis principiis actiuosis, qualia sunt grauitas et caussa fermentationis et cohaerentiae corporum.

XXV. Haec principia consideranda sunt, non vt occultae qualitates, sed vt vniuersales leges naturae, quibus res ipsae sunt formatae.

matae. Ea enim existere phaenomena naturae ostendunt, licet causae lateant.

XXVI. Ope principiorum istorum res corporeae vniuersae videntur compositae fuisse ex duris solidisque particulis varie inter se in prima rerum fabricatione sociatis et coniunctis, nutu et consilio agentis intelligentis. Nec decet philosophum alios mundi condendi rationes comminisci*.

XXVII. Irregularitates motus planetarum oriri possunt ex mutuis cometarum et planetarum in se actionibus, quae, verisimile est, fore, ut longinquitate temporis maiores usque eadant, donec haec naturae compages manum emendatricem sit desideratura.

XXVIII. Quamuis animalium omnium vniformitas et conformatio prima nulli rei tribui possit, quam intelligentiae et sapientiae entis potentis semperque viuientis, qui sit sibi vbique praefens, possitque voluntate sua corpora omnia mouere in infinito suo vniformi sensorio, adeoque omnes mundi partes ad arbitrium fingere et refingere: nec tamen mundum spectare debemus tanquam corpus Dei, nec partes eius tanquam partes Dei. Deus enim est ens vniforme, organorum, membrorum, partiumque expers: illa autem omnia sunt creaturae eius voluntati subditae.

XXIX. Quoniam spatium indiuisibile est in infinitum, materia autem non est necessario in omnibus partibus spatii, potest Deus creare materiae particulas variis magnitudinibus et figuris varioque numero et quantitate pro ratione spatii, in quo sunt forte etiam et diuersis densitatibus diuersisque viribus, eoque pacto variare leges naturae, mundosque condere diuersa specie in diuersis spatii vniuersi partibus.

XXX. Quatenus ex philosophia naturali intelligere possumus, quanam sit rerum prima causa, et quam potestatem et ius ille in nos habeat, et quae beneficia ei accepta sint referenda: eatenus officium nostrum erga eum aequae ac erga nosmet ipsos inuicem quid sit, per naturae lumen innotescet.

XXXI. Lex moralis ab origine gentibus vniuersis erant septem illa Noachidarum praecepta †.

Testari haec *Φιλοσοφούμενα* magni philosophi de vastissimo ingenio, nemo facile negauerit, nec diffiteri audent, quibus displicet Newtoniana philosophia; laudanda quoque viri incomparabilis modestia, qua non plus pro certo affirmare cupit, quam experientia duce didicit, reliqua ad quaestiones et hypotheses probabili argumentatione demum dilucidandas refert. Ast non tamen ea vbique laudatissimo proposito respondere, contendunt, qui haud pauca Newtonianae philosophiae obiecerunt. Cumque inter principia prima a Newtono stabilita sit attractio, eam velut qualitatem occultatam et ignotam adeoque minime intelligibilem valde ex-

Nn nn 3 gitant.

* pag. 410.

† pag. 415.

gitant. Fecit id LEIBNIZIVS ^a, qui obiecit Clarckio, attractionem proprie dictam esse operationem, quae explicari nequeat ex natura creaturarum, quaeque non nisi per miraculum explicari possit, nisi recurratur ad absurditates, id est, ad qualitates occultas Scholasticorum, quae sub specioso virium nomine venditentur, quaeque nos ad regnum tenebrarum reuocent. Hoc esse inuenta fruge glandibus vesci. Idem obiecerunt Cartesiani, ex quibus nuperus Voltairii cenfor ^b, postquam obseruasset, ipsum magnum Newtonum loqui de attractione, non velut de causa quadam physica et mechanica, sed tantum mathematica et ideali; eo quod modum actionis causamue aut rationem physicam attractionis definire non audeat: vrget, ex ipsius Newtoni confessione esse attractionem tantum causam possibilem, principium solummodo geometricum, vim quandam incognitam, cuius effectum considerauerit et calculo subiecerit. Quo simpliciter negato omnem demonstrationem et theoriam pulcherrimam concidere. Ipsam quoque ingenii Newtoniani vastitatem peruidisse, attractionis ideam claram nullam esse, sed eam mysterium aliquod, quod intelligi nequeat, inuoluere, et reuera, qualitates occultas scholasticorum dudum sepultas, resuscitare: impulsu quoque multo simplicius omnia explicari posse, qui etiam character sit operum auctoris naturae; qui corporibus coelestibus non aliam legem fixerit, quam sublunariibus; vacuum quoque immensum per perpetuas depastiones astrorum principiis ab omnibus receptis refragari; et verisimile esse, vidisse ipsum Newtonum similes systematis huius naeuos, et difficultates, eo quod passim videatur agnoscere speciem aliquam pleni, materiam quandam subtilem, grauitatem extrinsecam et veram impulsionem. Praeuidisse has obiectiones Newtonum et praeuertere voluisse, ex assertionibus supra allatis constat, quibus diserte monet, se, attractionem non inter causas mechanicas et physicas referre, sed veram eius causam ignorare, aut experientia conuictum nosse et demonstrasse, ex effectu attractionem adesse, et hoc pacto eam odioso qualitatis occultae nomine non esse obuendam. Id quod repetiit COTESIUS ^c, monens: „Occultas esse „causas, non illas quidem, quarum existentia per obseruationes clarissimas demonstratur, sed has solum, quarum occulta est et ficta existentia „nondum vero comprobata. Grauitatem ergo non esse occultam causam „motuum coelestium, siquidem ex phoenomenis ostensum sit, hanc virtutem „reuera existere. Hos potius ad occultas causas confugere, qui nescio quos „vortices materiae cuiusdam prorsus fictitiae et sensibus omnino ignotae „motibus iisdem regendis praeficiant. Quin eo delabitur, vt contendat: „eos qui haec obiicient, fundamenta conuellere philosophiae, etenim „causas continuo nexu procedere solere a compositis ad simpliciores: „vbi ad causam simplicissimam perueniatur, iam non licere ulterius pro- „gredi,

a) Recueil T. I. p. 142.

b) p. 41. seq.

c) Praef. Princ. philos. editionis 1713. et seqq.

„gredi, nec eius dari mechanicam explicationem. Hanc autem ideo ne-
 „gare velle, esse omnem caussarum feriem evertete. Similia Leibnizio
 „respondit CLARCKIVS ^d.“ Verum nec hic defunt, quae aduerfa pars re-
 „gerat. Vrgent enim ipsos quoque Scholasticos non eas dixisse qualitates
 „occultas, quarum effectus minime probatus fit, sed qualitates occultas ad
 „causas physicas referendo, vocasse eas, quarum effectus cum sint mani-
 „festi, causae lateant, nec definiri possint. Id quod recte dici ex vnus
 „SENNERTI dissertatione de occultis qualitatibus * est longe manifestissi-
 „mum. Monent porro ^e, „experientia haecenus non constare, posse cor-
 „pora naturalia alia quadam ratione quam pulsu in se inuicem agere, hinc-
 „que nec sine contactu mutuo alterum in altero motum quemcunque pos-
 „se producere; in attractione autem vere tali omnia contraria plane ratio-
 „ne fieri necesse esse. Nec omnibus illis, quae haecenus innotuerunt, ex-
 „perimentis aliud quicquam probatum esse, quam posse duo quaedam cor-
 „pora ad se inuicem accedere, praeterquam vt causa aliqua indicari ex-
 „terna possit, quae alterum ad alterum appellat, eo tamen ipso nondum
 „probatum esse, rationem sufficientem huius mutui accessus, in alterutro
 „corporum ad se inuicem accedentium modo, quem diximus, latere, ad-
 „eoque et alterutrum illorum alterum attrahere, id quod tamen proban-
 „dum imprimis fit. Quod si per attractionem nihil aliud, quam talem
 „corporum quorundam ad se inuicem accessum mutuuum intelligamus, vn-
 „decunque ille etiam proficiscatur, (quae mens vera Newtoni est) tunc
 „quoniam sic nihil, nisi effectus ipse per eandam intelligatur, obscu-
 „rum per aequae obscurum, atque idem per idem, satis frigide explicari;
 „et si quis causam mutui corporum quorundam ad se inuicem accessum
 „attractionem illorum esse vellet dicere, idem hoc fore, ac si accessum
 „illum ad se mutuuum causam mutui illius accessus esse dicere vellet.“ Alia
 „attractioni Neutoniana obiecta ^f, et eius defensoribus Keilio, Freindio
 „Clarckio, s' Grauefandio, Musschenbroekio aliisque obiecta hic praeteri-
 „mus, nec ea breuitatis causa afferimus, quibus velut inimicis telis con-
 „fossa sunt Newtoniana dogmata. His enim vltra immorari ob instituti
 „rationem non licet.

§. XV. Plurimum adiutam esse insigni diligentia medicorum et *Noua inuen-*
 mathematicorum philosophiam naturalem, ex dictis ignotum esse nequit, *ta physica.*
 et innumera noua extant, quae in physica experientorum fide detexit
 felicissima virorum summorum diligentia. Quorum indicem contexere,
 et quid viderit aetas recentior et in apicum produxerit, veteribus igno-
 tum et perperam traditum operae pretium esset, ex actis physicorum col-
 ligere vnoque volumine comprehendi; vtiliter interim consuli poterit I.
 G. PASCHII catalogus inuentorum nou- antiquorum ^g. Nostrum enim
 non

d) Recueil T. I. p. 188.

e) Hypomn. Phys. II. p. 43.

e) Vid. cel. HOLLMANN. Phys. P. I. cap. 4.
 §. 225. sq. p. 260. seqq.

f) Act. Erud. 1710. Sept. 1713. p. 308.

g) C. 6. Methodum in hoc argumento obser-
 uandam praescripsit magnus VERVLAMIVS in
 Hist. naturali siue sylua syluarum.

non est huic prolixitati calamus nostrum attemperare, qui fatis arctis in eo limitibus constringimur. Sufficiet paucis specimen capere, ut intelligatur, quam felici successu recentiori aetate physica philosophiae pars promotam sit, et quam exoptata fuerit euentu suo philosophorum in hac parte industria. Inter haec vero physicae incrementa cultri anatomici felicitatem et experimenta circa corpora animalium, maxime hominis, facta merito primo loco ponimus. In qua humani corporis cognitione vix praestabilius quicquam est detecta circulatione sanguinis, cui verior theoria totius oeconomiae animalis postea superstructa est. Et vidisse quidem iam nobilissimam theoriam Hippocratem ^a, et Nemesium, contendit THEOD. IANSON. AB ALMELOVEEN ^b, nosque Tomo tertio iam de Nemesio agentes locum indicauimus, ex quo colligi potest, aliquid huius rei eum sciuisse. Et de Caesalpino quoque differentes indicasse eum fundamenta huius asserti in *antecedente huius Tomi parte* obseruauimus. Alii Serueti ^c plures Paulo Sarpio ^d, nec id sine verisimilitudine tribuunt. Primus tamen qui totum mysterium perspexit, et rationem eius exposuit, et hoc quidem sensu recte inuentor dicitur, fuit GVIL. HARVAEVS, cuius ea de re extat *Exercitatio anatomica de motu cordis et sanguinis* aliquoties recusa, et *Bibliothecae quoque anatomicae* ^e inserta. Quo de argumento eum aduersarios nonnullos fuisse nactum, supra iam diximus, et ad cel. HEVMANNI ^f, enarrationem illius controuersiae lectorem ablegauimus. Et ab eo quoque, et, post hunc, a celeberrimis anatomicis discendum est, quibus argumentis praestantissimum hoc *εγρημα* probari possit, inter quae praecipuum est, quod a cordis et valvularum eius structura desumi solet. Vnde mirandum, inuentum esse in Italia HOMOBONVM PISONEM, qui *Vltione antiquitatis in circulationem* ^g edita, veritatem tot experimentis comprobata negare ausus sit. Simili felicitate vsus est Ioannes Pecquetus, medicus Parisiensis, is enim circa annum MDCLI primus detexit ductum thoracicum, vel chyliiferum, cum cisterna siue receptaculo chyli, vasisque lacteis secundi generis, per thoracem ad ramos vsque subclauios, eumque in *Experimentis anatomicis nouis* vulgavit ^h. Cuius nobilis inuenti veritatem in dubium vocasse Gassendum, donec oculari testimonio a Pecqueto conuinceretur, narrat in *Vita eius* SAM. SORBIERIVS. Vidit tamen ante Pecquetum hunc ductum thoracicum Bartholomaeus Eustachius, ast eius vsus, quem in chylo ad sanguinem deferendo praestat, ignorauit ⁱ. Circa idem tempus vascula tenuissima et pellucida lympham deuehentia, quae inde vasa lymphatica dici solent,

*Circulatio
sanguinis.*

*Ductus tho-
racicus.*

*Vasa lym-
phatica.*

^a) Vid. cl. STENZEL. Diff. de Vestigiis circulationis sanguinis apud Hippocratem, Viteb. 1731. 4.

^b) In Inuentis nou-antiq. c. 24. §. 28.

^c) Conf. Cl. A. SEELEN Sel. lit. n. I. p. 49. n. II. p. 56.

^d) MORHOF. Polyhist. T. I. p. 221. T. II. p. 153.

Cel. HEISTER. Pr. num. circulus sanguinis veteribus fuerit cognitus. Helmst. 1721.

^e) T. II. p. 64. seqq.

^f) Act. Phil. Vol. II. p. 616. seqq.

^g) Vid. AG. Erud. Suppl. T. I. p. 579. seqq.

^h) Bibl. Anat. T. II. p. 652. seqq.

ⁱ) ALMELOV. l. c. §. 23. p. 284.

solent, in apricum produxerunt Olaus Rudbeckius et Thomas Bartholinus ^p; eorum autem valvulas primus vidit cel. Ruyschius ^r. Similes valvulas in colo et ieiuno intestino primus observavit et descripsit Kerkringius ^r, poros bilarios cum venae portae, arteriae hepaticae et nervorum hepaticorum ramulis, communi quadam capsula inclusos Glissonius, a quo capsula illa biliaria nomen quoque accepit, ut alia ad hepatis naturam partesque cognoscendas facientia, et recens detecta taceamus, de quibus post Fr. Glissonium, celeberrimi BIANCHI *Historia hepatis nova* consulenda est. Vasa lactea vel chylifera in lucem anno MDCXXII produxit Caspar Afellio, a quo venarum Afellianarum nomen acceperunt, quamvis is vasa lactea secundi generis, quae chylum in peculiare receptaculum deferunt, nondum viderit, quae Pecqueto primum observata esse supra diximus. Praeclare vero recentiorum anatomicorum studium versatum est, in enarranda historia musculorum, eorum structura, situ, figura, usu motuque, quo in argumento post Nicolaum Stenonem incomparabilem operam anatomiae praestitit, Io. ALPHONSVS BORELLVS, cuius *de motu animalium* tractatio prorsus egregia est, quemque postea certatim anatomici secuti sunt. Tacemus tubas, siue ductus recurvatos utero adiacentes, quos invenit nomineque suo notos fecit Fallopius, veram ovarii naturam detectam et sexcenta alia, veteribus nec visa nec audita, quae in anatomiae historia enarranda sunt, locumque heic non capiunt. Maxime vero ingeniosum fuit philosophandi studium virorum doctissimorum circa generationem animalium, de qua satis minime facere posse inanes veterum hypothefes maxime generationem aequiuocam innumeris observationibus constitit. Longum esset, et a tractationis scopo alienum, opinioniones recensere omnes, quibus mysterium hoc naturale recludere naturae interpretes conati sunt. Et primus quidem Guilelmus Harvaeus ovarium foeminarum, quod veteres testes muliebres inepte vocarunt, ouulis, siue copusculis rotundis et pellucidis duplici membranula vestitis turgere, observavit, unde enata hypothefis, quae totum pene orbem medicum physicumque occupavit, flamina futuri foetus in iis delitescere, et ante congressum cum mare iam praexistere, de qua praeter alios elegantissimi VALLISNERII *Historia generationis hominum et animalium*, et praestantissimi BOVRGETI *Epistola philosophica tertia* consulenda est. Ast cum solertissimus stupendorum naturae miraculorum interpretis ANTONIVS A LEEWENHOECK microscopiorum exquisitissimorum beneficio innumera naturae arcana detexisset, quae in *Epistolis ad societatem Londinensem* enarravit, compertum eius industria est, in semine animalium innumeram animalculorum seu vermiculorum, stupendae exilitatis, at viuorum tamen et mouentium se atque subsultantium esse copiam. Unde ad

Valvulae coli et ieiuni.

Capsula biliaris.

Vasa lactea.

Musculorum natura et motus.

Generatio animalium.

Ovarium.

Animalcula feminalia.

p) Scripta eorum huc pertinentia extant Bibl. Anst. T. II. p. 700.

q) Ib. p. 712. seq.

r) Ibid. T. I. p. 117. seqq.

ad haec animalcula recurrit in arduo generationis negotio explicando recentissimorum physicorum consideratio, et ab istorum animalculorum vno animam in ouarium deferri, hocque sedem animalculo in animam humanam eleuando praebere statuit. Quam sententiam suam quoque fecere HARTSOECKERVS¹⁾, BOERHAVENIVS²⁾, WOLFIUS³⁾, LEIBNIZIVS⁴⁾, alii, magnis arictibus euertere fategit VALLISNERIVS⁵⁾ vtramque hypothesin conciliare studuit NIC. ANDRYVS. Ex quo recte colligi potest, non obstante insigni virorum doctorum studio nihil certi definitique habere mortales, quod de ortu suo affirmant.

Inuenta organa optica, et mechanica.

§. XVI. Possemus hunc in modum per chemiae et reliquarum, quae cum arte medendi connectuntur, artium campos discurrere, et eximium aceruum singularium experimentorum colligere, quibus physica aucta est, si id nobis agendum esset. Mirabiles enim sunt effectus pulueris sympathetici, transfusionis sanguinis, curationum magneticarum, vnguenti armarii, similibusque, quibus recentiori aetate naturalis philosophia personuit. Sed in haec arua exspatiari nobis, aliis curis districtis non licet, consulendi autem scriptores sunt, quos magno numero adduxit cel. HOLLMANNVS⁶⁾, ad quem breuitati litaturi, vt et ad MORHOFIVM⁷⁾ lectorem remittimus, et artis eum salutaris historiam consulere iubemus. Plurimum autem attulisse adiumenti, ad has obseruationes experimentis confirmandas et tentandam rerum naturam oculis absconditam instrumenta optica et mechanica, telescopia, microscopia, thermometra, barometra, hygrometra, specula encaustica, antliam pneumaticam et similes machinas atque organa artificialia ex dictis iam colligi potest, et nemo rerum physicarum tam ignarus est, vt nesciat. Et telescopiorum quidem sive tuborum opticorum inuentionem vtilissimam, qua corpora mundi maxima at distita propius intueri licet, nonnulli ad annum MDCIX referunt, et Ioanni Lipperfeinio perspicillario Middelburgensi tribuunt, Iacobum Metium, mechanicum parentem facit REN. CARTESIVS⁸⁾. Huius autem organi inuenti fama excitatus Galilaeus, qua ratione ipse ad eius conficiendi rationem delatus sit, supra iam narrauimus. Et habuisse quidem veteres tubos ad contemplanda sidera adhibitos, ex imagine Prolemaei astratubo quodam intuentis quam in codice veteri reperit et descripsit Io. MABILLONIVS⁹⁾ constat, et obseruatum quoque Io. PASCHIO¹⁰⁾. Ast caruisse eos vitris opticis, et tantum cohibendis lucis radiis inseruuisse dubium non est. Multum autem vtilissimum inuentum emendauere Christianus Hugenius, Campanus, Newtonus alique, de quorum tentaminibus in historia opticae plura tradenda sunt. De microscopiorum, quibus minima insigni magnitudine exhibentur, inuentore incerta lis est, alii

Telescopia.

Microscopia.

a) Cont. Coniecturar. physic. Amst. 1708. edit.

b) Instir. Medic. §. 621.

c) Phys. Germ. P. I. §. 440. Experim. Tom. II.

§. 99.

v) Causa Dei §. 81.

w) l. c.

x) Phys. P. I. c. 4. §. 279. p. 265.

y) T. II. L. II. P. 2. c. 8. §. 4. seq.

z) Dioptr. c. 1. §. 2.

*) Irin. Germ. p. 54.

†) De Inuent. nou-antiq. c. 7. §. 4. p. 527. seq.

alii enim Ludouicum Septalium, Medicum Mediolanensem, cuius in *antece-*
dente parte mentionem iam fecimus, eorum conficiendorum rationem anno
 MDCXXI detexisse, alii Cornelium Drebbelium, mechanicum Alcmarien-
 sem, alii Fontanam Italum auctorem nominant. Ad ingentem autem
 perfectionem, qua stupendi effectus deprehensi sunt, ea perduxerunt, Eu-
 stachius Diuinus S. Saluettus, Leewenhoeckius, Butterfieldius, Step-
 hanus Gray aliique ^a. Et his quidem instrumentis, dici non potest, quan-
 tam in minimis naturae varietatem, artem, pulchritudinem, et stupenda
 conditoris rerum opera philosophiae naturalis doctores detexerint, cuius
 rei exempla ex P. BORELLI *Obferuationibus Microscopicis*, ROB. HOO-
 CKI *Micrographia*, LEEWENHOECKII *Epistolis physiologicis super*
compluribus naturae arcanis, aliisque huius generis scriptis colligi possunt.
 Thermometrorum inuentorum gloriam Cornelio Drebbelio plerique vin-
 dicant, alii Roberto Fluddo, de cuius ea in re obseruationibus in vita eius *Par-*
te praecedente ductum est. Barometrorum porro siue baroscopiorum,
 ad designandam aëris grauitatem, vel vim potius elasticam designandam,
 auctorem nonnulli Valerianum Magnum faciunt, plerique Galilaei succes-
 sori Euangelistae Toricellio tribuunt: is enim ad eorum constructionem
 delatus est occasione controuersiae de vacuo demonstrando; et inde tubus
 Toricellianus vocari solet. Transtulit autem ad metiendam aëris graui-
 tatem primus Robertus Boyle, vel, quod alii contendunt, Otto Guerick-
 ckus, emendarunt passim variis modis viri docti, et hinc vtilissima ob-
 seruationes barometricae ortae sunt, quas diligentiae nonnullorum debe-
 mus, quibus non modo physicae, sed et medicae scientiae praeclara lux il-
 lata est ^b. Nullum autem vel elegantius vel vtilius in naturali disciplina
 instrumentum orbis eruditus vidit, antlia pneumatica, cuius inuentae glo-
 ria debetur Ottoni Guerickio, consuli Magdeburgico, mechanicae artis et
 naturalis philosophiae callentissimo. Is huius inuenti mentionem cum
 Gaspari Schotto, Herbipolensium ex S. I. professori prodidisset, primus
 aliquid de ea in *Arte mechanica hydraulico-pneumatica* publice prodidit:
 quibus lectis excitatus Robertus Boyle, reque cum Roberto Hooekio commu-
 nicata simile quid tentare coepit. His permotus Guerickus in *Experimentis*
nouis Magdeburgicis de vacuo spatio anno MDCLXII *Amstelodami* editis
 rem omnem vulgavit. Diligenter autem in vtilissima machina emendanda et
 perficienda versati sunt viri eruditi mechanicae studiosi, quorum labores ex-
 ponit, ipsamque antliam mira luce collustrat vir diligentissimus, et de me-
 chanica multis nominibus praeclarissime meritus IAC. LEVPOLDVS,
 qui *Antliae pneumaticae descriptionem luculentam* vernacula lingua edi-
 dit ^c. Adiciamus his specula encaustica quae et magnitudine et stupen-
 do effectū admiranda confecit illustris Tschirnhausenius ^d. Alia mul-

Thermome-
tra.

Barometra.

Antlia pneu-
matica.

Oo oo 2 ta

a) Conf. Transact. philos. Vol. I. p. 207. seqq.
 b) Conf. STRUMII Colleg. curios. P. I. auctar.
 p. 22.

c) Lips. 1711. & Contin. 1712. conf. WOLF. Ex-
 perim. P. I. c. 4. p. 121.
 d) Act. Erud. 1697. Sept. p. 414. sq.

ta, quae huc trahi possunt, ne in argumento alibi excutiendo nimii sumus, praeterimus.

Historia naturalis exsulta.

§. XVII. Istitis auxiliis suffulti per vniuersum mundum, naturam contemplando, discurrerunt disciplinae naturalis periti, et vix particula relicta est, quam non summa diligentia excusserint. Et enata inde historia naturalis, cum disciplina naturali non confundenda, quae naturae opera et phaenomena curiose disquirat, quidque per vniuersum orbem singulare et attentione dignum occurrat, colligit. Cuius scriptores cum enarrauerint D. G. MORHOEVIUS ^e, I. L. SCHEVCHZERVS ^f, IVL. B. DE ROHR ^g, et, quod ad Germanos attinet I. FR. REIMANNVS ^h, lectorem rogamus, vt haec cognoscendi auidus ad eos recurrat. Quisquis autem vel itineraria scripsit, vel Acta, Obseruationes, Miscellanea, Thesauros rerum naturalium et similia edidit, quin et Museorum enarratores huc referendi sunt. Posset quoque ingens eorum catalogus contexti, qui historiam animalium, piscium, insectarum, plantarum, lapidum, metallorum, mineralium, aquae, ignis etc. descripserunt, si id agendum esset, vt bibliothecam scriptorum naturalium contexamus. Ea vero alium locum postulant. Commendamus autem lectoris industriae praeter eos, quos enumerant MERCKLINVS ⁱ atque PASCHIVS ^j, diligentiam virorum praestantissimorum, quae in his argumentis specialibus enituit. Quo pacto de insectorum historia natura praeclare meruere SWAMMERDAMIUS, in *Historia generali Insectorum*, IOANNES GOEDARTIUS de *Insectis in methodum redactis*, ingeniosissima MAR. SIB. MERIANA in *Obseruationibus historicis de insectis, et in Metamorphosi insectorum Surinansensum*, et nuper viri celeberrimi REAVMVR et FRISCHIVS, quibus praeclaras de *Insectis* obseruationes debemus. De aquatilibus, testaceis, crustaceis, squamatosi, conchyliis et similibus egregia multa suppeditabunt MARTINVS LISTERVS in *Historia conchyliorum*, aliisque huius generis GEORG. ERHARDVS RUMPHIUS in *Thesauro imaginum piscium, testaceorum, cochlearum et conchyliorum*, FR. WILLOVGBEIVS in *Historia piscium*, IO. RAIUS in *Synopsi methodica auium et piscium*. De brutis IO. CONR. PEYERVS in *Merycologia siue Commentario de ruminantibus et ruminacione*, MICH. BERN. VALENTINI in *Amphitheatro Zootomico*. De plantis MALPHIGIUS in *Anatomia plantarum*, SEB. VAILLANT de *Structura florum*, quos magno numero alii in describendis plantis, floribusque et herbis secuti sunt. Inter quos miro artificio et elegantia eminet, quod nuper coloribus ad naturae imagines effictis et aere expressis, addita enarratione botanica patriam nostram Augustam ornare coepit splendidum opus *Phytanotozoiconographiae* WEINMANNIANAE, vt reliquos botanices scriptores,

e) Polyhist. T. II. L. II. p. 1. c. 2.

f) In Biblioth. Script. Hist. nat. Tig. 1716. 8.

g) Bibl. Phys. c. 14. p. 277. seqq.

h) Hist. lit. Germ. Vol. I. p. 61. V. p. 793. seqq.

i) P. II. Lindenii renouat. k) l. c.

res, Tournefortium, Waltherum, Michelium, Houstonum, Vaillantium, Sigesbeckium, Burmannum, Rumphium, Breynium, et qui imprimis de botanices studio praeclare meruit, celeberrimum Carolum Linneum praetereamus, qui alios multos ipse in *Bibliotheca botanica* enumerat, ab illis, qui plura hoc loco postulant, omnino consulendus. Simili modo haud exiguus eorum numerus recenseretur, qui fossilium seu mineralium historiam enarrauerunt, si dicendorum prolixitas limitesque nobis positi id paterentur. Inter quos non tam ATHANASIVM KIRCHERVm, fumos haud raro in *Mundo subterraneo*¹ vendentem, quam OLAI WORMII *Museum*, WOODWARDI *Historiam fossilium*, VOLCKMANNVM in *Silesia subterranea*, PH. IAC. HARTMANNVM in *Historia succini*, FR. CHR. LESSERVm in *Littheologia*, HYACINTHVm GEMMA in *Historia naturali gemmarum et lapidum omniumque mineralium*, IO. FRID. HENCKELIVm in *Historia pyritae*, I. IAC. SCHEVCHZERVm in *Historia naturali Helvetiae*, et quos alios nominat Cel. BRVCKMANNVS in *Prodromo bibliothecae metallicae*, commendamus. Quibus addi possunt illi, qui lapides figuratos recenserunt, ab eodem nominati, quique diluuii reliquias in stratis montium, lapidibus aliisque locis detexerunt, cuius generis dissertationem *de Origine lapidum figuratorum* dedit CAR. NIC. LANGIVS, et *Herbarium atque Museum diluuiianum* I. IAC. SCHEVCHZERVVS. Non vero lapidum vllus curiositatem naturae interpretum magis exercuit, quam magnes, cuius mirabilem vim attractiuam ferri et magnetis alterius, itemque conuertendi se ad septentrionem, explorare, et causas verisimiles magnetismi afferre non sine sudore philosophi conati sunt. Non facile enim in institutionibus physicis hoc phaenomenon quisquam omisit, praesertim postquam Guilelmi Gilberti opera et immensis sumptibus, vti supra iam dictum, experientia maior orbi philosophico de magnete succreuit. Insignis quoque, quem in arte nautica habet pyxis magnetica, diligentiam virorum acutissimorum et magna patientia ad haec mysteria attentorum eo adegit, vt ad declinationem magnetis, quae diuersis locis et temporibus diuersa est, respicerent, et eius causas probabiles afferrent, vt ex Fr. Lanae, Halleii aliorumque tentaminibus constat. Possent haec omnia eorum indicibus augeri, qui omnis generis obseruationes physicas ex innumeris experimentis factas collegerunt, nisi et numerus eorum nos deterreret, et nomina eorum satis nota essent, et scriptioni tandem huic modus esset ponendus. Dabit potiores cel. STOLLIVS^m, qui audeundus.

§. XVIII. Tandem, vt quae dicenda restant, absoluamus, reticendum non est, insignes accessiones naturalem disciplinam nactam esse, postquam non priuata, sed publica auctoritate in scrutandos naturae recessus

Societates eruditae physicae doctrinam augentes.

O o o o 3

philo-

1) Conf. МОННОГ. Polyhist. T. II, p. 167. Act. Vol. III. p. 176. STOLLIVS Hist. liter. P. II. c. 1. phil. Vol. II. p. 193. REIMMAN. Hist. lit. Germ. §. 23. p. 325. m) I. c. P. II. c. 4. §. 42. p. 555. seqq.

philosophi incubuerunt, et integrae societates in hunc finem certis legibus et institutis coierunt, summis principibus earum conamina auctoritate sua, priuilegiis, honoribus et sumptibus magnifica ratione iuuantibus. Non est animus in historiae literariae campos excurrere, et societatum eruditarum annales condere; non licet enim nobis ad alia spectantibus lineam transcendere. Dabunt, quantum satis, historiae literariae scriptores passim, et in his GOD. VOCKERODVS ⁿ, MORHOFIVS ^o, STRVVIVS ^p, STOLLIVS ^q, alii. Sed ad eas tantum societates respicimus, quae augere, emendare, illustrareque naturalem philosophiam sunt conatae. Inter quas laudabile exemplum aliis praebuit, et ad augendam disciplinam naturalem prima omnium symbolam suam contulit academia Consentina, a Bernardino Telesio instituta, cuius historiam in eius vita *parte huius tomi antecedente* iam tetigimus. Eam postea haud paucae in Italia secutae sunt, quae ad doctrinae mathematicae physicaeque augmenta et culturam respererunt, in quo studio prae reliquis praeclare versata est academia Lynceorum, magnis in physica scientia viris illustris. Nuper autem, currentis seculi anno duodecimo illustrissimi Marfilii comitis studio atque sumptibus accessit academia, vel quod ipsi nomen placuit, institutum Bononiense, cuius natales, modum, studia in naturali disciplina, auxiliaque et quae his sunt affinia, descripsit H. P. LIMIERIVS ^r. Tacemus alias minores quarum recensum dabit Io. IARCKIVS ^s. Maiori tamen successu et auctoritatis quoque atque sumptuum auxilio in eiusmodi societates conspirauerunt philosophi, cum summi principes fouere, tueri, et re ditibus augere eas constituerent. Cuius rei laudatissimae initium fecit Germania. In ea enim priuatis primum ausibus, auctore Laurentio Bauschio medico Suinfurtenli anno MDCLII coierunt medici nonnulli, eo scopo, vt naturae arcana, communicatis inter se obseruationibus et experimentis curiosius rimarentur. Quod cum pulchre succederet, extendendos limites et dilatanda pomoeria rati anno MDCLXVI, alios quoque peculiari seriptione ^t inuitarunt. Qui cum libenter accessissent, tandem nobilissimo instituto augustissimi imperatoris Leopoldi I. qui clementissimo affectu erga literas utebatur, auctoritas quaesita est, qua anno MDCLXXXVII publice confirmata, munitaque legibus et insignibus priuilegiis aucta est. Ex quo tempore lactissimis ingenii prouentibus physicam disciplinam promouit, editis *Miscellaneis curiosorum*, seu *Ephemeredibus physico medicis academiae caesareae naturae curiosorum*. Quae cum ab anno MDCLXX plaudente orbe philosophico produissent, per dimidium seculum, *Aetorum physico-medicorum* nomen postea sortiti sunt. De cuius societatis historia narrationem luculentam edidit

n) Introd. in notitiam Societ. literar.

o) Polyhist. T. II. L. II. c. 1. p. 135. seqq.

p) Introd. in Hist. lit. c. 10. cum suppl.

q) l. c. P. II. c. 4. §. 31. p. 547. seqq.

r) Histoire de l'academie appelée l'institut des

sciences et des arts etabli en Bologne. Amst. 1723. 8.

s) In Specimine academiarum erud. Italiae.

t) Cui rit. Salus academicum. Conf. REIM-
MAN. l. c. P. V. p. 809. seqq.

edidit MICH. BERN. VALENTINI ⁿ. Aetate huic suppar est academia Florentina del cimento, nomen gerens, a magno Etruriae duce Leopoldo anno MDCLVII excitata, vt in naturae arcana inquireret. Cuius societatis physicae tentamina, Italico sermone vulgata Latina fecit, et insignibus accessionibus auxit vir celeberrimus PETRVS VAN MVSCHENBROECK ^x. Eundem lapidem voluere coepit circa eadem tempora Anglia, illustrissimo Verulamio in *Noua Atlantide* eius consilii primas lineas ducente. Tanti enim viri prudentia et experientia in rerum naturalium studio commoti viri nonnulli docti artisque medicae et philosophiae naturalis studiosi Oxoniae priuatis initio congressibus tempore interregni symbolas suas conferre coeperunt, rebus summis autem potitus Carolus II. anno MDCLX quae isti auspiciati erant, confirmauit, et priuilegiis societatem, regio nomine ab isto tempore splendentem, auxit. Quae narrat copiose, remque omnem exponit THOMAS SPRAAT in *Historia societatis Regiae Londinensis* ^y. Insignia autem sunt illustris societatis in disciplinam naturalem merita, obseruationes innumerae, magna diligentia conscriptae, experimentorum fides recta et non suspecta. Cuius diligentiae fructum vidit orbis philosophicus in *Aetis philosophicis*, ab anno MDCLXV, ab OLDENBURGIO, qui ab epistolis societati fuit, proprio motu, Anglico sermone editis, sed ad nostram vsque aetatem continuatis, edito quoque a Io. LOWTHORPIO, BENIAM. MOTTE et Io. GRAY eorum compendio. Successit paulo post academia scientiarum regia Parisiensis, patrocinate Musis Io. Baptista Colberto, a Ludouico XIV. anno MDCLXVI instituta regisque sumptibus tanta magnanimitate sustentata, vt praeclarissimi inde in scientias naturales fructus prodirent: cuius historiam conscripsit, qui ei a chartis fuit, Io. BAPT. DV HAMEL ^z, continuauit post eius renouationem FONTENELLIVS. Etiam huius societatis diligentia et laboribus frui orbi philosophico licet, vulgatis *Commentariis mathematicis et physicis ex chartis academiae regiae scientiarum*, qui hodie quoque continuantur. Accesserunt seculo praesente societas scientiarum Berolinensis, quae cum suadente Leibnizio a Friderico I. anno MDCC excitata, et anno MDCCXI inaugurata fuerit, eius natales et historiam in vita illustris viri iam tetigimus. In cuius *Miscellaneis* praeclarae obseruationes occurrunt, quibus physica doctrina insignes accessiones accepit. Recentissime anno MDCCXIII tanta exempla imitatus Petrus I. Moscouiae monarcha princeps animo pariter et facinoribus vere magnus Petropoli nouam scientiarum academiam condidit, atq; perfecit demum anno MDCCXXV Catharina. Quae praestantissimis viris ornata, et sumptibus maximis sustentata paucis annis praeclare naturalem disciplinam adiuuit, et diligentiae ea in re suae exemplum in *Commentariis societatis Petropolitanae* extare voluit. Et ita qui-

n) Giesse 1700. 4.

x) Lugd. Bat. 1731. 4.

y) Anglice, Lond. 1665. Gallice 1667. Geneuae.

z) Par. 1698. et auct. 1708.

quidem conspirante per cultiores Europae partes omni eruditorum caterua, ita emendata, illustrata, aucta est disciplina physica, ut si omnium seculorum industriam colligamus, coeutiisse tamen orbem philosophicum usque ad seculum XVII merito dicendum sit, tantumque praestiterit sesquiseculum, quantum omnis aetatis curiositas nunquam effecit. Ex quo constat, quid ad emendam mutandamque physicam philosophiae partem post renatas literas, maxime Seculum XVII et XVIII attulerit.

CAPVT TERTIVM.

DE METAPHYSICAE ET PNEVMATOLOGIAE MUTATIONIBVS RECENTIORIBVS.

§. I.

Fata metaphysicae recentiora.

Ex physico regno ad metaphysicum transimus, iustraturi, quid in eo noui attulerit quid mutauerit, philosophorum industria. Ne vero, quod haecenus plerosque terruit, metaphysicae nomen ab hac consideratione lectorem velut spectrum quoddam abigat, nonnulla, quae ad huius disciplinae historiam, naturam atque constitutionem pertinent, paucis praefanda, et ex veteris philosophiae historia repetenda sunt. Et nomen quidem metaphysicae ante Aristotelis aetatem, ignotum fuit. Plato enim, qui primus argumentum metaphysicum disputationi philosophicae subiecit, dialecticam vocauit, ut suo loco dictum est. Aristoteles vero distinctius philosophaturus libris, quot hodie extant, quatuordecim, metaphysicam doctrinam primus complexus est, nomen tamen ipsum vel a Theophrasto, vel recentiore paulo aetate, cum deperdit Aristotelis libri recenserentur, ab Andronico Rhodio praefixum est ^a. Aristoteles enim aliis nominibus, et imprimis sapientiae primae, vel philosophiae primae, quin et theologiae aliisque nominibus insigniuit ^b, testatus, singularem et vtilissimam scientiam se eo nomine pandere velle. Quam cum ex praeceptoris disciplina accepisset, qui nobilissimum dialecticae argumentum ideas, siue *οὐσίας ἀντάς καὶ ἀντάς*, esse statuebat ^c, et alios philosophiae vultus effingere vellet, ut et ipse nouae doctrinae auctor videretur, singularem scientiam constituit, in qua de his immutabilibus substantiis sibi agendum, inquirendumque putauit, quae illa principia per se subsistentia sint, quae materiae fluxae et aeternum mutabili certam et durantem naturam largiantur, et a quo principio causaque prima omnis eorum

^a) Conf. PATRICIVS Discuss. Perip. Tom. I. Lib. V. p. 62.

^b) Loca Aristotelis diligenter collegit, et eru-

dite in hoc argumento illustrando versatus est CHRISTIAN. DREIERVS in Sap. prima Diss. III.

^c) Conf. Hist. phil. doctr. de Ideis S. I. §. 6.

eorum catena et emanatio dependeat. Id enim tota illa tractatio de ente prout ens est, de caussis primis principiisque vult, quae intelligi, prout debet, non potest, nisi cum dialectica Platonica comparetur, et tota librorum metaphysicorum Aristotelicorum connexio inspiciatur. Quod hoc loco facere, et hoc pacto origines metaphysicae pandere, heic, vbi recentioris philosophiae historia scribenda est, non licet. Conferri autem cum fructu potest, qui eleganter in hoc saxo voluendo versatus est cel. HOLLMANNVS ^d, comparandaque simul sunt ea, quae docte cumulauit FRANC. PATRICIUS ^e, vt intelligatur, ex quibus fontibus Aristoteles sua hauserit, et qua significatione meditationes eius accipiendae sint. Subtiliter in hoc argumento versatum esse Aristotelem, nec in omnibus adeo culpandum ac plerique hodie faciunt ^f, qui libros eius metaphysicos nec legunt nec intelligunt, facile concedimus, lectorem enim postulat et abstractionibus mathematicis aduetum, et veteris philosophiae Graecanicae hypothesium peritum, et ad obscurum et difficilem illum modum ratiocinandi, quo Stagirita vsus est, maxime attentum. Quibus vero mediis cum carerent quamplurimi, ipsaque oralis Aristotelicae doctrinae transmissio libris eius defossis et sublati diu iam desisset, mirum haud est commentatorum eius gregem, post restitutos luci Aristotelicos libros, nouam sibi ex iis scientiam efformasse, quam metaphysicae nomine ornarunt, eamque in ontologiam quandam seu doctrinam de ente in genere eiusque affectionibus communissimis, adiecta doctrina de Deo et spiritibus, et pneumatologia commutauisse, et vtramque vnus scientiae nomine tradidisse. Quae cum ab Arabum et Scholasticorum ingeniis, valde quidem subtilibus, at Graecae linguae et philosophiae ignaris tractari coepisset, adeo diuersam ab auctoris sui mente philosophia haec prima faciem accepit, vt sua agnoscere, si rediret, Aristoteles aegre posset. Itaque ab Arabum et Scholasticorum aetate metaphysica disciplina aliam prorsus naturam habitumque atque constitutionem naeta est, et noua quaedam scientia emerfit, quae ontologiam tradidit, et de Deo atque spiritibus praeciando, pneumatologiam et theologiam naturalem appendicis loco sibi coniunxit. Quae ab eo tempore non tantum ad renatas vsque literas, sed post eas quoque ad nostra vsque tempora peculiarem sibi in systemate corporeae philosophico locum vindicauit. Nam quamuis spectra lemuresque quibus scatet metaphysica Scholastica perhorrescerent recentioris aetatis philosophi haud pauci, ideoque nonnulli prorsus a metaphysica manum retraherent, quod imprimis consilium secutus est Philippus Melanchthon: fuerunt tamen multi quoque, qui abiectis Scholasticis spinetis, non omnem eius

d) Hist. Metaphys. Syst. phil. T. I.

e) l. c. T. II. L. II. p. 196. sqq.

f) Cogitandum quoque, deesse libros meta-

physicos Aristotelis multos, confusum esse temporis iniuria ordinem, aliena esse adiecta haud pauca, vnde istae difficultates magnam partem oriuntur.

eius disciplinae tractationem abiiciendam esse putarent, praecipue, cum ad theologiam traducta hac lingua philosophica, scientifice, quod dicunt, de mysteriis diuinis disputari, et errantes haereticosque refutari melius posse, plerique statuerent. Qua opinione Peripateticam scholam seculo XVII infectam fuisse, ex illis colligi potest, quae in antecedente parte de fati philosophiae Peripateticae prolixè fati differuimus. Quae tamen cum et Aristotelica non essent, et fructu carere viderentur, factum inde est, vt de emendanda quoque metaphysica, et philosophia prima nonnulli cogitare inciperent. Comparant inter eos, qui talia aggressi sunt nomina Nicolai Taurelli, Henrici Mori, Thomae Hobbessii, Thomae Campanellae, quibus ex Cartesiana schola accessit Ioannes Claubergius, quem postea sodales certatim secuti sunt. Quorum tamen placita de metaphysico argumento hoc loco enarrare eo minus opus est, quo minus ea, quae huc pertinent, in antecedentibus, vbi de horum philosophorum dogmatibus egimus, omisimus. Ea itaque hoc loco repetenda sunt, vt aliqua metaphysicae emendatae et commutatae historia exfurgat. Ipse vero magnus VERULAMIVS ^g, aliam viam ingressus, metaphysicam ad eam naturalis philosophiae partem retulit, quae speculatiua est, quamque in physicam specialem et metaphysicam diuisit, monens, vti se vocabulo metaphysicae sensu a recepto et vulgato discrepanti. „Disiunxit itaque „philosophiam primam a metaphysica, illamque communem scientiarum „parentem esse voluit, quo communia et promiscua scientiarum axiomata „progignerentur, eaque non logice sed physice tractarentur, sed et in- „sitionem de Deo, vno, bono, angelis spiritibus ad theologiam natura- „lem retulit et a metaphysica secreuit. Metaphysicam autem propius ad „Aristotelis mentem reuolvens, quem ob acumen ingenii mirabilem vo- „cat, metaphysicae, non ea quae penitus in materia submersa sunt, quae- „que ad physicam refert, sed abstracta, constantia, v. c. mentem, ideam, „vindicauit, eamque de forma rerum naturalium atque de fine praecipere „iussit. Eam enim, quae in scholis recepta est, metaphysicam, mas- „sam esse iudicauit ^h inconditam doctrinae ex partibus quibusdam phy- „sicae, veluti de principiis et animo, exque theologia naturali et logica „compositam et congestam, et sublimitate quadam sermonis hominum, „qui se ipsos admirari amant, tanquam in vertice scientiarum positam. Neque tamen haec quoque Verulamii *Φιλοσοφούμενα* eaque partitio multis placuit, licet negare nemo auderet, et locum esse debere communibus axiomatibus et vniuersalibus, quibus omnis scientia niteretur, principiis atque regulis, quas philosophiae primae nomine vir summus complectebatur, et in physica parte causas quoque generales, formam, finemque esse enarrandam. Sed permouit metaphysicae significatio Scholastica, quosdam, vt eam omnem ex circulis philosophicis eiciendam esse contenderent. Qua in re magnos animos irasque ostendisse Danielis Hofmanni affectas,

^g) De Augp. scient. L. III. c. 4. Opp. Tom. I. p. 190.

^h) C. 1. p. 180.

afteclas, et ad satyras conuerfum idem vrfiffe Christianum Thomafium, cuius veftigia lepida terminorum metaphyficorum conuerfione Germanica preflit ZEIDLERS ¹, fuis locis iam indicauimus. Quibus adderemus, quod Marefii ex narratione tradunt PASCHIVS et HOLLMANNVS ², Guftaui, Suecorum regis, iuffu metaphyficam Suecorum regno proferiptam, et omnes libros metaphyficos fifco addictos fuiſſe, ſi paulo certiorum eius rei fidem allegare liceret. Neque tamen omnium, qui recentiori aetate de metaphyfica iudicarunt, ea mens fuit; ſed et *ορολογος* et lexi eruditi commodique loco, vt lingua philoſophantium intelligi queat, conſeruandam eam eſſe in philoſophia ſtatuert, quae mens fuit IACOBI THOMASII ³ et B. BYDDEI ⁴; et haud pauca in logicam tractationem quidam tranſtulerunt, cuius exemplum eſſe poſſunt, quae *Artis cogitandi* auctor, Mallebranchius, Croufazius aliique ex metaphyfica ſuis tractationibus logicis inſperferunt; haud pauci ad doctrinam de Deo et ſpiritibus reliquis, praeter communia ſcientiarum principia eam reuocauerunt ⁵, quo ſcopo praeter Peripateticos pleroſque ipſe CARTESIVS in *Meditationibus de philoſophia prima*, de Deo et anima egit, et poſt Hamelium B. Syrbius, Rudigerus, et ipſe tandem illuſtris Wolfius incedendum eſſe rati ſunt. Pauci haec theologiae naturali ſeruantes metaphyficam cum philoſophia prima idem eſſe iuſſerunt, eamque occupari circa prima communiffimaeque omnis cognitionis noſtrae principia, quae ad ſingulares quasdam diſciplinas referri ob vniuerſalitem ſuam nequeant, voluerunt, eum inter philoſophicas ſcientias illi locum tribuentes, quem inter mathematicas geometria occupat. Quo ſenſu *Ontologiam methodo ſcientifica* pertractare conſtituit illuſtris WOLFIVS, et eam quoque ſingularis ſcientiae habitu in ſcenam produxit Cel. HOLLMANNVS. Nobis praeter haec, quae ſummatim dedimus, in hac vniuerſali ſcientiarum clauē enarranda, non eſt, quod praecipue in hac noſtra tractatione adducendum habeamus. Nuper demum, philoſophiae primae ⁶ hic honor reſtitutus eſt, eiusque axiomata hoc loco enarrare, eſſet ſpeciale eius hiftoriam condere, et quae hodie obtinent, exponere, ſicque inſtituti noſtri fines migrare velle. Omiſſis itaque iis, quae ex laudatiſſimorum modo virorum inſtitutionibus metaphyficis hauriri poſſunt, ad doctrinam de Deo et ſpiritibus quam plerique metaphyficae iunxerunt, reſpiciemus, et quid circa hanc partem recentior aetas molita ſit, qua licet breuitate porro enarrabimus.

Pp pp 2

§. II. No-

i) In *Metaphyſica* lepide Germanice verſa, tit. Die wohllehrwürdige, groſſachtbare und wohlgelehrte *Metaphyſica*, oder *Vbernaturlehre* etc. Vbi in praefatione Satyra mordax in metaphyficam ſcribitur.

k) *Inu. nou-antiq. c. II. §. 14. p. 43. l. c. §. 43. p. 594.*

l) In *Hift. metaphyſ. §. 16. 33.* et quae ſupra in vita filii ea de re diximus.

m) *Elem. phil. inſtrum. P. IV.*

n) *Conf. THOMAS. l. c. §. 3. 26. ſq.*

o) Dedit B. SYRBIUS eruditam diſſertationem de *Philoſophia prima* loco honorique ſuo reſtituenda, qui ideo inſtitutiones quoque philoſophiae primae ecclēſticae ſcripſit, vt ſupra dictum.

Fata recentiora theologiae naturalis.

§. II. Nobilissimum metaphysicae doctrinae argumentum a plerisque habetur, quod de prima omnium rerum causa, DEO, agit. Quem cum idearum fontem constituerit Plato, ratio inde intelligitur, cur in metaphysicis ad hanc theologiae naturalis partem ascenderit Aristoteles. Cuius diligentiam imitati haud pauci argumentis metaphysicis euincere conati sunt, dari eiusmodi ens summum, infinitum, perfectissimum, et necessario existens, a quo reliqua dependeant entia omnia et existentiae suae rationem in se habeant. Non est loci praesentis eos allegare, qui ratiocinationibus metaphysicis (de his enim in praesentia sermo tantum est.) Deum esse demonstrauerunt, nec, de vario nobilissimam hanc veritatem euincendi modo, efficacia et ratione differere. Collegit omnia diligenter et adductis copioso indice scriptoribus enarrat Io. ALB. FABRICIUS ^p, qui videndus. Id vnum *ὁς ἐν παρόδῳ* notamus, nostro hoc tempore inter controuersias Leibnizio-Wolfianas plurimum disputatum esse de usu et valore argumentorum pro existentia Dei, cum viris his celeberrimis, et praecipue Wolfio, eae rationes suspectae viderentur, quae pro Deo demonstrando plerumque allegari solent ^q, eo quod elabendi viam atheis eas pandere crederet, statueretque, non certius et efficacius argumentum deduci posse, quam quod a contingentia rerum peti potest, qua in re praeuentem habuit Leibnizium. Ita enim visus est, validissima, quae hucusque in impietatis patronos emissa sunt tela eneruasse, et in solo metaphysico argumento obscuro paucisque intellecto spem omnem et fiduciam collocasse. Qua in re annon de umbra litigauerint viri docti, et an tanto strepitu de argumenti metaphysici pondere decertandum fuerit, re ipsa a nemine negata, nos lectoris prudentiae definiendum relinquimus, fate-mur autem, argumentum illud, quod a rerum contingentia desumitur, modo recte explicetur, et tollatur omnis ambiguitas, omnium maxime stringere nobisque videri omnium euidentiissimum, modo rationem sufficientem existentiae rerum requiri, admittamus. Quo principio, licet sufficienter non explicato omnes nixi sunt, qui hanc demonstrandae existentiae Dei rationem adhibuerunt; adhibuerunt autem iam inter scholasticos plurimi: quamuis inde colligi non posse putamus, reliquas rationes hac imprimis supposita, nihil recte valere vel demonstrare posse. Quae cum latius in pneumatologia disputari soleant, ad eius institutiones lectorum dimittimus. Hac vero veritate velut quae certissime demonstrari queat admissa, manifestum est, peccauisse in ipsam philosophiam post renatas quoque literas omnes, quotquot impietati vel palam velificarunt, vel latenti veneno, vti emendatae philosophiae colore, pietati insidiati sunt. Quorum vtinam non tam amplus catalogus contexi et non sine humani intellectus opprobrio demonstrari posset, ipsum, quod Numinis beneuolentiae debemus, philosophiae beneficium, ad oppugnandam DEI existen-

p) In Syllabo scriptorum de V. R. C.

q) Vid. LUDOVICI Hist. phil. Wolf. P. I. c. 14. §. 237. 259. 391. 397.

existentiam et maiestatem tot vana et otiosa ingenia nefandis ausibus adhibuisse, quae tamen acutius se cernere, et eiuratis vulgi praeiudiciis liberius philosophari gloriata sunt. Id quod ex amplissimis atheorum indicibus disci potest, quos conscripsit IENKINI THOMASII ^r, IO. FRANC. BVDDEI ^s, et IAC. FRID. REIMMANNI ^s diligentia. Quibus tamen copiosior ipsorum systematum, ab atheismi patronis in usum vocatorum enarratio et succincta eneruatio merito addenda esset, ut intelligi posset, quantum in argumento omnium nobilissimo recentior philosophia profecerit. Quibus dein nouae attributorum operumque diuinorum explicationes quae impietatis tela retundere viri docti et laudabili pietatis zelo flagrantes studuerunt ^{ff}, adiaci possent, quo pacto utilis admodum et dogmatica theologiae naturalis historia condi posset, quam haecenus desideramus. Distinguendi autem cum sint athei theoretici, qui certis dogmatum fundamentis, hanc impietatem superstruunt, a practicis, quorum sine Dei timore cultuque ob atheismum, vita est; ipsi quoque theoretici non omnes propria doctrinarum aedificia construxerint, quibus abesse numen iustum est; eos quos systematicos non incommode dixeris, proprie heic in censum venire, apertum est. Ast haec omnia enucleate tradere, et eos enumerare non licet, quos perperam hac macula notauit praeposterus eorum zelus, quibus atheismo suspectum omne illud est, quod vel ipsi non intelligunt, vel a receptis opinionibus et *παιδείας τρόπω* recedit, vel consequentiarum machinis in prauos sensus torquetur, quosque inuidia magis quam sinistrae de Deo sententiae atro lapillo designarunt: id enim ad specialem atheismi historiam pertinet, nec hoc loco quaeri debet. Adhibuimus autem in hac nostra tractatione curam haecenus atque diligentiam omnem, ut atheismi historiam, quantum scriptionis modus permittebat, simul enarraremus, quod ut in veteris et medii aevi historia haud superficialiter fecimus, ita in recentioris aetatis philosophica historia explicanda non negleximus, ea quoque tangere, quae de atheismo sectae Auerroisticae, Pomponatii, Portae, Caesalpini Cremonini, Simonis Simonii, Taurelli, Cardani, Bruni, Campanellae, Berigardi, Baylii, Búrrii, Postelli, Mallebranchii, Hobbessii, Cartesii, Leibnizii, Lockii, Thomasi, Paracelsi, Boehmii et theosophorum aliorum, a nonnullis disputantur. Addi possent plures, si id ageremus, solent enim atro huic catalogo inscribi nomina Bernardi Ochini, Marcelli Palingenii, Lazari Bonamici, Petri Aretini, Bonauenturae de Perieries, Francisci Rabelaeii, Iacobi Dauidis Perronii, Antonii Mureti, Petri Ruffi, Stephani Iadelli, Iosephi Scaligeri, Stephani Doleti, Francisci Garasse, Ioannis Harduini, Richardi Simonis, Isaaci Peyrerii, Antonii Goueani, Eduardi Herberti,

Pp pp 3

Thomae

^r) In Historia Atheismi, Aلد. 1713. Lond. 1717. 8. edita.

^s) In Hist. Atheismi, Hildesf. 1725. 8.
^{ff}) Quae sunt, quae theologiam ex sideribus, astris, aquis, lapidibus laudabili conatu recentissima aetate construxerunt, alibi nominanda.

^e) Thef. de Atheismo c. 7.

Thomae Browne, Bernardi Connorii, Caroli Blountii, Jacobi Maffe, Ioannis Tolandi, Antonii Collini, Theodori Cornhaerti, Conradi Vorfii, Stephani Curcellaei, Ludouici Meyeri, Ioannis Westrene, Isaaci Vossii, Hadriani Beuerlandi, Casparis Scioppiii, et multorum aliorum, iure iniuriae in hunc censum relatorum. Quos tamen accurate intueri, opiniones eorum ex scriptis propriis expendere, et proscripito odio et praepiudiciis omnibus, immo notione quoque atheismi restricta et a paradoxis opinionibus discreta, nec cum enthusiasmo et deismo commixta, de re ipsa iudicare relictum lectoris aequitati et industriae volumus. Nos, ut specimen extet, duos nobis ex tota hac caterua selegimus, quos pro atheis theoreticis et quidem systematicis omnis fere habet mundus philosophicus, Iulium Caesarem Vaninum, et Benedictum Spinozam, quibus in tota atheismi historia nihil est famosius. Horum itaque historiam paulo plenius enarrabimus.

*Iulii Caesaris
Vanini
historia
de
de pesenda.*

§. III. Valde famosa est, IULII CAESARIS VANINI historia, quod commouit viros nonnullos doctos, ut de ea confarcinanda et in ordinem redigenda essent solliciti. Fecit id post Io. GOTTL. OLEARIVM, qui duas *de Vita, scriptis, ac opinionibus Iulii Caesaris Vanini* dissertationes edidit, vir clarissimus Io. MAVRITIVS SCHRAMMIVS, qui ex scriptis Vanini hodie, ob futilitatem magis et sentiendi licentiam, quam ob doctrinam rarissimis, potiora omnia collegit, quae ad noscenda infelicis philosophi fata et opiniones facere possunt, quamuis admixta sint haud pauca ἀδόξα et chartam tantum implere apta. Ex hoc commentario vitam et opiniones Vanini breuiori compendio delineauit Gallico sermone DAVID DVRANDVS. Et hi quidem inter impietatis patronos haud infimum locum Vanino assignauerunt. Ast fieri id non sine iniuria Vanini, cum haud paucis rationibus demonstrari posse crederet celeberrimus, PETRVS FRIDERICVS ARPE, edidit, licet ad declinandam inuidiam ἀνομιῶς *Apologiam pro Iulio Caesare Vanino*, in Belgio, *Cosinopoli*, ut habet titulus, excusam. In qua docta sermone ea omnia studiose vir eruditus ex vita et opinionibus Vanini collegit, quae pro eius innocentia euincenda, et declinandis accusatorum obiectionibus facere posse iudicauerat. Qua in apologia cum eum ingenio indulgere, haud serio agere, patronum causae non iudicem esse, nonnulli obiicerent, respondit, se non tam vindicias pro Vanino parauisse, quam pro veritate, eiusque dignitatem misere deformatam ex dumetis eruere fatigisse. Praefertim

t) 1708.

u) VOGT. Catal. script. rar. p. 595.

v) Vid. A&E. Erud. 1709. p. 260. I. FABRIC. Hist. Bibl. Graec. T. V. p. 232.

w) Vid. Hist. crit. de la rep. des lettres Tom. XIV. p. 361. A&E. Erud. 1718. p. 230. Bibl. anc. et mod. T. VIII. p. 230. FABRIC. l. c. Europe savante 1718. Juill. art. 5.

x) 1712. 8. Conf. Cat. Bibl. Reimann. T. I. p. 1033.

y) Fer. aestiu. P. I. §. 39. seqq. p. 28. vbi historiam libri recenset, et iis respondere promittit, quae in noua Bibl. Tom. III. p. 64. Relat. innoc. 1713. p. 173. BVD. Thef. de Atheismo c. 1. p. 122. A&E. Erud. Germ. P. VII. p. 670. monita sunt.

sertim postquam, facta dissidentium obiectionum inquisitione leuiore ipsi rationes esse viderentur. Vidisse se enim historiam Vanini recentibus odiis esse compositam, et si omnes in illa scrupulos eximere nequeamus, nostra id fieri ignorantia, ex documentorum defectu. Conquestus ideo vir clarissimus et eleganter doctus de iniuria est, qua nonnulli eum ob dictam hanc pro Vanino apologiam cumularunt. Praeter hos duumuiros alii quoque in enarranda Vanini historia diligentiam probauerunt suam, quos cum nominauerit Io. FABRICIVS ^z, qui et ipse breui indice res Vanini tetigit, eos heic appellare superfedemus. Addi autem illis possunt CROSAEVS ^{*}, BYDDAEVS [†], PARCKERVS ^a, IAEGERS ^b, FABRICIVS ^c, alii ^d. Nos more nostro strictim res eius percurremus, et quid de eo memoratu dignum iudicamus, sine odio, sine fauore, excussis causae rationibus, breuiter explicabimus.

§. IV. Edidit Vaninum Neapolitana regio, Taurisani oppido ^e, anno *Vita Vanini.*
MDLXXXVI, parentibus Ioanne Baptista Vanino, comitatui Castrensi praefecto, et Beatrice Lobez de Noquera. In sacro lauamine tesseram sponcionis factae, Lucilii nomen, accepit, idque postea in Iulii Caesaris commutauit, aut arrogantia ductus, quod mores eius et temperamenti conditio suadere videntur, aut persecutionis violentia coactus, ut eo tutius lateret. Natum esse ait MDLXXIX CROSAEVS ^f, non tamen addito testimonio, quod facile inde refelli potest, quod in dialogis *de Arcanis naturae* ^g, anno MDCXVI editis, se eo tempore triginta annos natum esse innuit, hoc enim indice eo, quem diximus anno, natum fuisse, certum est. Admodum adolescentem praeter naturalem animi alacritatem et ingenii felicitatem ingens discendi ardor occupauit, cui se ambitio iam tum haud obscure se prodens iunxerat. His itaque stimulis actus post posita Latinarum litterarum fundamenta sub praeceptoribus domesticis mature ad cognoscenda philosophiae mysteria perductus est, et non modo rationalem philosophiam, sed et naturalem atque moralem secundum Aristotelis placita auidissime hausit. Quo factum, ut cum Auerroistas ^{*} ex Peripateticis, praecipuos vel viua voce, vel quod malumus, lectione esset nactus, totus in eorum hypotheses concederet. Vtebatur autem praeceptore Ioanne Baconio, Anglo, religioni Carmelitarum ^h, et si philosophiam spectes, Auerroisticae impietati addicto, a quo tanta Aristotelis et commentatorum eius admiratione repletus est, ut plane insaniret ⁱ. Et hanc quidem studiorum rationem, cui artem salutarem iunxerat, Romae prius, deinde Neapoli tenuit, ibique (quo loco Telefii curam circa illud tempus excuissit viros doctos, ut de naturali philosophia paulo curiosius essent solliciti,

z) Hist. Bibl. suae T. VI. p. 518.

*) Entretiens p. 337. †) l. c.

a) De Deo Disp. II. §. 28. p. 194.

b) Hist. eccl. Sec. XVII. Dec. II. L. 7. c. 7.

c) Syll. Scr. de V. R. C. c. 17. p. 419.

d) Patiniana p. 51. Ann. acad. Iuliae P. II. p. 168.

e) De Arc. nat. Dial. 56. p. 424.

f) l. c. p. 337. ff) p. 495.

*) Expirauerat enim isto tempore secta Auerroistica, quae cum Peripateticis *oppositis* talibus non est confundenda. g) Amphith. Ex. 4.

h) Vid. ARRIVS l. c. p. 3.

liciti, ex supra dictis de Teleſio repetendum eſt) in phyſicam potiffimum incubuit, nec adeo male tempus eum collocaffe, ex ſcriptis eius poteſt intelligi. His autem ſtudiis cum eſſet deditus, non abludit a verifimilitudine, quod biographi eius referunt, nauſeaſſe iuuenem praefereudum et doctrina philoſophica ſuperbientem, ſimplicitatem ſacerdotum, vulgi credulitate, fraudibus ad veritatis et ſapientiae ſpeciem effictis abutentium. Deinde ad diuinarum rerum ſcientiam conuerſus eſt, ambitione vrgente, cum ſacri, quibus praefules eceleſiarum fruuntur, tituli et honores oculos eius valde perſtringerent, et ſummi in theologia honores neſcio quam ei ἐξοχὴν promitterent. Qua in diſciplina Bartholomaeum Argottum, ex Carmelitarum ſodalitio virum eloquentia celeberrimum, praefectorem habuitⁱ, quo duce etiam in concionandi arte profecit. Nec a tentandis iurisprudentiae limitibus mentem πολυτορίας laudem affectantem retinuit^h, et imprimis canonico iuri expendendo diligenter vacauit, non neglectis tamen quas Iuſtinianus olim compilauerat, iuſti rectique conſtitutionibus. Eam ob rem, in Patauina academiā ſe contulit, id apud ſe conſtituens, vt, quod ipſe in *amphitheatri praefatione* dicit, *iuris prudentiae ac theologiae ſtudiis in Parthenopaeo ac Patauino circo decurſis, reliqua fere omnia literarum exercitationum per totum Europaeum orbem erecta theatra, Amphitheatra circosque duceret frequentandos*^l. Tantus autem diſcendi ardor, tanta ſtudiorum contentio illi inerat, vt ſe paruula contentum Patauii togula, hyberna frigora perſregiſſe gloriatur. Ita animus per vniuerſae literaturae campos diſcurrens, in quocunq; literarum genere curioſe pabulum quaerebat, et imprimis philoſophiae arcana altius, quam aetas iſta ſolebat, rimabatur. Placuit ei inter ſcripta quae tum triuerat, imprimis doctrinae varietas, quam in Cardani libris deprehendebat. Vnde virum eum ſapientiffimum, nec valde credulum ſuperſtitionibus vocat^m, inuita veritate, ipſoque Cardano, qui in extollendis ſuperſtitionibus ſuis ad infaniam vſque verſatur, eodem, qui Vaninum occupauerat, caractere; et tamen valde eum exagitat, et atheiſmi ſuſpectum habetⁿ, quod genituram Ieſu Chriſti definire eſſet auſus. Sed et Pomponatio valde delectatus eſt Vaninus, quem praefectorem ſuum plerumque vocat, non quod per tempus aliquod ipſius diſciplina vſus eſſet, quod poſt alios quoque coniiicit SCHRAMMIVS^o, hoc enim non ſine inſigni anachroniſmo ſtatui, in vita Pomponatii ſuo loco oſtendimus; ſed quod ex libris et *Φιλοσοφούμεναις* Pomponatii, qui inter Peripateticos acutiſſe cernentes ſolebat referri, plurimum doctrinae philoſophicae accepiffet. Hunc ita Auerroiffam putauit Vaninus^p, vt Auerrois animam in eum commigrauiſſe cenſendum eſſe ſtatueret, quod quouſque verum ſit, ſuo loco excuſſimus. Maxime libellus *de Incantationibus* ſiue *de effectuum naturalium rerum cauſis* (quos inter ſe titu-

i) De Arc. nat. Dial. 30. p. 205.
k) Amphitheatr. Praef.
l) Ibid. Exerc. I. p. 351.

m) De Nat. Deor. p. 203. 204.
n) Amphith. Exerc. VII. VIII. SCHRAMM. l. c. p. 21.
o) §. 20. p. 42.
p) l. c. Exerc. VI.

titulos vnus libri perperam diuerfos facit SCHRAMMIVS ^r, adeo placuit Vanino, vt eum aureum et admirabilem diceret ^r, ex quo vno iudicio si cum iis comparetur, quae ex instituto de hoc libro alibi diximus, de Vanini philosophia facile iudicium fieri potest, simulque intelligi, quibus de miraculis, de anima, de fato et similibus dogmatibus a Pomponatio acceptis Vaninus subscripserit. Neque tamen diffidendum, interdum et Aueroi et Pomponatio Vaninum contradixisse, vt ex *Exercitatione XLIX Amphitheatri* patet, vbi tamen non negat, plerosque ipsum putare stantem a partibus Pomponatii. Absoluto studiorum academicorum curriculo monachi habitum induisse oportet Vaninum, si vera sunt, quae habet MARINVS MERSENNVS ^s, cuius verba ob insignem libri, in quo extant, raritatem, ipsa adducemus: *Viros bonos se mentientes, (ita de atheis pronunciat,) fallunt; nec enim existima, te vllum vnquam hominem atheo peiorem inuenturum, quod exemplo Vanini atheorum Caesaris testatum facere possumus, qui ne iocator existimaretur, κατὰ πρῶτον ἐξέρεος esse maluit, licet aliquando nomen suum alicui sanctissimae religiosorum congregationi dedisset, quae statim illum, vt verum monstrum euomuit.* Tacet tamen haec ipse Vaninus, vnde si modo vera sunt, et non deceptus est Merfennus, in huiuscemodi valde credulus, coniiicimus, eum, cum prima religionis susceptae tentamina adisset, essetque hypocriticae simulationis acerbus irrisor, maxime vero huius vitii clericos haberet suspectos, liberiori lingua venerabiles fratres ita irritauisse, vt mature abeundi consilium aut coactus acciperet, aut sponte caperet. Ipse se peracto curriculo academico Taurisanum patriam suam in aestiuis caloribus obequitantem repetiisse, et tum Ioanni Mariae Ginocchio theologo Germaniam peragranti focium se dedisse, et contemti finistris auspiciis Argentoratum peruenisse scribit ^r. In quo itinere se fortissimis telis atheos aggressum fuisse iactat, quod si verum est, prodidisse causam optimam ex mira ratiocinatione censendus est. Perlustratis Germaniae vrbibus in Bohemiam vsque penetrauit, vbi eo tempore et Catholici et Hussitae et Anabaptistae viuebant, et hos quidem se oppugnauisse ipse quoque gloriatur ^r. Tum in Belgium descendens cum atheis pugnas porro iniit, andabatarum more, et aut reuera eos refutare serio noluisse, aut non potuisse, satis luculenter prodit ^r. Pleraque enim eius responiones tales sunt, vt haud dubia atheos victoria maneat. Id quod characterem Vanini animo recolentes non magnopere miramur. Ex Belgio relegere vestigia itineris ad patriam ducentis constituens Geneuam peruenit, vbique atheis, si vera sunt, quae ostentat, grauis et intolerabilis, et quidem cum periculo vitae ^r. Quod cum euafisset ad Gallos delatus, Lugdunum peruenit, ibique Henrico Syluio eum deferente fuga se liberare ab inquisitione

q) l. c. r) Arc. Nat. Dial. 51. p. 374.

s) Qq. in Genesis col. 156.

f) De Arc. nat. Dial. 56. p. 425.

ff) Ibid. p. 349. t) p. 357. u) p. 328.

ne coactus est ^v. Tutiozem vero, quam Galliam, censuit sibi fore Britanniam, in quam delatus per biennium vixit, et Hieronymum Morauum, legati Veneti sacerdotem amicum fati fidum et interiorem habuit. Londini autem scribit ^w se ad agonem Christianum destinatum fuisse, adeoque quadraginta nouem diebus in latomii tanquam in palaestra quadam exercitum eo fuisse pro catholicae ecclesiae auctoritate defendenda effundendi sanguinis desiderio accensum, et inflammatum, ut sibi a Deo immortalis vel maius donum aut melius contingere nullo modo potuisset. Accidit hoc, si narratio vera est, anno MDCXIV, de quo tamen subdubitat cel. LA CROZE ^x, nobis autem indolem animi Vanini expendentibus valde videtur simile, hominem eiusmodi caractere anomalo insignem, et incerta ingenii luxuriantis varietate huc illuc raptum mox de veritate religionis Christianae dubitare coepisse, mox in alterum extremum currendo pro ecclesiae suae, cui nomen addixerat, incautius et liberius loquendo, contra rempublicam quaedam effutiisse, ideoque castigatum martyrii gloriam affectasse. Nihil enim tam ineptum maleque cohaerens et a se dissonum est, ad quod non stultitia per vices delabatur, et arripiant capita heteroclitica. Parum itaque fauentes sibi Protestantium terras expertus in Italiam rediit, Genuaeque sede fixa, viris eruditissimis innotescere studuit, quorum commendatione iuuenes in philosophia erudendos haud paucos accepit ^y, et cum eruditionis ornamentis enitere crederetur, optimatum sibi gratiam deuinxit, quam venari studiose annitebatur. Praelegit ibi naturalem philosophiam, posthabitis Scholasticorum praeceptis discipulos monens, ne in vilius magistri verba iurarent, sed ad fontes ipsos conuerterentur: Auerrois autem libros prae alijs obtulit, ex quo intelligi potest, quas philosophiae scaturigines consulendi iuuenibus auctoritas fuerit. Genua Lugdunum reuersus est, sine dubio quod *ἀνομιαν* ingenii eius supra modum paradoxi et haud raro delirantis diu eum cum auctoritate et viri boni atque eruditi opinione viuere vno loco haud paterentur. Certe eadem in vrbe opus habuisse, vt, se cum atheis non stare ostenderet, ex suscepta contra Cardanum pugna, quem atheismi infimulabat, haud obscuro indicio constat. Nec diu ibi morari potuit, sed mox in Italia, mox in Gallia discurrens, haud contemnendis periculis exantlatis cum mox latronum metus eum opprimeret, mox aquae interitum minarentur, indies fieri coepit de impietate magis suspectus. Coegit id eum Lutetia excedere ^z, qua in vrbe eum atheismi suspectissimum fuisse, vel ex vnus MERSENNI *Commentario in Genesim* * constare potest, qui cum ei fuerit *ἀνομιαν* inter atheos praecipuos fuisse relatum non obscure significat. Minus itaque in Parisiorum vrbe tutus ad Tolosanum vigente fato delapsus est. Narrat tristissima infelicis philosophi fata, qui miserabilem

v) Amphitheatr. Ex. 42.

w) Ibid. Ex. 19. p. 117. 118.

y) l. c. p. 350. conf. Ex. 40.

x) p. 340.

z) Conf. SCHRAMM. l. c. §. 19. p. 160.

*) loc. cit.

bilem eius vitae exitum vidit, et ipsum viuum nouit GRAMMONDVS †, cuius testimonio plerique qui post eum de Vanino scripserunt, steterunt. Summa eius narrationis huc redit: Suspectum se libris editis, eo praecipue, quem *de Arcanis naturae* inscripserat, fecerat Vaninus, quod de religione minus recte, et nonnulla impie statuerat. Quamuis autem se Romanae ecclesiae iudicio cuncta submittere professus tutus haecenus latuisset, inuentus tamen est Franconus quidam non ignobilis genere, qui eum in extremum periculum coniiceret. Ille enim cum saepius in vtramque partem cum Vanino de Deo rebusque diuinis sermonem miscuisset, eum velut nefarium diuinitatis hostem deferre apud magistratum constituit. Rapitur in ius Vaninus causamque dicere iussus, quod pestilentibus opinionibus iuuenum animos corrumpere; respondit Romanam se fidem amplecti, nec ab ea ecclesia quod dissonet, vnquam docuisse; nonnulla ab atheis, obiici solita eo sine enumerasse, vt leues argutiunculas hominum impiorum eo fortius refelleret. Ita excusatione allata tum quidem liber dimissus est. Quo successu laetior et elatior cum impietatem in dies audacius spargeret, Franconus Magistratu compellato, diem ei diceret, rogauit, vt quod toties ex ore eius audiisset, eius illum coram conuinceret. Qui cum nobilitate et auctoritate gauderet, fidem ita senatui fecit, vt is Lucilium sine mora cum omni suppellectile caperet. Ductus est in carcerem inter reculas inuentus, immanis bufo, aquis innatans, quem vitro inclusum aluerat, quae res valde veneficii et magiae suspicionem apud plerosque excitauit, quamuis is rogatus antidotum malo pestilenti ex eo parari affirmauisset. Accusatus Vaninus impietatis cum pristina vestigia legeret, Franconus in medium procedens, negatae diuinitatis eum reum egit tempore locoque et verbis quoque quibus elocutus erat, simul indicatis, interposita quoque iurisiurandi fide. Negauit cuncta Lucilius, de iniuria conquestus, quod iudicio semel absolutus veteri lite denuo grauaretur. Discipulorum autem testimonio in partes vocato in vincula coniectus est, in quibus pietatem et religionis professionem, sacro etiam epulo aliquoties testatus est, omni arte adhibita, vt hac causa se extricaret, quo pacto totum semestre, protracta lite consumtum est. Sententiam de Deo dicere rogatus, vnum se in trinitate adorare professus, sublata ex terra stipula Dei existentiam ex eius mirabili structura demonstrauit. Sed peruicax et testium concordia et magicarum artium suspicio, vt ad rogam damnaretur. Currui impositus vt in supplicii locum veheretur, subtracata demum larua impietatem prodidit: non poenitentia dictorum, non preces vllae, sic vt nec Deum gratiam rogare se posse, monitus responderet, quem nullum crederet, nec regem, in quem nihil peccasset, nec iudices, qui magna ipsum iniuria afficerent. Oblatam crucifixi imaginem respicit, iactitans, imbellem fuisse, cui timor sudorem elicue-

Qq qq 2 rit,

†) Hist. Gall. L. III. p. 212. seqq. Per domos eundo iuuenes philosophiam docuisse Tolosae ait auctor Mercurii Gallici ad ann. 1619.

rit, se imperterrite mori, ac philosophice. Ad locum supplicii deuecti linguam ferro discerpit carnifex, horrendo mugitu edito; corporis reliquiae infelicibus ignibus vstulatae perierunt, cineres in aërem sparsi, et infelicis philosophi memoria hoc pacto deleta. Haec Grammondus. Similia alibi leguntur^a; et horrendae quoque in Deum et senatum regium blasphemiae, quas eructauisse dicitur, adduntur. Valde de huius accusationis veritate et sententiae iustitia disputatum est inter viros doctos. Plerique enim de Grammondi fide nihil dubitant, cum et praefens ipse fuerit et acta inspexerit, et supplicium viderit, et in ea dignitate constitutus vixerit, qua et prae aliis scire cuncta ex vero potuerit, et causam mentiendi non habuerit, qua dignitatem suam polluisset. Accedunt testimonia Mercurii Gallici, Marini Merfenni, aliorumque, qui ea aetate vixerunt, et famam publicam in testimonium vocauerunt. Et hoc quidem pacto recentissime pronuntiarunt Schrammius, Durandus, Crofaeus, aliique supra nominati. Ast non mediocriter fidem Grammondi eleuant, quae alii obiiciunt. Monent enim adeo animum odio, persecutione et sanguinolento consilio turgidum contra Vaninum historicum Gallum prodere, vt omnem fidem amittat, fatisque, dictante inuidia eum scripserit, pateat. Ipsum porro ita rem narrare monent, vt a partis studio semoto pateat, neque iustam causae rationem apud iudices obtinuisse, neque factis eum vel conuictum vel confessum supplicio fuisse affectum, iudicibus infensum animum, ab aliis, maxime clero inflammatum inaudita executionis festinatae celeritate prodentibus. Quos caruisse iudicio omni recto, et plane ineptos ad ferendam sententiam inhumanam fuisse, vel ex eo constare contendunt, quod atheismum et artes magicas inepte iungendo, ex bufone aquae incluso ridiculum impietatis argumentum desumerint. Fabulam autem de impietate in morte prodita, et eructatis in Saluatorem blasphemias non nouam esse, sed Vanino alteri anno MDL obmutatam religionem rogo imposto^b iam tributam ita occasionem subministrasse, inauditam crudelitatem senatus Tolosani excusandi pingendique, maledicentiae aliorum in blasphemiae culpam conuersa^c. Nec reliquos testes magnam fidem mereri, quos vna sceleris fama publica sed mendax instruxerit: Cuncta vero iudicum iniustitiam, Vanini innocentiam, supplicii nefandam atrocitatem prodere: odium scilicet cleri, quem cum saepius arrosisset, in rabiem ita egerit, vt in eius perniciem conspirauerit, aduersariorum improbitatem et malitiam, accusationem ineptam et fucocarentem. Ita imprimis ingeniosissimus Arpius, cuius apologia tota legenda est, vt intelligatur, quid in hac narratione reprehendi possit. Nobis valde suspecta et Grammondi, et Merfenni, et aliorum relatio vel ea propter videtur, quod ab euentu illi omnes argumentum atheismi capiant, quem posthabitis aequitatis et iustitiae legibus causam Vanini fuisse natam,

a) Mercur. Gallic. l. c. MERSENNVS l. c.
c) ARPE Fer. aest. l. c. §. 45. p. 30. 31.

b) CRISPINI Hist. testium verit. L. V. p. 162.

etiam, nemo temere negauerit, qui auctoritatis praeiudicio aut partis studio non ducitur. Non iam inquiremus, vtrum huius impietatis semina Vaninus in scriptis prodiderit, de eo enim in sequentibus dicemus; fingamusque oculatiores recte detestanda et impia multa in dialogis Vaninianis videre; sufficit in praesentia, vbi de intentata Vanino lite disputandum, produisse libros Vanini censorum regionum approbatione munitos; qui licet falli poterint, id tamen recte inde infertur, ita scriptos esse, vt meliores sensus recipiant, nec sufficiant, vt infaustis lignis perimendus auctor salua iustitia tradi potuerit. Vnus vero Franconus testis in quaestione de capitis periculo adductus est, et ille quidem, cuius testimonii fidem, absolutio, quam prima vice Vaninus obtinuerat, eneruat, odiumque, quo in infelicem philosophum exardere tum clerus, et ipse senatus prouinciae Tolosanae non erubuit. Quodsi et hoc concedamus, fuisse eum ex adductis causis suspectissimum, aequum tamen erat, qui toties errori renuntiasse videbatur, et haud contemnendo argumento sobrie de Deo philosophatus erat, poenitentiae illi locum facere, et ab horrendo supplicio abstinere, et errantem magis rationibus comescere, quam forcipe carnificis. Quae crudelitas cum detestabilem apud bonos omnes infamiam accusatoribus iudicibusque conflare apta fuerit, quid mirum, mendacia de eius blasphema morte talia fuisse commentos audacissimos homines, quibus ab hac macula liberarentur, et recte blasphemiae causa eum sustulisse demonstrarent. Tacemus pueriles de bufone nugas et sexcenta alia, quae satis probant, spiritum persecutorium, inuidiam, superstitionem, manus ad delendum infelicem Vaninum sociauisse. Non iam de eo disputamus, vtrum pie et prudenter recteque Vaninus scripserit, concedemus id viris doctis, qui causam Vanini impietatis suspicione iugulant, fluctuasse in nonnullis hominem ineptae philosophiae et nutantis ingenii vitio corruptum; sed de iustitia et iniustitia supplicii Vanini differimus, quem omni aequitate proscripserit fuisse horrendo supplicii genere peremptum, ex adductis, nisi fallimur, est manifestissimum. Quo tollere Vaninum iniquum erat, etiamsi apertam impietatem fuisset professus, cum satis fuisset, eius impudentiam alio modo coerceri, ne cum aliorum damno grassaretur*.

§. V. Scripsit aetate haud longa Vaninus complura, quorum ipse passim meminit, *Commentarios physicos, et in Aristotelis libros de generatione et de meteoris, libros astronomicos, apologiam pro lege Mosaica et Christiana, de contemnenda gloria, de vera sapientia, metamorphosin physico-magicam, apologiam pro concilio Tridentino.* Quae tamen omnia dubium est, vtrum perfecta et prodire iussa in vulgus sint. Nomen autem et memoriam suam immortalem quidem, at infamia commaculatam fecit libris duobus, in quibus impietatis semina sparsisse plerisque visus

Scripta Vanini ex quibus arbeitsini accusatus.

Qq qq 3

visus

*) Ita quoque iudicant LEBMIZIUS Vol. I. Epp. p. 310. et CROSAKVS l. c. p. 374. seq.

vifus est. Edidit enim *Lugduni anno MDCXV*, cum censura et approbatione, *Amphitheatrum aeternae providentiae diuino-magicum, christiano-physicum, nec non astrologico-catholicum aduersus veteres philosophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, Stoicos*, in quo quidem ingenii miram varietatem et vices incertas prodidit; at nonnulla tamen attulit, quae doctrinam et elegantiam spirant. Vnde iudicauit de eo cel. REIMMANNVS ^d, *reperiri in hoc eius Amphitheatro quaedam non laudanda prorsus spectacula, hypotheses insolentiores, subtilitates inutiles, probationes frigidas, limitationes meticulosas, philosophemata scholastica; sed accuratam tamen et quodammodo factam esse, auctoris dictionem, acumen praeclarum, lectionem non quotidianam, et in providentia Dei explicanda, probanda, vindicanda, tantum studium, vt si praeter hunc foetum tum alia non fuerint atheismi indicia, parum absit, quin cum C. Thomasio, Arnolde, Oleario, Arpio et scriptorem et scriptum inmerita damnatione affectum pronuntiemus.* Consentiant in eo, et parum sibi visum esse, quod pestilentes doctrinas sapiat, in eo libro, fatentur MORHOEIVS ^e, et FABRICIVS ^f vterque ^g. Aliter quidem visum BYDDEO ^h et CROSAEO ⁱ, et praeter hos aliis, quibus clanculum impietatis semina in hoc quoque libro sparsisse Vaninus visus est. Ast occupati, viri cetera summi et in iudicando accurati, sinistra de Vanino opinione, et Atheismi suspicione, cuncta ad eam retulerunt, quae ingenium Vanini stultum, et a se toties diuersum, inepta et absona differuit. Totus enim cum incertitudine fluctuaret, ambitio autem et simplicitas in eius animo regnarent, non potuit non talia asserre, quae, si stricte et secundum rigorem iudicandum sit, suspensionem malae opinionis nutrire apta sunt: si vero ad hunc stultitiae Vaniniana characterem referuntur, benigniorem admittunt explicationem, et cum venia desipientis sibi non constantis auctoris legi ab aequo lectore postulant. Alter, quo sibi fatum acceleravit, foetus hoc titulo superbit: *IULII CAESARIS VANINI, theologi, philosophi et I. V. D. de admirandis naturae reginae deaeque mortalium arcanis libri quatuor, qui prodit Lutetiae anno MDCXVI*, munitus priuilegio Ludouici XIII. Galliarum regis et approbatione censorum, quos tamen eius puduit; librum epim vlticibus flammis traditum postea fuisse, asserit Rossetus apud SCHRAMMIVM ^k. Vfus est in hoc libro methodo dialogistica inter discipulum Vanini, Alexandrum, et Iulium Caesarem, in quo, vagis et ineptis disputationibus Peripateticis ita extra orbitam raptus de naturalis et reuelatae religionis capitibus ex vtraque parte differit Vaninus, vt satis appareat, eum totum incertitudine, et delirantis ingenii furore quodam in praeceps haud raro ruente fuisse corruptum. Et in hoc quidem libro pudendae impietatis specimina prodidisse Vani-

d) Cat. crit. bibl. strae T. I. p. 989.

e) Polyhist. T. I. L. I. c. 8. p. 79.

f) I. ALB. FABRIC. l. c. Io. FABRIC. Hist. bibl. suae T. VI. p. 317.

g) l. c.

h) l. c. Conf. quos nominat REIMMANN. Hist. Atheismi S. 3. c. 4. p. 369. seq.

k) l. c. c. 3. §. 13. p. 191.

Vaninus plerisque visus est, inter quos imprimis PARCKERVS ^g, et CROSAEVS ^h describere impias pestilentis scripti sententias satis non possunt, quas crassa tantum larua velauerit. Prodere enim se in illo impietatem Peripateticam, Auerroisticam, et Astrologicam, ratiociniis ineptissimis et lacrymis dignis demonstratam et stultissima ambitione se ridicule efferentem. Cuius exempla quoque afferunt, satis prodentia caput habuisse Vaninum helleboro purgandum, et parum pretii statuisse venerandis religionis Christianae mysteriis, ea vero, quae pro ea dixit, ironice dixisse, ita ferente dialogo, contendunt, et quae velut atheorum obiectiones attulit, vel plane non refutasse, vel frigide tamen, conqueruntur, et contemtis, aiunt, istis, quae in amphitheatro scripserat, cumulasse quicquid ad atheismum fouendum, et in aperta luce ponendum facere posse intellexerit, nec his alia nisi diuino-magica, cabbalistica, et emotae mentis somnia contradictionum et dubitationum plena opposuisse, Christiana mysteria risisse, et nihil excusationis attulisse, quam quod istis impietatibus, si reuera spectes, sit deterius et intolerabilius. Et his quoque rationibus, sed defensibus quoque, atheismi damnare plerique Vaninum nulli dubitant. Sunt tamen non contemnendae eruditionis viri, qui nimium haec premenda non esse, ducti caractere ingenii Vaniniani volunt, et excusationi locum esse putant ⁱ. Inter quos post CHR. THOMASIVM ^k, GOD. ARNOLDVM ^l, IO. PHIL. OLEARIVM ^m eminet Cl. ARPVS ⁿ. Is, quae contra eum solent afferri, quaeque responderi et pro Vanino dici possint, ita strictim complexus est ^o.

I. Ignorabat Deum, quia ultra mentis captum non prosiluit. II. Librum nefandum de tribus impostoribus (hunc dialogos de arcanis naturae esse nonnulli coniecerunt) in vitam reuocauit; nomine magis quam re notum. III. Arborum dicta retulit; notata ut caueas. IV. Leuiter iis respondit, tumore vulgi, calumnia aduersariorum. V. Christi humanitatem execrabatur; quod noua quaerenti antiqua nota viderentur. VI. Virginem Mariam dicebat iniisse virum; quae sunt fabulae nugaeque. VII. Naturam habuit Deam; nam et digni viri assimilantur diis. VIII. De angelis differentes Scholasticos reprehendit; dum alia ex aliis retulit. IX. De daemonum natura naturales poscit rationes; quod vulgari sententiae non leues subsint superstitiones. X. Immortalitatem animae negauit; nullo in loco. XI. Fuit astrologus; lepide, ergo atheus. XII. Negauit conflagrationem; suo modo. XIII. Fatum probauit; prouidentiam diuinam. XIV. Literas in coelo fingit; superstitionose. XV. Cardanum et Holy delirantes non impugnat; quia non fererat. XVI. Misit sacra; quae sacra non erant. XVII. Reiecere monachi;

g) l. c. h) l. c.
 i) Conf. quos laudat REIMANNVS Hist. Atheismi l. c.
 k) Not. ad Pufendorf. de sede Rom. p. 287. Cautel. c. 12. §. vlt. p. 195.

l) Hist. Eccl. Tom. II. c. 17. p. 16. §. 9. seqq. p. 775. seqq.
 m) l. c. n) l. c.
 o) Fer. aestiu. l. c.

nachi; ne reiceretur e coelo: XVIII. Damnatus tamen; vt multi innocentes. Ita quidem Arpius. Tertiam ab his sententiam pronuntiauit acutissimus HEVMANNVS ^p. Monet is: „Vaninum, cum memoria „abunde polleret, et imaginationis ardore flagraret, iudicio caruisse, am- „bitionis oestro vero percitum credidisse se solum sapere. Hoc stultitiae „charactere vestitum quadrata rotundis, summa imis, bona malis miscu- „isse. Et atheum quidem perfectum non fuisse, at incertum tamen de „existentia DEI fluctuasse, ingenii ferocientis lasciuia innumeras in „vtramque partem rationes suggerente, quas ponderare et pro meliori cau- „sa decernere iudicii paupertas non permiserit. Et hoc quidem pacto, „mox certissimum de Dei existentia fuisse, mox incertissimum putat, ita „tamen, vt dici nequeat, qua ex parte animus Vanini in mortis hora affe- „ctus fuerit, cuius arbitrium penes Dei sit omniscientiam.

*Quid de Va-
nini athei-
simo statuen-
dum.*

§. VI. Difficile est in hoc doctorum virorum dissensu arbitri partes suscipere, eo quod ipsa, quam Vaninus adhibuit dialogistica methodus incertam et haerentem faciat sententiam, et quae vera auctoris mens fuerit, occultet magis quam reuelet. Accedit fluctuans Vanini animus, et dubia philosophandi ratio, in vtramque partem argumenta versans, et de numero magis eorum, quam pondere sollicita, quae vbi a scriptore adhibetur, artis rationalis praesidiis non suffulto, facile fieri potest, vt pro optima causa ineptissimae rationes colligantur, et tamen, qui ita ratiocinari suscepit, plurimum se vicisse putet. Qualem sedisse haud raro Vanino animum, iactabundae illae disputationes nobis persuadent, quas se cum insigni victoriae gloria atheis opposuisse scribit. Ex his enim quae supra notauimus, locis, abiecto praeconceptae de Vanini atheismo opinionione colligimus, ineptissimum homuncionem magna quidem sui fiducia elatum at deliro ingenio in chaos confusae eruditionis iactatum, tum cum vanas et ficulneas copias aduersus impietatis patronos in aciem produceret, nescio quas strages a se editas somniauisse. Nemo id temere negauerit, qui ad characterem ingenii Vanini paulo curatius attenderit. Ita enim imaginationis aestu abreptus, excussis habenis per vanissimarum naeniarum deuia interdum vagatus, vt Phaethontis instar palaretur, incertus quid diceret, quid statueret, sic vt dictionis quoque thraonismo fere pererili ad ineptias dilaberetur. Cuius si quis exemplum cupit, eum vel vnam *Dialogorum de arcanis naturae dedicationem* legere iubemus ^q, certi, nostrae eum sententiae non inuitum subscripturum esse. Extendisse vero se haec ingenii phantastici deliria etiam ad ipsa dogmata, ex nugis, quas passim prodidit, est apertissimum, quae emoto eum fuisse cerebro, nec sibi satis constante, satis euincunt. Nam quis non febricitantium somnia sibi enarrari credat, vbi audit statuentem: religionum omnium ortum certo fideri deberi, et influxui astrorum, fata earum a stellarum irradiatione pendere, Christianae fidei ortum Iouis cum sole coalitioni esse tribuendum,

^p) Act. phil. Vol. I. p. 600.

^q) Exhibet ex ea haud pauca LA CROZE l. c.

buendum, prodigia quaeuis ex phantasiae vi et magia posse explicari, etc. Quis non largiter rideat, de natura et materia coeli, de aeternitate et figura coeli rotunda, de loco nec dextro nec sinistro in coelo, de non colorato coelo, de vnica eius forma, et motu a formis procedente, nec sibi contrario, de sole per se non per accidens calefaciente, de luna sole non calefacta, et sic porro de plerisque meteoris caussisque phycis secundum Peripateticos, Cabbalistas, Magicos, ineptis et puerilibus rationibus disputantem, audiens, et tamen admirabundum videns Alexandrum discipulum exclamare: *O vtinam magistrum Aristotelem non excepisses, quia non dubito, quin fortiorem sapientiae arcem exaedificasses.* Qualia et similia plurima, quae in famoso libro afferuntur, dum ordine recenset PARCKERVS^r, recte exclamauit: *Attendite, atque an quauis aetate aut gente vixerit homo stultior, iudicate!* Quo loco cum nugae Vaninianaee collectae sint, et quam miserabili et tamen ambitiosa ratiocinatione insaniam suam Vaninus prodiderit, sit manifesto declaratum, elegantem facundissimi scriptoris dissertationem ipsam Lectorem adire iubemus, vt character Vaniniani ingenii dispalescat. Superstitioni itaque, enthufiasmo, et inani de rebus nihili morologiae stultissimum Vanini se addixisse ingenium, eo minus dubitandum est, quo minus paucae illae clarioris lucis scintillae, quae hic inde emicant, superare istas tenebras potuerunt. At his se iunxerat inepta ambitio, qua se veteris et recentioris aeui heroibus tanta eruditionis iactantia praeferebat, vt risum tenere legentes nequeant. Quod multis exemplis declarabit, quem colloquentem introducit, discipulum eius Alexander, cuius vt vnum habeas, lector, en inter alia ita de Caesare suo Alexander: *Non ego Thomae Mori exemplum imitabor, qui cum Erasmus ignoto habitu acutissime differentem excepisset, ita dixit: vel daemones vel Erasmus, vel ita de tua sapientia eloquar, vel Deus es, vel Vaninus?* Ad quae respondit Iulius Caesar: *Hic sum.* Sufficere haec pauca, ex multis diligenter a laudatis viris collectis possunt, vt intelligamus, Antycyris opus habuisse cerebrum Vanini, et extremae stultitiae notam sustinere. Quae infelicitas exorbitantis sine rege iudicio imaginationis, non potuit non valde augeri, cum ineptissimi illi praeceptores contigissent, qui oleum camino addere, quam aqua ignem dolose latentem extinguere maluerunt, qualis Pomponatii et Cardani libri atque disciplina fuerunt. His totus corruptus Vaninus, quid statueret, de quo certam sententiam figeret ipse ignorauit, et sine mente philosopha blaterans, bona, mala, recta, iniqua, vera, falsa, ambigua disputandi acie inter se commista attulit, non satis gnarus, ita subruui pietatis et veritatis reuelatae moenia. Quicquid igitur vel in philosophiam, vel in Christianam fidem peccauit Vaninus, peccauisse autem leuem futilemque scriptorem plurima fatemur, non tam impietati directae et systemati

inaedifi-

r) l. c. p. 195. seqq.

inaedificatae, quam extremae dementiae hominis mente capti adscribendum esse putamus, digni qui non flammis sed ergastulo sapere didicisset. Unde eum hoc quidem sensu ab atheismi culpa liberari facile concedimus, at inopia iudicii et confusione mentis incertae et in utramque partem frivole disputantis male tamen de theologia naturali et reuelata meruisse censemus.

*Scriptores
historiae Be-
nedicti de
Spinoza.*

§. VII. Maiori iudicii apparatu et philosophiae emendatae specie ad impietatem non modo incrustandam, sed, quod credebat, geometrica methodo demonstrandam accessit BENEDICTVS DE SPINOZA. Cuius hominis ex Iudaeorum synagoga egressi conatus tantum strepitum in ciuitate erudita crediderunt, et infaustis philosophematis tot ingenia turbauerunt, vt famosorem in hoc quidem argumento philosophum, inuenire vix liceat, et Spinozismus lippis et tonforibus innotuerit. De cuius viri historia enucleanda tradendaque multorum se exercuit industria. Vix enim viuis excesserat Spinoza, cum operum posthumorum editor IARIG IELLIS, cui arctissima cum viuo amicitia intercesserat, vitam eius lingua Belgica conscriptam et a LVDOVICO MAYERO, medico Amstelodamensi Latine redditam praemitteret. Pauca quidem in ea ad vitam eius spectantia sunt, ast, quae doctrinam eius enarrarit, proluxa ita vero descripta, vt a disciplinae Spinozisticae alumno poterant expectari. Porro ex Spinozae aedecis, Medicus Hagienfis, LVCA S vitam Benedicti Spinozae Gallica lingua non tam recensuit, quam laudibus, conscripto elogio, cumulauit^{s)}. Inter eos autem, quibus reprobatum est systema Spinozae, de eius historia omnium maxime meruerunt P. BAYLE et Io. COLERVS, ecclesiae Lutheranae apud Hagienfes minister. Et ille quidem in *Dictionario historico-critico* tum vitae Spinozae circumstantias more suo enarrauit, tum placita eius magna subtilitate euertere, totique systemati inuiso nervos incidere fategit. Quo in labore cum egregie esset versatus, ad praecidendas, quas altius agere Spinozismus in Belgio coeperat, radices, a FRANCISCO HALMA Belgico sermone articulus ille expressus, et in vulgus editus est. Colerus autem, cum literalem veritatem dogmatis de resurrectione Christi contra allegoricam, quam Spinoza confinixerat, expositionem oratione sacra vindicasset, eamque typis edere constituisset, vitam famosi philosophi prolixè satis et copiose scriptam Belgica lingua^{t)} adiecit, quae et postea Hagae Comitum Gallice comparuit. Laudemque meruit scriptor eruditus^{u)}, „non tantum propter subsidia, „quibus instructus ad scribendam Spinozae historiam accessit, sed et propter diligentiam et multarum rerum cognitionem, quae ad hoc argumentum pertinent, et imprimis modum, quo vitur in hoc scriptore celebrando, et scriptis eius reprehendendis. Quamuis praeter candidior^{u)} rem lineam et dispositionis meliorem viam, nonnullarum rerum exquisitior

s) Nou. lit. Tom. X, P. I. p. 40. Wolf. Bibl. Hebr. P. III, p. 146.

t) 1706. Amst.

u) Cat. Bibl. Reimmann. p. 1090. seq.

„fitor habitus desideretur, quae ex epistolis Spinozae queant suppleri.“
 Et hanc quidem narrationem plerique post hunc, scriptores secuti sunt, totamque recudi fecit, qui *Syllogen scriptorum ad philosophiam Spinozae pertinentium* consilio non quidem optimo, *Bruxellis*, vt titulus habet, anno MDCCXXXI. edidit LANGLETVS DV FRESNOY; illi enim vita haec quoque praemissa est, ast dolo malo, ad commendandam latentis veneni pestem intrusa * descriptio characteris Spinozae, in qua in coelum Spinoza extollitur, vt haec ex calamo ministri Lutheranae ecclesiae profecta crederentur, et sine suspitione legerentur. Vnde nonnulla in hac vita Spinozae ab aliena manu adiecta, et falsa quidem esse, non nemo monuit †. Tota enim infausta illa collectio, quae praeter pauca quaedam, quae aduersus Systema Spinozae dixerunt RAMIVS, FENELONIVS et ISAACVS OROBIO Iudaeus, comprehendit BOVLLAINVILLERII Comitis refutationem, vel verius expositionem systematis Spinozistici; in eum finem typis edita fuisse merito viris doctis visa est, vt, cum abstrusioribus metaphysicae disquisitionis descriptionibus, Lamii Fenelonii, Orobii lectionis gratia desit, dicendi scribendique veneres, quibus commentatio Boullainuillierii abundat, et quibus Spinozismus vim, quam potuit maximam et demonstrationis speciem luculentam accepit, lectorem in castra Spinozae trahant, fessum et pertaesum ea legere, quae metaphysica dicendi et argumentandi subtilitate in fine adiiciuntur ‡. Praeter hos duumuiros complures sunt, qui celebri philosophi et atheorum principis vitam enarrarunt, inter quos eminent et consuli merentur IAEGERVVS †, KORTHOLTVS †, KETTNERVS †, IENICHIVS †, NICERONIVS †, IAQVELOTIVS †, et qui apologiam quandam more suo pro Spinoza dixit GODOFREDVS ARNOLDVS †, quibus addi possunt, qui vel historiam atheismi, vel Iudaismi scripserunt, et inter hos imprimis WOLFIVS, REIMMANNVS †, SCHVDTVS †, BASNAGIVS †. Quae vero in *Bibliotheca Bremensi* † promissa est, historia critica Spinozismi, num comparuerit, ignoramus.

§. VIII. Genitus est * BENEDICTVS DE SPINOZA, pa- *Vita B. Spi-*
 rentibus Iudaeis Lusitanis, modico censu notabilibus †, natus Amstelo- *nozae.*
 Rr rr 2 dami

x) p. 77. seq. Vid. Relat. Hamb. 1732. n. 14. p. 114.

y) Journal littéraire T. XIX. P. I. ser. 10.

z) Bibl. raisonnée T. VII. P. I. p. 136. Act. Erud. 1732. p. 120. MOSHEM. ad Cudworth. p. 1140.

a) Diff. de Vita et doctrina Spinozae.

b) De tribus impostoribus.

c) Diff. de duobus impostoribus B. Spinoza et B. Bekkero.

d) In Hist. Spinozismi Leenhofiani, c. 1.

e) Mem. de Littérature T. XIII. p. 94.

f) Vita Spinozae, conf. Wolf. Bibl. Hebr. P. I. p. 242. P. III. p. 145. P. IV. p. 795.

g) Hist. eccl. P. II. c. 17. §. 16. seqq. conf. DIXFENBACH. in Iudaeo conuerso p. 148.

h) Hist. theol. Iud. L. I. c. 18. §. 38. p. 632.

i) Memorabilia Iudaica, P. I. L. IV. p. 313. seqq.

k) Hist. Iudaica. P. IX. c. 37. p. 1032. add. BENTHEM. Stat. eccl. et schol. Belg. foed. P. II. c. 4. p. 340. et quamplurimi alii.

l) Vol. III. p. 163.

*) Sequimur Coleri narrationem, addimus autem ex aliis quae memorabiliora videntur.

m) Pauperes plerique faciunt, diuites SCHVDTVS, l. c. honestis opibus viuentes COLERVS l. c.

dami VIII. Cal. Dec. anno MDCXXXII, in circumfione Baruchi nomen accepit, quod post relictam fynagogam in Benedicti conuertit. Nactus a natura ingenium viuido ardore difciplinis aptum, et iudicii vim mature fe prodentem, more gentis fuae literaturae Hebraicae difcendae cauffa praeceptoribus traditus eft. Qui cum memoria magis rabbinicae lectionis, quam iudicandi acrimonia pollerent, mirum non eft Spinozam quindecim annorum adolefcentem, tanto acumine obiectiones magiftris formaffe, vt iis foluendis impares effent, et refponfionibus ineptis fluctuantem magis incertum dubiumque redderent. Abiecto itaque auctoritatis praeiudicio, quo totam gentem fuam regi videbat, propriis luminibus uti, et fine Iudaicorum magiftrorum commentariis legere facras literas et collectionem iuris Iudaici, quam Talmud vocant, conftituit. Vidit tum multa alacris animi et acerrimi ingenii iuuenis, quae in opinionibus praeceptorum fuorum placere ipfi non poterant: altiore autem eorum meditatione inftituta, animo cogitationes fuas ita preffit, vt modestia Morteirae, celebri inter Iudaeos viro, quem praeceptorem habebat, valde commendaretur. Et prudenter quidem in tanta contribulium fuorum fuperftitione tacendo fibi profpexerat; at cum ab amicis duobus de Deo, angelis, anima, omni-que fubftantia immateriali fententiam rogaretur, iisque dubia fua depromeret, proditus ab iis, fufpectusque apud vulgus Iudaeorum factus eft, quod finiftram de auita religione opinionem concepiffet. Ideo apud iudices fynagogae delatus, et ab eis citatus atque de fidei integritate interrogatus eft, indicata, quam fama de eo genuiffet, fufpicionem contentae legis patriae. Quod cum strenue negaret, prodierunt amici illi laruati, quibus mentem fuam aperuerat, et quae conuitia in Iudaeorum gentem, quas blasphemias in legem et fidei dogmata pronuntiaffet, enuntiarunt, tanta audientium indignatione, vt anathema ex omni parte clamaretur. Spinoza autem reiecta teftium fide, certiora eius accufationis teftimonia popofcit. Accurrit Morteira et precibus primo, mox minis frangere constantiam difcipuli conatus eft; ille cum vanam apellae iram rideret, eo quod de fuperftitione Iudaica dudum triumphaffet, fulmina excommunicationis, quam vocant, fibi intentata rifit, imperterrito animo. Ea vero cum tandem Iudaeorum furor vibrare minaretur, de fuga falutari fibi difpexit, laetus occasionem fibi fubminiftrare ineptum magiftrorum feruorem, ea, quae dudum animo conceperat perficiendi, et ad Chriftianos transfugiendi. Ideo nonnullos Chriftianorum, quos prudentes iudicabat, fibi amicos concilians, afylum fibi parauit. Qui cum ingenio eum acri et eleganti uti, at praeter Hebraicam eruditionem doctrina elegantiori carere viderent, auctores ei fuerunt, vt qui occidentis linguas plerisque teneret, Graecam et Latinam adiiiceret. Paruit monitis ardens difcendi animus Spinozae, et post prima Latinae linguae rudimenta a Germano quodam hauffa, Francifcum van Ende, medicum, qui fcholas Graecas et

Latinas

Latinas tum Amstelodami habebat, infami postea fato sublatas, praecptorem nactus est. Habuit ille filiam praeter musicae peritiam, ita eleganter Latine doctam, vt discipulos parentis vices subitura haud raro erudire posset. Quae cum non forma quidem at ingenio valeret, deperire Spinoza magistram coepit, quem tamen paulo post loco mouit Kerkeringius condiscipulus, qui eam postea vxorem duxit. In hac itaque Schola cum literis Latinis Spinoza satis esset innutritus, ad theologiam discendam animum applicuit, eam autem postea iterum dimisit ad naturalem philosophiam conuersus. In qua cum de duce sibi elegendo dispiceret, in Cartesii opera incidens, tanto desiderio philosophiae discendae repletus est, vt totus ea deuoraret, et hunc sibi philosophiae primum auctorem fuisse multoties postea fateretur. Maxime autem placuit, quod euidentiam veritatis criterium posuisset, et ad eam in illa inquirenda esse attendendum, Cartesius commendauisset. Hoc enim canone posito intelligebat, vana Iudaeorum somnia ab homine sanae mentis admitti non posse, eo quod ineptissimorum nugatorum auctoritate sola nitantur, et omni rationis euidentia careant. Indies ergo magis contribulium consuetudinem fugiens, ipsamque synagogam vitans, quotidie suspectior suis factus est. Qui cum facile intelligerent, quantam stragem inter suos edere posset, annum mille florenorum stipendium ei obtulerunt, ea lege, vt sacris Iudaicis interesse pergeret. Id quod tamen recusauit, cum se vni veritati sine quaestus cupiditate litare assereret. Ad insidias itaque conuersi, tollere eum elanculum conati sunt; euitauit autem Spinoza ictum fidae, quem Iudaeus quidam illi intentauerat, cumque tutum a periculo vitae se Amstelodami non crederet, de alio loco cogitare coepit, vbi ab insidiis Iudaeorum securus viueret, et in solitudine tranquilla philosophiae studiis vacare posset. Exiit ergo ex communione coetus Iudaici, neque tamen vlli se vnquam Christianorum sectae addixit, nec sacri lauaminis vnda aspersus est, vel Christianae doctrinae professionem vllam edidit, licet inter Christianos ad vitae finem viueret, et eruditissimis viris amicitia innotesceret. Ita vero indignatio Iudaeorum in rabiem versa, et anathematis fulmen solenni ritu in eum vibratum est; id quod totum eum ab omni consuetudine cum gente sua eiecit, cum nemo conuersari, cum excommunicato inter Iudaeos audeat. Mirum itaque non est, recutitos magistros Spinozam contemptae legis, apostasiae, et blasphemiae, fama per vulgus sparfa,

Rr rr 3 accu-

n) Vixit hic infelix medicus Amstelodami, et iuuenturem Graecas Latinasque literas docuit. Cum autem atheismi peste esset infectus, imprudens adolescentem illa huc corrumpere conatus est, quod fide dignis testibus se nosse ait COLERVS l. c. p. 18. vnde factum, vt hunc impietatis primum praecptorem habuisse Spinozam multi dicerent, vid. BASNAGE l. c. p. 1032. A Batavis in Galliam secedens res nouas moliri, et quod EVANGHALMA in Vita Spinozae p. 5. ait, Delphi-

ni vitae insidari, quod vero alii referunt, rebellionem ciere ausus est; vid. COLERVS l. c. p. 21. eo euentu vt captus laqueo suspensus interierit. Vid. quae ex BASNAGE annalibus Belgicis referunt Act. Erud. Germ. P. CXXXI. p. 815. seqq. vbi negato Deo et anima immateriali miser periisse dicitur.

o) COLERVS l. c. interfuisse tamen sacris Christianorum haud raro infra dicemus.

accusasse, eo quod derelicta gente sancta ad infidelium cohortes concessisset. Spinoza autem, ut tutius lateret, ad medicum Van den Ende, apud quem humanitatis studiis operam dederat, se conuertit, ratus ita ab infidiis Iudaeorum tutum esse se posse; totumque philosophiae se tradidit, et mathematicarum disciplinarum studiis; imprimis opticae studiosissimus, vitrisque ad usum opticum poliendis intentus, qua in re, cum ingenio acerrimo usus industriam iunxisset indefessam, ita profecit, ut vndecunque talia vitra ab eo peterentur, haberetque ex hoc quaestu honesto vnde vivere commode posset. Morteira autem et, qui reliqui ex Iudaeis in Spinozae exitium coniurauerant, cum ictus suos euitasse inimicum vidissent, magistratum Amstelodamensem adeunt, deferunt Spinozam blasphemiae nomine, rogant, vrbe proscriberetur, vrgent, instant, omnemque lapidem mouent, et tandem obtinent, ut aliquot mensium exilio mulcetur. Quod tantum abest, ut terruerit Spinozam, ut potius solitudinis studiorum causa amantissimus, fugere strepitum atque tumultum vrbs se posse laetatus nullum iuris remedium Iudaeorum persecutioni opponeret, sed in agrum Amstelodamensem ad amicum diuerteret, vitris suis atque studiis maxime intentus; ex quo tamen loco anno MDCLXIV Rhonoburgum, Leidae proximum se contulit. Vbi licet in solitudine viveret, amicos tamen frequentes penes se habuit. Illi cum plerique Cartesiani essent, quoties in philosophia Cartesii difficultas occurrebat, quam solum soluere potuisse magistrum credebant, Spinozae, iam tum omnem auctoritatem humanam etiam in philosophia conculcanti propofuere; at ille, ut ingenio utebatur acerrimo, et iam tum principium metaphysicum elegerat, Cartesio oppositum, nempe vnam tantum esse substantiam, duabus modificationibus, cogitatione et extensione constantem, quod omnem Cartesii demonstrationem euertit, ita longe aliter philosophari se nosse, et alias difficultatum solutiones dare amicos monuit, nec Cartesium eum esse ostendit, cui vni adhaerendum fit. Quod vbi inter eruditos Belgii foederati innotuit, apud quos tunc maxima erat Cartesii auctoritas, haud exiguum strepitum fecit, et ad arma literaria prouocauit. Praeuertendo itaque bello philosophico intenti Spinozae amici eum rogarunt, ut mentem suam de Cartesio exponeret. Qui cum tranquillitatem pacemque quaereret, ut haberent Cartesii assensum, quibus impatientis desiderii curam lenirent, edidit anno MDCLXIV. RENATI DES CARTES *principiorum philosophiae P. I. et II. more geometrico demonstratas, accesserunt eiusdem cogitata metaphysica, in quibus difficiliore, quae tam in parte metaphysices generali, quam speciali occurrunt quaestiones breuiter explicantur.* Praemisit libro praefationem LVDOVICVS MEYERVS, ex qua constat, Spinozam iam tum systematis vnius substantiae totum occupatum hunc commentarium Cartesianum non ideo scripsisse, ut Cartesianam placita confirmaret, sed ut Cartesianis satisfaceret, et haberent, qui Cartesianam philosophiam discere

scere ab ipso cupiebant, ex quo intelligerent, quid Cartesius praecepisset, a quo tum quidem ob hunc scopum propositum abeundum sibi non esse credebat. Id quod ex doctrina de intellectu, voluntate, et libertate, secundum Spinozam considerata, quae a se inuicem non distingui statuebat, secus ac Cartesius docuit, illustrat. Falluntur itaque, qui ex hoc commentario Cartesiano concludunt tum quidem orthodoxos adhuc de Deo sensus Spinozam secutum esse, qui iam tum a Cartesio abeundum sibi esse censuit. Verum autem est, ex hac Cartesianae philosophiae explicatione occasionem enatam fuisse haud paucis Cartesiano nomini inuidiam conflagandi, asserendo Cartesianis hypothesebus inductum Spinozam in atheismi deliria incidisse, cum tamen meditationes Cartesii metaphysicae Spinozisticis e diametro repugnent. Sensit id facile Spinoza, ut itaque inuidiae tela effugeret, solitudinem quaerendo, Woorburgum, quod vno tantum milliari Haga Comitum distat, concessit anno sequenti, latere tamen ibi non potuit, anxie quaesitus ab amicis, quos ei hypothesis noua et valde grata comparauerat. Qui cum valde instarent, ut relicto rure in urbem quandam migraret, sedem tandem Hagam transtulit. Habebat enim amicos non modo toga sed et sago illustres viros, qui frequenter ad eum rus confluere solebant, ut eum disserentem audirent: vnde factum, ut philosophia Spinozae inausulto fidere per Belgium foederatum miris successibus propagaretur. In urbem delatus frugaliter vixit, totus studiis suis opticis, et philosophicis intentus, nec ita multis amicis familiariter usus. Ast pauci in celeberrimo et frequenti loco viatores aderant peregrini, cuiuscunque axiomatis et dignitatis essent, qui cum non adirent, fama commoti, quam sibi opinionum singularitate et systematis nouitate attraxerat. Aluit autem literarum commercium cum praestantissimis viris, et philosophicarum pariter atque mathematicarum rerum peritissimis, et scribendis libris intentus, reliquum temporis opticae tanto studio tribuit, ut in conficiendis microscopiis et telescopiis parem suo tempore non inueniret. Tantaque contentione huiusce inuigilauit, ut licet infirma valetudine vteretur, toto tamen saepe trimestri domo non prodiret. Vixit autem sobrie et valde frugaliter, non quod neruo rerum destitueretur, erant enim haud pauci, qui abunde quod opus esset, ei offerrent, sed quod natura paucis contentus, nemini grauis esse cuperet, vnde ad rationes oeconomicas accurate attendit, ne plus consumeret, quam acquirere per annum liceret. Id quod eo facilius fiebat, quod coelebs familiam non alebat. Hac itaque frugalitate philosophica factum, ut cum Simon de Vries, quem amicissimum habebat, duo florenorum millia ei donaret, munus is recusaret, et cum haeredem testamento eum scribere promitteret, Spinoza conditionem non acciperet, contentus trecentorum florenorum singulis annis soluendorum stipendio, paternam quoque haereditatem sororibus sponte cederet, ut alia admirabilis abstinentiae a *Φιλασοφεία* exempla taceamus. Sed et reliquam vitam philosophica virtute ornare studuit. Laudant enim, qui eum nouerunt, conuersationis

nis honestatem et iucunditatem affectuum imperium, animi neque in secundis elati, neque in aduersis depreſſi moderationem, et decori ſtudio. Tum facilitatem morum, et diligentiam familiares hoſpitis ſui ad implenda officia cohortandi, et ſacrorum pariter publicorum atque obſequii parentibus herisque praestandi vtilitatem inculcandi, quin explorandi quoque, quid ex ſermonibus ſacris profeciſſent. Ipſe quoque illis interdum adfuit, et Lutherani coetus miniſtro praedicanti applaudit, tranquille autem et modeſte vixit, nemini moleſtus, omnibus facilis et affabilis, ſuaque forte magna animi conſtantia et alta pace contentus. Delicias vero, quas quaerebat, in meditationibus philoſophicis quaefuit, quibus in valetudine a pueritia infirma dolores vel contemſit vel ſuperavit. Valde autem extollunt, qui Spinozam velut miraculum quoddam virtutis philoſophicae admirantur, vt habeant, quem impietati colorem praetexant, animum iuſtitiae, aequitatis, miſericordiae amantiſſimum, patientiam in ferendis aliorum, in ſuis eiiciendis praeruditiſſimam, ſuperſtitionis odium per totam vitam continuatum, virtutis non quidem Stoicae et inhumanae, verae tamen et ſupra gentis et adoleſcentiae ſuae conditionem exſurgentis cultum, ratiocinandi accuratorem, etiam neglecta ſermonis cura, in diſſerendo perſpicuitatem, et eas animi elegantiffimi doctes, quibus omnes, quotquot cum eo conuerſabantur, in amorem eius raperentur, quos amicitia fideque maiori, quam ab illis accepit, complexus fuiſſe dicitur. Quae an ita ſe habuerint omnia, penes eos fides eſt, qui haec nobis narrant. Illud communi omnium teſtimonio certum eſt, honeſte et tranquille Spinozam vixiſſe, nemini moleſtum, multis iucundum, haud paucis admirabilem viſum, quod in ſecretiora philoſophiae myſteria abiectis, quae omnem mundum ſcarnare credunt ingenia fortiora et robuſtiora, praeruditiſſimis penetrauerit. Inter quos fuere magni quoque viri, ſummaeque auctoritatis, et imprimis Condaeus princeps, qui eius videndi curioſitate accenſus erat: et cuius patrocinio ſtipendium a Galliarum rege obtinere potuiſſet, ſi inſcribere illi librum quandam voluiſſet. Hinc famam enatam eſſe putamus, quae in *MENAGII Miscellaneis* traditur, et Pomponium auctorem habere dicitur: Spinozam inuitatum a proceribus nonnullis Galliae eius videndi noſcendique auidis, in hoc regnum conceſſiſſe, proditum autem eſſe, quod capitalis omnis pietatis naturalis et reuelatae hoſtis regni limites intraſſet, delatumque a Pomponio periculum ſubiſſe carceris Pariſienſis, aſt Minoritae habitu tandem euaiſſe. Sed inanem fabulam eſſe vidit perſonatus *MAR VILLIUS*,
et

p) Inſerta haec eſſe biographiae Colerianae p. 77. a fautore Spinozae ſupra iam monuimus. Ita vero factum, vt antecedentia et conſequentia, in quibus impietatem Spinozae candide deſtauratur Colerus, cum his non conſpirarent.

q) Conf. *KOHNHOLT*. Praef. tr. de tribus impoſtoribus.

r) Ad eum conueniendum tamen cum Ultraieſtum commiſſerit Spinoza, non inuenit, nec vidit, conf. *BAYLE* l. c. et art. Herrault.

s) T. II. p. 16.

t) *Melanges de litter.* T. II. p. 357.

et post eum alii *, quam ex eo natam fuisse verifimile est, quod ad Con-
 daeum principem Ultraiectum semel iter suscepit; quod plebem Batauam
 magnis iris et suspicionibus in eum armauit, quia prodere velle Gallis pa-
 triam coniceret. Certius est, et extra dubitationem positum, Carolum
 Ludouicum electorem Palatinum ad docendam philosophiam eum Heidel-
 bergam traducere voluisse; extat enim inter *Opera Spinozae posthuma* *
 epistola Ludou. Fabricii, qua electoris nomine cathedram ei philosophi-
 cam cum amplissima libertate philosophandi offert: hanc tamen spartam
 recusauit ornare Spinoza, quod se religionis receptae legibus teneri nole-
 bat, et probe intelligebat, eam principiis, quae sequebatur, philosophi-
 cis, euertere. Itaque excusatione honesta, quod otium literarium strepiti-
 bus professionis academicae praeferat, praetensa, subtraxit se, fassus,
 nescire se, quibus limitibus libertas illa philosophica intercludi debeat, ne
 videatur stabilitam religionem perturbare velle. Priuatus itaque intra
 musei parietes mansit, cum nec munus, nec diuitias, nec honores affecta-
 ret, sanitatis autem parum firmae, et studiorum contentione valde debi-
 litatae ratio eum conclauis haud raro affigeret. Inde mature phthi-
 seos malo tentatus, a viginti annis, tabescere coepit, infirmum corpus vero
 continentia et sobrietate vtcunque sustentauit. Hinc fatum vltimum nec
 ipse, nec familiares proximum esse, vt in hoc morbi genere fieri solet,
 senserunt, illis enim nihil tale expectantibus, solo medico L. M. y qui
 Amstelodamo accesserat, praesente IX. Cal. Mart. anno MDCLXXVII
 expirauit. Diuersis mox rumusculis mors viri opinionum singularitate
 et atheismi philosophici professione famosi per vulgus sparsa est. Qui-
 dam enim noluisse eum aegrum quenquam admittere, ne moribundi facies
 conspiceretur, tradiderunt: alii narrarunt aliquoties eum exclamasse:
 miserere Deus peccatoris miseri; nonnulli nomen Dei gemebundum in-
 uocasse, et quaesitum de causa, consuetudinem solam accusasse tradide-
 runt: quidam mandragorae succum secum habuisse ad inducendum sensi-
 bus stuporem et mortis indolentiam, prodiderunt. Fuerunt quoque ali-
 qui, qui petiisse ab hospite, ne ministrum vllum ad se admitteret, vt placi-
 de ita mori posset, commenti sunt. Ast falsas esse has narratiunculas
 omnes, comperit, qui diligenter in earum veritatem inquisiuit, et omnem
 eius deprehendendae occasionem habuit COLERVS z, qui nec hospitem
 Spinozae, nec familiares eius quicquam ex eo audiuisse, nec quenquam
 ei morienti praeter medicum Amstelodamensem adfuisse, et nunquam le-
 cto affixum decubuisse, sed die emortuali adhuc ex conclauis descendisse;
 tum

u) BAYLE l. c. not. Z. COLER. l. c. IENI-
 CHEN l. c. BASNAGE l. c. p. 1035. DE LA MON-
 NOYE Menag. T. IV. p. 19.

x) Ep. 57. Opp. posth. p. 561. add. Chevracana
 T. II. p. 99. 100. Nouv. de la rep. des lettres 1700.

Sept. p. 300. BAYLE l. c. not. H. conferendus ta-
 men HEIDEGGERVS in Vita Fabricii pag. 74.
 STARCKIUS de Vita priuata doctorum c. 2. §. 34.
 p. 94. 95.

y) Forte is fuit Ludouicus Meyerus.

z) pag. 141.

tum neque hospitis vxori neque domesticis, vt ministrorum ecclesiasticorum aduentum prohiberent, praecepisse, nec de mandragorae succo quicquam vel visum vel in scheda pharmacopolae Amstelodamensis lectum esse testatur. Vnde haec narratiunculae, quibus velut Fabellis Milesiis oneratur hodie historia philosophica et literaria expungendae ex annalibus literariis sunt. Mortuum honeste sepeliri curauit hospes, impensas ferente eo, quem viuo sumtus suppeditasse diximus, vnde falsum est, ita pauperem obiisse, vt sepulturae impensae solui nequuerint ^a. Tantum enim ex supellectile eius sub hasta vendita rediit, vt sumtus omnes refunderentur, quamuis ea tota vere philosophica esset, vt ab omni ambitione remota.

*Scripta Spinozae atheismi pan-
dere visa.*

§. IX. Scripsit nonnulla Spinoza, quae viuis edidit, et quibus famam sibi acuminis et philosophiae laudem acquisiuit, ast suspicionem quoque sinistrae de rebus ad Deum et religionem spectantibus opinionis iam tum excitauit; pleraque conscripta inter chartas reliquit, post mortem demum edenda, quae atheismi infamia eius memoriam cumulauerunt. Et post discessum quidem Spinozae ex synagoga apologiam eum edidisse lingua Hispanica typis nunquam editam, inque ea vestigia haud pauca opinionum postea disseminatarum iam prodidisse asserit P. BAYLE ^b, nihil autem eius se potuisse detegere, licet familiares eius et amicos de ea interrogasset, fatetur COLERVS ^c. Vulgasse, quoque commentarium in principia Cartesii, *εξωρετικὸς* scriptum, at geometrica tamen methodo, supra iam diximus. Quo specimine prodidit Spinoza, dum principia et assertiones Cartesii, quas falsas esse credebat, geometrica tamen demonstrauit, posse seuerissimis demonstrationis legibus se ad palliandos errores abuti, vt postea ab eo quoque factum. Prodiit porro anno sequenti LVCII ANTISTII CONSTANTIS *de Iure ecclesiasticorum tractatio Alethopoli apud Caium Valerium Pennatum*, in qua denegato iure, quod ecclesiae sibi vindicant earumque ministri, omnis potestas, etiam quae ad doctrinam pertinet magistratui vindicatur, qualia Hobbesium praecepisse, ex iis, quae supra diximus, constat. Qui libellus cum *Tractatum theologico-politicum Spinozae* praecederet et simili modo, quin et iisdem fere verbis praecepisse videretur, visus est ^d Spinozam parentem agnoscere. Ast negauit eum foetum suum esse Spinoza, et differre tum scribendi tum praeciendi rationem obseruauit COLERVS ^e: qui verisimiliori coniectura tribui posse Ludouico Meyero, de quo in sequentibus dicemus, monet. Cui facile assentimur; eadem enim impietate infectus fuit Meyerus,

^a) Occasio fabulae inde enata est, quia Sepulchrius quidam, a quo medicamenta nonnulla Spinoza acceperat, audita morte eius vt sepultura prohiberetur a magistratu impetrauit, donec debita pecuniae summa solueretur, id quod ab hospite factum, et honeste tumulo Spinoza illatus est.

^b) L.c. Eum sequuntur IENICHEN l. c. p. II. WOLF. Bibl. Ebr. Vol. III. p. 145. ^c) L.c. ^d) Vid. BAYLE l.c. not. L. BASNAGE l. c. p. 104t. WOLFIVS et NICERON. II. cc. et quos hi laudant. Auctorem quidam esse coniciunt Ludouicum Meyerum, vid. BASNAGE et COLER. l.c. ^e) Pag. 90.

rus, vt ex infausto eius foetu: *Philosophia scripturae interpres*, patet. Equidem eo tempore et Anglia et Belgium eiusmodi hypothesibus perforabant, quas femina Hobbesiana genuerant, vnde ab Hobbesianae disciplinae alumno quodam libellum profectum esse, verisimile est. Spinozam autem auctorem verum esse *Tractatus theologico-politici, Hamburgi*, vt titulus mentitur, anno MDCLXX. 4. ἀνοήτως editi, nemo est, qui ignorat, et fassus est ipse Spinoza, in epistola ad Oldenburgium f. Qui cum mira libertate conscriptus esset, videreturque superstitioni, (ita religionem vocat Spinozistica natio) nervos incidere, dici non potest, quanta auiditate quaesitus lectusque sit ab illis, qui frena religionis pati nequeunt. Inde factum, vt editio aliquoties repeteretur, et foetus irata Lucina editus tum a Ioanne Henrico Glasemachero ^g in Belgicum sermonem, tum a quodam, qui Domini de S. Glain nomen mentiebatur in Gallicam linguam conuerteretur ^h, et variis titulis disseminaretur ⁱ, quam versionem LVCAM medicum Hagiensem confecisse, ipsumque Spinozam annotationes quasdam adiecisse, postea compertum est ^k. Tacemus editiones alias ^l ex quibus constat, magno studio Spinozae affectas librum hunc disseminasse, non exiguo ecclesiae malo. Totus enim in eo auctor est, vt vaticiniis diuinis non adfuisse θεοπνευσίαν, sed vaticinandi donum ex imaginationis foecunditate prouenisse, et attemperauisse eos doctrinas et religionem hominum sui temporis ingenio assereret, hancque, si placet, clauem interpretandae diuinae legis esse, magna fiducia contenderet. Mirum itaque non est, concurrisse ad hoc incendium extinguendum, quotquot religionis amor atque cura occupauerat. Licet enim STVPANVS, notissimus ille satyrae in Batauos, quae titulum gerit: *Religio Hollandica*, auctor, obiecerit Batauis ^m, quod abominabile scriptum mature refutare neglexerint, falsum tamen id esse, et BRAVNIVS in *Apologia Stupano opposita* ⁿ ostendit, et multae libri noxii refutationes produnt, inter quas eminent, quas mercator quidam Dordracenus, GVILELMVS VAN BLYENBURG, et alius Roterodamensis Io. BREDENBURG scripserunt. Ille enim anno MDCLXXIV *Veritatem religionis Christianae Spinozae blaterationibus opposuit*, hic anno sequente edidit *Eneruationem tractatus theologico-politici vna cum demonstratione geometrico ordine disposita, naturam non esse Deum, cuius effati contrario praedictus tractatus innititur*. Qui omnium luculentissime

S s s s 2

impie-

f) Ep. 19.

g) Suite de la vie de Philopater p. 231.

h) Wolf. l. c. p. 145.

i) Tribus titulis comparuit: La clef du sanctuaire; Traite des ceremonies superstitieuses; et, Reflexions d'un esprit des interesse, sur les matieres les plus importantes au salut tant public, que particulier.

k) Vid. Cat. crit. bibl. Reimmani. pag. 1029.

conf. Nouv. lit. T. X. P. I. p. 60. BAYLE Lettr. XXVII. p. 119.

l) Continetur quoque in collectione prima operum historicorum, quae HEINSII nomen praese fert edita 1673. 8. conf. Ven. CYPRIAN. Cat. bibl. suae p. 625.

m) Lettr. III. p. 65.

n) p. 158. Vbi observatur, librum, quam primum prodierit, publica auctoritate suppressum esse.

impietatem in hoc libro latentem detexisse, et fortissime debellauisse, ple-
risque visus est^o, mirantibus omnibus tantam iudicandi aciem homini li-
teris leuiter tincto inesse. Quem tamen cum demonstrationem Spinozae
ordine geometrico descripsisset, non habuisse, quid Spinozae reponeret,
adeoque systema eius si ductu rationis id faciendum, refutari haud posse
agnouisse, prodiderunt Franciscus Cuperus, quem plagii infimulauerat
Bredenburgius, et post eum eruditus Iudaeus ISAACVS OROBIO et Al-
bertus de Verfe; negante id Bredenburgo. De qua controuersia cum
plura dicere heic non liceat, P. BAYLE^p videndus est. Inter theolo-
gos Belgii foederati primus fere opposuerunt se serpenti veneno Lambertus
Velthuysius, et Regnerus a Mansveld, quos secuti sunt alii multi, ex
Lutheranorum autem coetu nemo auctioribus telis Spinozae copias profligauit,
quam Ioannes Musaeus. Quorum et complurium librorum alio-
rum, tractatui theologico-politico oppositorum titulos, cum diligenter
adduxerint NICERONIVS^q, FABRICIVS^r, IENICHIVS^s, lectorem
breuitatis studiosi ad notissimos hos libros amandamus. Tectius tamen
in eo libro systematis pestilentis virus disseminauit Spinoza, quam in illis,
quos moriens reliquerat, vt post fata ederentur. Prodiere itaque eo
vix erepto anno MDCLXXVII Amstelodami *Opera posthuma*, auctoris
nomine literis tantum initialibus, vt ipse iusserat, designato. Quinque
in hac collectione tractatus continentur: I. *Ethica, more geometrico de-
monstrata*, in qua totum systema atheum, quod sibi formauit mathema-
tice demonstrare conatus est; II. *Politica*. III. *De emendatione intelle-
ctus*. IV. *Epistolae et Responiones*. V. *Compendium grammaticae
linguae Hebraeae*. Neque vero typographi locique mentio in titulo
facta est, Amstelodami autem prodiiisse, satis clare COLERVS^x demonstra-
uit. Obstupuit religio, virique boni et rectae mentis amantes tantam
impudentiam sophismatis velut demonstrationibus inaedificari mirati et de-
testati sunt, plaudit impietas, inuentum esse, qui methodi geometricae
accuratione omnem ex orbe Deum et religionem eiiceret, et re ipsa vnam
tantum substantiam esse, duabus modificationibus infinitis modis determi-
natam, euinceret, adeoque omnes religionis leges, omnem numinis
reuerentiam proscriberet, cuncta ad naturae necessitatem ineuitabilem re-
uocando. Quae cum maximam religioni et ciuitati sacrae stragem mina-
rentur, ingens virorum doctorum aceruus prodiit, qui sophismata eius
inania, definitiones aequiuocas, demonstrationem falsam et ineptias omnes
detegerent, et argumentationes metaphysicas infelici metaphysico oppo-
nerent. Nec est inter omnes fere Christianorum coetus, qui certa fidei
teffera

o) BAYLE l. c. not. M. COLER. p. 118.

p) l. c. add. COLER. et IENICHEN II. CC.

q) loc. cit.

r) Syll. Script. de V. R. C. c. 13. p. 355. seqq.

s) l. c. p. 59.

t) Ex hoc fonte sua hausit ABR. IO. CVFFELX-

rvs in Specimine artis ratiocinandi naturalis et
artificialis ad pantosophiae praecepta manu-
cente, Hamb. 1684. 8. conf. BVDDEVS Thef. de
Atheismo p. 174. WALCH. Parerg. acad. p. 694.
u) Laudat eam WOLF. I. c. Vol. I. p. 247.
x) p. 104.

tessera inter se distinguuntur, vnus, ex quo non prodierint impietatis Spinozisticae oppugnatores. Quos tamen hoc loco adducere non licet, in historia atheismi speciali enarrandos, plerosque nominauere FABRICIVS, IENICHIVS, NICERONIVS ², alii. Comparant inter eos ex Romana ecclesia, Fenelonius, Fr. Lamyus, P. D. Huetius, ex reformatis, Gerardus de Vries, Christophorus Wittichius, Regnerus a Mansveld, Lambertus Velthuysen, Petrus van Mastricht, Aubertus de Verfé, Ruardus Andala, Petrus Bayle, Isaacus Iaquelotus; ex Lutheranis I. Wolfgangus Jaegerus, Io. Iacobus Weidnerus, Iacobus Stalkopfius, Ioannes Colerus, Christianus Kortholtus, Fridericus Ernestus Kettnerus, Fridericus Rappoltus, Ioannes Conradus Durrius, Ioannes Franciscus Buddeus, ex iis qui Bourignoniae partes secuti sunt, Petrus Poiretus, ex Labbadistis Yuonius, ex Anglicana ecclesia Henricus Morus, Samuel Clarckius, ex Iudaeis Isaacus Orobio, et innumeri alii. Omnes enim post Spinozae aetatem huc pertinent, qui rationibus metaphysicis atheismum philosophicum aggressi sunt, cum non celebrius vnquam impietatis systema emerferit, Spinozistico. Scripsit quoque Spinoza *Commentarium de iride*, qui cum minus nonnullis, quibus eum ostenderat, placuisset, igni ab auctore traditus est. Affectam quoque reliquit versionem Belgicam veteris testamenti ³, in qua multam curam adhibuit, sed et hanc paucis ante obitum diebus, Vulcano tradidit.

§. X. Systema, quod de rerum vniuersitate, quam Deum vocauit, Spinoza commentus est, in se nouum non est, sed passim apud veteres inuenitur: vnde de Spinozismo ante Spinozam disquirere coeperunt viri docti, maxime P. BAYLE ^a, quem peculiari dissertatione secutus est I. FR. BVDDEVS ^b, vt alios taceamus. In quem tamen numerum non omnes eos referendos esse, qui Deum esse τὸ πᾶν dixerunt alibi ostendimus, et qua ratione schola Eleatica, et Stoica, itemque Cabbalistae ^c in Spinozae luto haesisse censendi sint, manifestum fecimus. Perfecit autem quod inchoarunt veteres, et quod illi mussitarunt, aperte elocutus est. Benedictus de Spinoza, qui absurdissimam propositionem, vnā tantum esse substantiam, duabus modificationibus, cogitatione et extensione infinitis modis variatam et determinatam, et in se suaque essentia necessarias mutationis suae causas habentem, Geometrico more demonstrare ausus est. Non est nostrae tractationis, totum Spinozae systema hoc loco describere, et quid in eo reprehenderint philosophi, quid opposuerint, quos dolos, et laruas veritatis, quae sophismata detexerint operose describere. Faciunt id illi, qui vel theologiam naturalem traderunt, vel naturalis pietatis fundamenta ab obiectionibus atheorum liberarunt,

Summa impietatis Spinozisticae.

S s s 3

y) locis citatis.

2) BASNAGE l. c. p. 1038. COLER l. c.

3) l. c. not. A.

b) De Spinozismo ante Spinozam, quae in Anal. Hist. phil. extat.

c) Pertinet huc ex medio aeuo Dauid de Dinan'o; quin et Reales huc Baylius retulit, de quibus omnibus suo loco dictum.

rarunt, et ex Instituto Spinozae impietatem euerterunt. Hinc id modo vt tractationi nostrae ordo suus et integritas constet, obseruamus: *Summam impii systematis eo tandem redire: vnam tantum esse substantiam et non dari substantiam, quae aliam efficere seu creare potuerit, adeoque praeter vniuersi substantiam, nullam aliam dari, sed in ea vna comprehendi omnia, et non nisi modos esse eius vel cogitantis vel extensae.* Huc enim redeunt propositiones istae, quibus velut cardinibus totam philosophiam suam impiam inaedificauit: *Ad naturam substantiae pertinere, existere; eam non posse produci ab alia, atque esse causam sui, id est ipsius essentiam necessario euoluere existentiam: in rerum natura non posse dari duas aut plures substantias, eiusdem naturae siue attributi, &c.* Ex his enim prona consequentia fluere putat, Deum et mundum vnam tantum esse substantiam; in qua cum modi duo siue attributa conspiciantur, nempe cogitatio et extensio, ex his omnia entia determinari, et in harum modificationum ordine, quo se inuicem sequuntur, necessitatem inesse contendit. Quo pacto sublato omni entium materialium ab immaterialibus discrimine, euerfa omni libertate, et intellectus a voluntatis diuersitate, omnia fluere mechanice sequitur. Et multus quidem in eo est Spinoza, vt hanc vnam substantiam, quam Deum vocat, attributis diuinis ornet, et eam causam esse rerum omnium, hasque ab eo distinguendas esse pronuntiet, ne scilicet in pietatem peccauisse videretur. At differtis verbis ad Oldenburgium scripsit: *Deum se rerum omnium causam immanentem, non vero transeuntem statuere.* Quo pacto detracta simulatae veritati larua tota impietatis abominabilis facies dispalescit, et non modo theologia naturalis, sed moralis quoque sana omnis funditus euertitur. Esse in hoc systemate absurda plurima et tum experientiae, tum notionibus metaphysicis contraria, dudum obseruatum viris doctis est, qui monuerunt, ipsam existentiam extensionis multas substantias inuoluere, cum infinitis partibus gaudeat extensio, quae, cum attributum substantiae sit, in vnaquaque particula substantiam peculiarem necessario requirat. Absurdum porro esse, modificationes e diametro contrarias, quales sunt cogitatio et extensio vni substantiae, velut subiecto suo inesse, et sic modis suis eam se mutuo euertere. Nec minori contradictionis absurditate laborare, quod in immutabili et necessaria substantia infinitae mutationes sibi succedentes ponantur, quodque, cum infinitae res in mundo sint, quae mutuo euertunt, contradictorii simul in vno subiecto consistere posse affirmetur, et infinita substantia vna ex finitis modis istis siue partibus finitis constare supponatur. Tacemus alia, quibus iustitiam, sanctitatem ipsamque infinitatem DEI, et omnem actionum moralium, poenarum et praemiorum rationem hoc systema euertere recte obseruatur. Plura de his omnibus apud eos scriptores quaerenda sunt, quos supra nominauimus. Nos hoc loco, vbi extra oleas vagari non licet, falsa imprimis idea substantiae totum niti systema Spinozisticum modo obseruamus, nempe substantiam non posse produci ab alia, siquidem ad naturam eius pertinet

neat existere, quod inde probat, quia rerum, quae nihil commune inter se habent, vna alterius esse causa nequeat. Hoc enim fumit potius quam demonstrat, illud substantiam ipsam cum conceptu substantiae confundit, adeoque substantiam in abstracto considerando, sibi substantiam fingit, quae non nisi in mente nostra existit, eamque deinde ad systema physicum et metaphysicum inepte transfert. Quae et alia *ἀόυσαρα* multa ineptum systema complectitur, quae cum egregiis profus commentationibus detexerit, quem honoris et amicitiae causa nominamus cel. IO. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEDIUS ^d, qui elegantissima doctrina hodie Academiam Lipsiensem ornat, lectorem ad eruditas eius obseruationes ablegamus. Vnde vero hunc errorem hauserit Spinoza, vel formandi systematis occasionem nactus sit, de eo diuersa est inter viros eruditos opinio. Et sunt quidem nonnulli viri docti, qui cum nosset patriarum antiquitatum consultum fuisse Spinozam, intelligerent autem systema Cabbalisticum eodem cothurno incedere, cuius Or haënsoph vnica illa substantia fit, ex qua innumerae modificationes, vel emanationes potius exortae sint; Cabbalistarum metaphysicam parentem Spinozismi accusant. Qua in opinione praeter ven. REIMMANNVM maxime versatur acutissimus WACHTERVS. Qui ex eo quoque consensu Spinozae cum Cabbalitis, (quos prius tamen ideo atheismi accusauerat) pro Spinozae innocentia et sensibus purioribus argumentum peti posse, non sine inuidia nomini suo conflata contendit. Quae de re cum *Tomo secundo* ^e ex instituto disseruerimus, et quae celeberrimi viri ea de re mens sit exposuerimus, actum agere nolumus. Alii vero, quibus innotuit, incidisse Spinozam adolescentem in Cartesii scripta metaphysica, et initia philosophandi ab iis coepisse, ex Cartesiana philosophia has ineptias fingendi ansam eum quaesuisse contendunt. Id quod non absque insigni Cartesiana philosophiae ignominia illi obiecerunt, qui Cartesium Spinozismi architectum commenti sunt, quos in Cartesii historia tetigimus: et pluribus quoque visum est, licet concesserint, ex peruerfa Cartesii mente Spinozam fuisse philosophatum. Vrgent hi definitionem substantiae a Cartesio allatam, per substantiam intelligendam esse rem, quae ita existit, vt nulla alia re indigeat ad existendum: hanc enim occasionem dedisse putant *πρῶτον ψεύδους* de vnica substantia excogitandi. Nobis difficilis et incerta haec quaestio, et si verum fatendum, inutilis videtur; quod enim ad Cabbalistas attinet, verisimile haud est, Spinozam eos adolescentem attigisse, cum iis aetatis annis Iudaeos reliquerit, quibus Cabbalistas manibus terere nondum in gente recutita licet: tacemus aliud esse systema emanationis, aliud Spinozae, aliud emanantia, aliud modificationes *f*. Quae vero de Cartesianismo dicuntur, ita tantum

d) Programmatibus septem, in quibus philosophiam Leibnizianam et Wolfianam ab obiecta impietate Spinozistica vindicat. Commendat is imprimis Io. IENST Exam. philos. sextae de fin. P. I. Spinozae.

e) p. 1055.

f) Longius inter se distant modificationes et emanationes, quam vult cl. Wachterus; modificationes enim substantiae immanent, emanationes progrediuntur; illud cum Spinoza disertis verbis agnouerit, frustra sunt, qui eum cum Cabbalitis comparant.

tantum possunt admitti, vt Cartesiana principia ansum dedisse dicantur Spinozae, a Cartesio desciscere, et nouam viam quaerere cupienti, diuersum doctrinae metaphysicae aedificium construendi. Ipsam enim Cartesii metaphysicam, quae cogitationem et extensionem duas diuersas et contrarias sibi met substantias ponit, refragari systemati Spinozistico nemo non videt, vt taceamus alia toto coelo a Spinozisticis abeuntia, vt supra iam ex *Praefatione Principiorum Cartesii geometricae a Spinoza demonstratorum* annotatum. Nec magnopere audiendi sunt, qui Spinozisticae hypotheseos parentem esse Hobbesium putant, quia inter ius naturae Hobbesii et Spinozae magna intercedit similitudo. Quamuis enim vterque philosophus, ex necessitate rerum cuncta deriuauerit, sua tamen cuique principia propria sunt. Quare ponderatis omnibus, recogitantes profundo ingenio et metaphysica acie instructo gauisum esse Spinozam verisimile videtur, Spinozam suae meditationi et infelici subtilitati totum istud doctrinae impiae aedificium debere, idque habendum esse pro ἀεχέρυπα quamuis negare nolimus, Cartesianam philosophandi rationem, accedente consilio ab eo discedendi occasionem ei primam subministrasse, de sophismatis talibus cogitandi.

*Spinozistae
post Spino-
zam.*

§. XI. Luxuriari infelix lolium prae grauidis aristas, et radices lactissime agere, vt natura docet, ita in humana mente quoque, proh dolor euenit: cui licet naturale sit Deum cogitare ab omni creatura infinito discrimine distinctum, fecit tamen impudentia animi frena reuerentiae summo Numini debitae lubenter excutientis, quo sine rectore liber sui iuris viuat, vt atheismus multoties de acutissimis ingeniis triumphauerit. Cuius non luculentius esse specimen potest, quam successus pudendi, quos habuit impietas Spinozistica. Quae licet ea subtilitate et acuminis metaphysici obscuritate se prodiderit, vt a paucis scripta Spinozae intelligerentur, multis tamen se mire commendauit, et in partes eos pertraxit. Inde haud exiguus disciplinae feralis sectatorum numerus est, quos tamen hoc loco enumerare omnes, nec libet nec licet, quo famosiores Spinozismi patroni tantum considerandi sunt. Et ipse quidem Spinoza a sectae condendae gloria animum continuit. Monuit id, qui *Praefationem operibus posthumis* praefixit, *nomen auctoris in libri fronte et alibi literis duntaxat initialibus indicatum esse non alia de causa, quam quia paulo ante obitum expresse petierit, ne nomen suum ethicae, cuius impressionem mandabat, praefigeretur: cur autem prohibuerit, nullam aliam rationem videri, quam quia noluerit, vt disciplina ex ipso haberet vocabulum. Dicere enim in apendice quartae partis ethicae, quod, qui alios consilio aut re iuuare cupiant, vt simul summo fruantur bono, non studeant, vt disciplina ex ipsis habeat vocabulum, sed insuper in tertia ethices parte affert def. XLIV, vbi, quid sit ambitio, explicetur, eos, qui tale quid patrent, non obscure, vt gloriae cupidos accusare. Facile vero nobis persuaderi patimur, a concupiscenda sectae conditae gloria*

ria Spinozam abfuisse, quem si non character animi arcuit, certe impediuit metuenda inuidia. Hac tamen eius continentia non obstante efficit humanae mentis ambitio, religioni, velut praeiudicio cuidam vulgari, insultans, et ab eius vinculis se ideo liberans, vt tota sibi permittatur, vt haud pauci impietati Spinozisticae patrocinentur, praecipue cum ordinis geometrici species, feueritatem methodi et demonstrationis mathematicae prae se ferens, suppositis callide falsis definitionibus et axiomatibus precariis et aequiuocis, multis imponeret. Fuisse autem in Belgio foederato non vnum tantum aliumue Spinozae asseclam, sed multos eum magna fiducia fuisse secutos, et Batauis obiecit Stupanus, et fassus est ROELLIVS ^g, conquestus, *Spinozam tota armenta in Belgio sequi ducem*: nec dubitamus, quin hodie adhuc sectatoribus gaudeat. Inter asseclas autem, qui nomine innotuerunt, primum suo merito locum occupant, editores operum eius Iarig Iellis et LVDOVICVS MEYERVS, vt vel solae praefationes testantur. Et posteriori quidem, qui morienti Spinozae adfuit, prima disseminati veneni Spinozistici causa potissimum adscribenda est; qui facile omnia suppressere potuisset, nisi in eodem cum Spinoza luto haesisset. Id quod ex libro, *Philosophia scripturae interpretis*, apertum est, vt in antecedentibus obseruatum. Et alterum quoque medicum Hagiensem, Lucam, Spinozisticae impietati fuisse addictissimum, tum elogium Spinozae ab eo scriptum prodit, tum libellus Gallicus, quo *Tractatum theologico politicum* alia veste contum et ornatum prodire iussit, vt supra iam dictum ^h. Et hos quidem viuos inter discipulos numerare Spinoza potuit; post mortem haud pauci in eandem suspicionem adducti sunt. Vbi tamen discrimen inter eos ponendum, qui aperta professione doctrinae Spinozisticae velificati sunt, et inter eos, qui ea quidem suspitione pressi, non vero Spinozismi legitime conuicti sunt. In priori classe, strepitum maximum fecit, et ecclesiam Batauorum valde turbauit FRIDERICVS VAN LEENHOF ecclesiastes Swollensis. Cuius viri, Spinozismum tandem reuocare coacti historiam et controuersias inde enatas curiosa et eleganti tractatione enarrauit V. C. GOTTLOB FRIDERICVS IENICHIVS ⁱ, qui cum ex actis et ἀπορρητάΦοις omnia collegerit, dignus est, qui ipse consulatur. Sparsit autem virus Spinozismi Leenhofius in libro vernaculo, cui titulum praefixit; *Coelum in terra, siue veri et constantis gaudii breuis et luculenta descriptio, secundum rationes et scripturae ductum omnis generis hominibus et omnibus fortunae casibus attemperata*, cuius prima editio Belgica prodiit MDCCIII, germanica vero anno MDCCVI, cui tamen adiecta epistola, in qua systema Leenhofii neruose euertitur. Tota vero doctoris malefanti doctrina hac assertionum quaternione comprehenditur. I. Necessarium esse, vt homo essentiam suam mutabilem ita perficiat, vt ab ista mutabilitate,

Fridericus
van Leenhof.

^g) De Relig. nat. §. 151. p. 166.

^h) Vid. Cat. bibl. Reimm. pag. 1029. GOTTL.

KRAVSIVS Hist. liter. P. II. p. 284.

ⁱ) In Hist. Spinozismi Leenhofiani, Lips. 1707. 8.

litate, quantum licet, sit immunis, ideoque gaudii et perfectionis gradum eum quaerat, in quo constanti et firma animi tranquillitate in immutabili et aeterna Dei voluntate et ordine fundata et acquiescente fruatur; sic enim fore, ut et viuis et moriens, profunda et rationali pace in ente summo quiescere possit. II. Cuncta certis legibus, ordine, causisque concatenata esse et fluere. III. Deum improprie regem, legislatorem, dominum, iudicem vocari. IV. Omnes actiones essentialis mundi esse effectus causarum proximarum, quae ex aeterno naturae ordine necessario consequantur, et huic immutabili voluntati Dei magna animi tranquillitate et constantia sine murmure vel tristitia se ipsum permittendum esse. Facile intelligit lector, non potuisse non ex his assertis Spinozismi suspicionem oriri. Ut itaque serpenti pesti, etiam ob ecclesiasticam auctoris dignitatem periculosa occurrerent, calamum arripuerunt Florentinus Blomble, Taco Haio van den Honert, Io. Creyghton, Io. d'Outrein theologi Bataui, et quae in his thesibus impietas lateat, demonstrauerunt. Non defuit quidem sibi Leenhofius, edita apologia, quam *Denubilationem coeli in terra* appellauit, conquestus, sinistre mentem suam explicari et perueriti; at ne hunc quidem in modum causam suam iuuat, sed magis prodidit. Surrexerunt enim in eum praeter priores aduersarios Franciscus Burmannus, Ioannes Henricus Cocceius, Ioannes Sluiterus, et post hos alii, quin et satyris, ut fieri solet, comoedia acta est. Quae cum tumultu in ecclesiis Batauis omnia misceret, primo quidem a prouinciarum classibus remedium quaesitum, et cum haec nihil profecissent, res ad synodos delata est. Et his quoque incassum laborantibus tandem supremi magistratus auxilium imploratum est. Cuius iussu et auctoritate libelli Leenhofiani fisco addicti, ipse ad reuocandos errores et deprecandam veniam coactus est. Id quod singulari libello factum, in cuius articulo tertio detestatur errores Spinozae; vnam tantum esse substantiam, quae omne sit in omnibus, esse hanc substantiam infinitis attributis constantem Deum; eamque ut causam internam omnis illius quod essentiam habet, fontem et causam existere, et omnes res velut modificationes eius ad hanc, ut totum suum pertinere: adeoque Deum et naturam vnam eandemque essentiam constituere. Porro, nexum esse infinitum causarum, quae sibi inuicem subordinatae necessario cooperentur, animam et corpus non esse res duas distinctas, sed vnum idemque, diuinitatis partes, nec animam aliquam separatam sine corpore subsistere, multo minus spiritum. In connato statu, naturali nullum esse essentiale per naturam bonum, malum, virtutem, vitium, perfectionem, praemium vel poenam; omnia naturali saltem ratione, non morali, a Deo pendere, nec eum legislatorem esse; res porro omnes esse effectus vel operationes naturae per aeternum et necessarium aliquem ordinem in statu naturae suae constitutas, adeo ut ordo aeternus sit independens et necessarius causarum infinitarum nexus. Per vim naturae omnes homines vi et potestati affectuum esse subie-

subiectos; nec hominem libere agere, sed a vi externarum caussarum dependere, quamdiu ordinis naturae conscius illi se emendato intellectu non submittat. Bonum summum solum esse sensum purum de aeterno Dei ordine, affectuum dominationem et sui ipsius conseruationem cum gaudio et laetitia. Mortem plenum homini finem facere, et solum partibus suis traducere ad aeternitatem, sine spe resurrectionis vel metu iudicii, nullam dari religionem naturalem, nec diuinam reuelationem, sed cultum diuinum dependere a suprema potestate: gratiam consistere in inclinatione interna ad obedientiam aeterno Dei ordini praestandam &c. Quae hic strictim enarrare libuit, vt appareat, in quo Spinozismi summam constare publica ecclesiae Belgicae auctoritas definiuerit.

§. XII. Leenhofio iungimus FRANCISCVM CUPERVM, *Franciscus Cuperus.* et is quidem anno MDCLXXVI *Arcana atheismi reuelata* edendo, inter aduersarios Spinozae comparere voluit. Quem cum Io. Bredenburgio contentions ferram reciprocasse, eo quod is plagii ipsum insimularet, et hunc conspirationis cum Spinoza accusauisse, supra iam prodidimus. Ast eadem, qua Bredenburgium premebat, culpa non vacare, et Spinozae splendido reuelatorum arcanorum atheismi titulo, frigidam suffundere voluisse visum est HENRICO MORO *, et Io. WOLF. IAEGERO †, quos secuti sunt alii. Ludicram itaque velitationem iniisse contra Spinozam laudati viri censuerunt, et simulatam pugnam ostentasse, vt eo fortius falleret. Cuius rationes afferunt, quod contenderit: ex solo lumine naturae non posse demonstrari existentiam Dei, non posse concipi essentiam extensionis expertem, absque reuelatione non cognosci in quo vitium a virtute distet. Conqueruntur etiam, argumentis eum pro existentia Dei vti stramineis et plumbeis, cum ferrea et aerea adhibere potuisset. Nempe ipsum frigus, et imbecillitas in culpa speciem tracta sunt, quod tamen argumentum non semper stringit. Ad di Cupero simulati praelii similitudine potest BOVLAINVILLIERI *Boulainvillierius.* VS comes, cuius *Tentamen refutationis Spinozae* supra iam memorauimus, et quem clandestinis artibus viscera religionis Christianae petere voluisse, vel vna mendax et fabulis comta *Muhammedis historia* testatur. Non is videri vult, qui impietatem coram omni orbe erudito denudatam et bonis omnibus detestabilem refricare et pictam nouis coloribus vendere voluerit; sed se feriam pugnam initurum omnes athei copias, quascunque posset, produxisse in aciem ait, vt eo fortius refelleret. Non hoc negat, in summa euidencia posuisse ratiocinationes Spinozae, et comtiores ornatioresque dedisse, ipso auctore, tantaque fide in exponendis eius argumentis visum fuisse, vt euidencia quoque sophismata, quibus nixus est Spinoza, colore quo potuerit pinxerit, arteque, qua licebat, logica sustentauerit,

T t t t 2 eo

k) Opp. Phil. T. I. p. 596.

l) Diff. Franciscus Cuperus mala fide, aut ad

minimum frigide atheismum Spinozae oppugnans. Conf. quos nominat REIMMANN. Hist. Atheismi S. III. c. 9. §. 18. p. 484.

eo quod crederet, nihil tantopere veritati in aperta luce collocandae prod-
esse, quam si falsa lumina veris opponantur, vt pelli maiori cum gloria
veritatis possint. Considerare autem se, non defuturum vel veritati vel
prouidentiae, qui bonam causam agat, et totius systematis vanitatem de-
monstret. Ast quid tandem dignum tanto promissor hiatus praestitit?
Cupiebat is quidem, hanc sibi veritatis defensionem, impietatisque euer-
sae gloriam vindicare; ast et annorum ingrauescentium hebetudine et occupa-
tionum ingenio suo magis conuenientium multitudine doctioribus hanc
spartam ornandam relinquere coactus est, indirecte tamen eam se sustine-
re, orando, vt qui maioribus ingenii neruis vtuntur, ad hanc operam
praestandam se accingant. Quo an pestilentius et ad deridendam religio-
nem atque pietatem omnem aptius quicquam dici queat, dubii haeremus.
Fatemurque ipso Spinoza deteriore auctorem, librum venenatiorem vi-
deri, quia non sterili argumentatione metaphysica, sed elegantibus ora-
tionis luminibus vtitur, et, quod ipse fassus est, aperta sophismata ad de-
cipiendum lectorem ita occultat, vt non nisi ab exercitato et attento di-
gnosci queant. Summa autem totius dissertationis in eo versatur, vt de-
monstret: vnam tantum dari substantiam, cuius definitione misere ludit
et abutitur, passiones omnes fieri mechanice, et necessitatem quamdam
mechanicam oeconomiam animalem inuoluere. Diu ineditus liber per
manus curiosorum, quin et impiorum versatus est, et credi non potest,
quam inuincibilem subtilitatem et conuellendorum fundamentorum reli-
gionis naturalis et reuelatae aptitudinem atheismi Spinozistici patroni in eo
praedicauerint. Ast vbi editus comparuit, apertum mox fuit, nihil ine-
ptius, nihil luculentius, quod causam Spinozae euerat, excogitari po-
tuisse. Obseruatum id acutissimo CVDWORTHII ^m interpreti: „Nihil
„eo leuius, nihil imbecillius, magnos hiatus, nullam infinitarum rerum,
„quarum tamen rationem oporteat eum reddere, cui Deus et religio cul-
„tusque Dei displicet, explicationem, nihil simplex, apertum, probabi-
„le, quod in hominum sese sapientum animos insinuare suapte virtute
„queat. Fabulam sibi visum esse legere, nec ingeniose inuentam, nec
„scite dispositam, nec aptam inter se et connexam; visum esse sibi aliquid
„Spinozam, quoties ethicam eius inspexerit, nam geometrarum leges,
„quibus hunc alligauerit librum non modicam eius vitiorum partem oc-
„cultare. At ingenioso eius interprete lecto, qui omnem videri velit
„caliginem a magistri sui praeceptis absterfisse, ita ipsi sordere coepisse,
„vt incredibile dictu sit. - - Omnia, quae figillatim Baylius disciplinae
„Spinozianae exprobrauerit, absurda et portentosa confectaria, tam con-
„cinne fluere ex ea, quemadmodum exponatur a Boulainuillierio, nihil
„vt concinnius inde manare queat. Molestè tulisse amicos Spinozae,
„flagitia eius et sententias mirabiliter foedas tam luculenter et perspicue
„expositas et declaratas esse, itaque quo famae succurrerent hominis in-
„scitiae

m) pag. 114f.

„scitiae sibi arguendos duxisse, qui velum ipsi detraxerint: Dolere se magnum et perspicax Boulainuillierii ingenium, quod multo vtiliora et grauiora moliri potuisset, in nugis difficilibus explicandis, amplificandis, et adornandis tantum studii ac operae consumsisse.“ Nihil in his verbis venerandum virum dedisse partis studio ipsa libri lectio ostendet, modo quis Scriptoris vneres et dictionis ambigua iucunditate ab accurata notationum et conceptuum meditatione auocantis illecebras seduci se non patiat, nihilque admittat, quod ambiguitate sua deludere possit. Idem de ABRAHAMO KVFAELERO dicendum, qui in *Specimine artis ratiocinandi* non contentus regulas logicas exhibuisse, metaphysicam quoque Spinozisticam tetigit, statuendo, mundi essentiam fuisse ab aeterno in essentia Dei comprehensam, et in aeternum in ea comprehensum iri. Addi his Spinozae affectis solet IO. NORRISIVS Anglus ⁿ, qui tamen SOVVERAINIO ^o fanaticismi Platonici reus magis vilis est, tum infrunitus auctor vitae Philopatri, eiusque continuationis quem fuisse Aardum Wolsgryk, bibliopolam Amstelodamensem, eiusque impudentiam ergastulo correctam esse narrat Io. COLERVS ^p. Nam non contentus religionem Christianam et oracula diuina fannis et cauillis incessere, viros quoque ecclesiasticos insulse traducere constituerat. His quos nominauimus ex recentissimae aetatis scriptoribus addi possunt Henricus Wirmarfius, quem in libro, quod *Chaos imaginarium, de Ortu mundi secundum veteres et recentiores philosophos*, inscripsit, et Spinozae, Santuordio, Deurhofio, Leenhofio, oppositum esse contendit, reuera religionem naturalem euertere, ideoque gyrgatho conclusum poenas meruisse pluribus narrat cel. HEVMANNVS ^q. Adderemus his Petrum Speethium ad Iudaeos deficientem et Cabbalisticum systema complexum, quem Spinozismi ideo integra tractatione accusauit eruditissimus WACHTERVS ^r, nisi ex dictis suo loco constaret, discrimen intercedere inter systema Spinozisticum et Cabbalisticum. Meliori iure huc pertinere censentur anonymus auctor *Concordiae rationis et fidei, siue harmoniae philosophiae moralis et religionis Christianae*, quae Amstelodami vel Berolini potius anno MDCXCII prodit, quemque fuisse FR. GVIL. HOSSIVM qui ab epistolis fuit electori Brandenburgico postea compertum est, cum haud leues motus impius libellus concitasset ^s. Non recitabimus detestabile chaos ineptorum ac impiorum dogmatum, disci enim possunt a Ven. REIMMANNO ^t qui plura de hoc libello dabit, qui totus ex atheorum diuerforum quisquiliis compilatus est: sed id tantummodo notamus; auctori Deum solum esse substantiam, hominem huius substantiae modum, mentem esse meliorem partem hominis, quae cogitat, constantem cere-

T t t 3 bro

Abraham
Kufaeler.Io. Norrisius
alique.

n) Vid. Relat. innoc. 1702. p. 138. 207. seq.

o) Platonismi detecti P. I. c. 8. p. 75.

p) Vit. Spinozae p. 93.

q) Act. Phil. Vol. II. p. 120. seqq.

r) Spinozismus in Iudaismo, Amst. 1695.

s) Vid. Rel. innoc. 1707. p. 159.

t) l. c. c. 17. p. 512. Cat. bibl. p. 992.

bro et infinitis organis varie modificatis, affluxu et circulatione materiae subtilis, item diuersimode modificatae tam per organa cerebri, quam impulsu idearum, sensuum, obiectorum, leges naturales et diuinas proprie dictas non dari, Deum precibus non flecti, animam hominis sua natura non esse immortalem etc. Quae habuisse eum ex schola Spinozae, comparatio docebit, proditque, quae atheismi pestis in hoc scripto lateat, quod eum telis theologorum confossum munere deiecit. Huic adiicimus alterum nationis nostrae scriptorem, THEODORVM LVDOVICVM LAV, quondam Curlandiae ducis consiliarium aulicum; is enim anno MDCCXVII. Francofurti vulgavit, *Meditationes philosophicas de Deo, mundo et homine*, et *Freistadii*, vt habet titulus: *Meditationes, theses, dubia philosophica, theologica*; quibus libellis cum Spinozismi suspectus, vrbe Francofurto exire iuberetur, ad tuendam causam suam responsum ordinis Ictorum Halensium petendo, atheismi notam, ab eo, calamum commodante illustri Christiano Thomasio * retulit; quam tamen ignominiam alibi declinando, adhaerere se sanae doctrinae peculiari libello testatus est *; ex quo colligas, eum sibi interdum non satis constitisse. Ex Britannis IOANNEM TOLANDVM, hypothesium paradoxa singularitate et profana nouitate dudum famosum, cuius accuratam vitae enarrationem celeberrimo MOSHEMIO debemus, huc referri mirari quis possit, ipse enim in *Epistolarum ad Serenam*, quarta, virum eruditum summo erga Spinozam eiusue philosophiam amore flagrantem, reuocare, et nihil inesse certitudinis eius opinionibus demonstrare annititur: inque ea eousque processit, vt materiae non minus motum, quam extensionem conuenire, eamque nec vnquam fuisse, nec vlllo modo inertem mortuamque aut in perfecto quietis statu esse posse diceret; quam quoque sententiam quinta epistola propugnauit, visus aeternitati mundi fauisse, IACOBO FAYO †. Ast effecit, vt albo huic inscriberetur liber, quem suspecta et insolita inscriptione, pantheisticon, insigniuit, profana impudentia plenum, quem Spinozisticae impietatis semina continere, affirmant, qui legerunt: pauca enim exemplaria tantum, more suo excudi curauit, vt hae naeniae carius emerentur, vt in vulganda versione profanae satyrae, quae *Bestiae triumphantis* titulum gerit, similiter fecit. Tandem et Hattemistarum noua apud Batauos secta huc referenda est, cuius notitiam fecit vir celeberrimus THEODORVS HASAEVS ‡. Quo tradente constat Pontianum ab Hattem, cum florenti aetate in academia Salmurienfi versaretur, omnium oculos in se conuertisse, suspicionemque concitauisse Spinozismi, eamque non male fundatam, cum Spinozae scripta nocturna diurnaque manu non contereret solum, sed et ea commilito-

nibus

u) Vid. THOMASII Causae iuridicae seriae P. I. cas. 24. p. 233. seqq.

x) Extat in Collectaneis ad Historiam criticam linguae Germ. Vol. IV. p. 136. seqq.

y) Def. Relig. Iud. P. I. c. 1. p. 4. c. 4. p. 26. c. 17. p. 90. Conf. CLARCKE de l'existence de Dieu P. I. c. 4. p. 35. c. 9. p. 83.

z) Mus. Brem. Vol. II. P. I. art. 8. p. 145. seqq.

nibus suis commendaret impense. Ad ministerium euangelii apud Philippolandos promotum virus suum inter agri istius colonos primo clanculum, deinde apertius disseminare coepisse, Spinozae libros magnis efferendo laudibus, eius dogmata scripturae verbis incrustare gnarum, id tantum dolentem, non illum cum euangelio coepisse. Atque hoc ab eius affectis in eius laudibus positum fuisse, quod artem, Spinozismum clamisque non animaduertentibus, animis hominum insinuandi tenuerit. Prodiisse tandem in publicum vulgando catechismum, inque eo pestifera dogmata tradidisse. Examinaffe eum et classem istius agri, et theologos Lugdunenses atque Ultraiectenses, indeque factum, ut ad tempus aliquod ministerii functionibus illi interdiceretur. Cum vero egregium simulatorem fucum fecisse theologis Lugdunensibus, ut orthodoxiae testimonio ornaretur, eiusque auctoritate muneri restitueretur, sed pristina dogmata recoquendo, tandem post innumeras admonitiones munere suo exutum esse. Neque tamen sic potuisse compefci hominis proteruiam, sicut opus fuerit, a praepotentibus Belgii et Selandiae ordinibus eius libros, et doctrinae propagationem ac conuenticula prohiberi, quin Medioburgi scripta eius carnificis manu in publico theatro comburi. Eum autem in exercitationibus priuatis, mirifica hominum, etiam primi ordinis affluentia institutis indefessum, voce, literis, et artibus miris sectam condidisse, et ad finem vsque vitae in ea perseverasse, qui anno MDCCVI contigit. Nec cum auctore sectam deliisse, sed noua indies incrementa sumfisse. Restitisse tamen et doctorum zelum et magistratuum curam, licet tota extirpari nequiuert. Tanti scilicet impiae nugae hominibus ineptis, et mentis vanae cupiditates sequentibus vaeneunt!

§. XIII. Restat altera eruditorum classis, quam Spinozismi quidem accusatam, non vero legitime conuictam, et consequentis magis quam dogmatum professione nefariam doctrinam recepisse visam esse diximus. In qua primo loco ponimus ARNOLDVM GEVLINCXIVM, Belgam. Qui postis Louanii literarum et philosophiae rudimentis summos in philosophia et arte salutari honores nactus est, docendi quoque muneri admotus; postea naufragium passus, cum Lugdunum Batauorum peruenisset, ab Abrahamo Heidano domum suam receptus est, donec publicam philosophiae tradendae prouinciam aegre obtineret, in qua anno MDCLXIV decessit ^a. Famam is eo tempore, quo Cartesianismus in Belgio foederato florebat, sibi comparauit, non tam *Logicae fundamentis suis a quibus haecenus collapsa fuerat, restituta*, ea enim licet mathematicorum methodo praecipiat, magis tamen Aristotelica est, quam eclectica ^b: Quam vulgata *Ethica*, quam γνάθι σεαυτὸν appellauit. Eam omnibus suis partibus in lucem editam et tam seculi huius, quam atheorum quorundam philosophorum impietati scelestisque moribus, quam

*Viri eruditi
Spinozismi
suspecti.*

*Arnoldus
Geulincxius.*

^a) Vid. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. IV. p. 609.

^b) Conf. STOLLIVS Hist. lit. P. II. c. 2. §. 37. p. 459.

quam specioso ut plurimum virtutis praetextu larvatis oppositam denuo edidit PHILARETVS pseudonymus, adiecto CORNELII BONTEKOE libello de *Passionibus animae*, Amstelodami MDCXCVL. Locum celebri et acuto scriptori, ast difficili et obscuro inter Spinozae affeclas, fecit, suppositum doctrinae morali systema caussarum occasionalium. In eo enim est, ut non sine ingenio demonstret; non modo motum in corpore cieri nos non posse, sed et nihil extra nos facere, alium vero animare actionem nostram, cum extra nos dimanet, et vim ei ac pondus impartiri: eundem terminos posuisse, ultra quos eam efferre non constituerit. Esse igitur nos nudos speculatores huius machinae, inque ea nihil fingere vel refingere, totum id alterius cuiusdam opus esse. Hincque agnoscendum, nec actionem nostram ad res huius mundi, nec actiones istarum rerum ad nos pertinere, sed alterius vim et industriam subesse, idque Numen praestare, nudos itaque nos huius mundi contemplatores esse, spectatores in hac scena, non actores, id quod speciem mundi in nos et mentem nostram subuehat, Numen esse; illud nos in hoc statu collocasse et huc misisse, iubens hic manere, donec reuocaret ^e. Ex his suppositis sequens systema extruit; I. In hoc mundo nos extra nos nihil agere posse. II. Omnem actionem nostram, quatenus nostra est, intra nos manere. III. Eam vi diuina aliquando extra nos diffundi. IV. Eatenus vero non esse nostram actionem, sed DEI, V. diffundi autem et quantum Deo videtur, secundum leges ab eo liberrime constitutas, VI. tantummodo spectare nos hunc mundum; VII. ipsum tamen mundum se non nobis spectandum exhibere, VIII. Solum Deum nobis exhibere id spectaculum, IX. idque modo ineffabili, X. posse nos ab isto spectaculo euelli, et ex hoc mundo eripi. XI. Illam ereptionem, s. mortem nos timere, XII. tum quia assueti sumus rebus corporeis, tum quia scimus, rationem, quae reddenda est non bene nobis constare. Ex hoc systemate inspectionis sui officia seu obligationes omnes deriuat, ut euocanti ex vita Deo lubentes pareamus, non euocati iniussu de statione non decedamus, si enim nos interficiamus, non nos facere sed Deum abigentem nos hinc non quo volumus, sed quo ille nefarios constituit: ut reficiamus corpus moderate, addiscamus artem, eique vacemus, multa faciamus, multa patiamur, quo vitae cursum feruemus, remittamus interdum animum; nauitatem nostram non detestemur, &c. et haec ita complectitur omnia, ut iubeat firmiter animum nostrum inducere, eorum quae agimus, aut agere omittimus, ad felicitatem nostram nihil, ad obligationem omnia referre: ac ita sustinere animum et refrenare, ita coercere intra gyrum suarum obligationum, ut transilire et efferre se in desideria ac vota suae gloriae felicitatisque non possit, sicque nihil faciendum esse ob beatitudinem nostram, sed ob obedientiam Deo praestandam, &c. Haec fabula illa est, quam miro artificio instruit nequitque Geulincxius. Valde illa displicuit theologis et philo-

e) p. 139. seq.

philosophis, cum nec agere nos quicquam, et absolutae rigidaeque Dei voluntati necessario parendum, nec felicitatem sperandam quaerendamue fuisse inter prima principia referatur. Ita enim Spinozam quoque praecepisse, et amice haec cum eo conspirare contenderunt. Quo in cuneo vrgendo industriam suam exercuit RYARDVS ANDALA. Is enim non modo inter Cartesianismi corruptores Geulincxium quoque ob systema causarum occasionalium retulit, sed et Spinozismi suspectum reddere conatus est, edito *Examine ethicae Geulincxii*, in quam sententiam quoque concessit CHR. THOMASTVS ^d. Idem itaque Geulincxio accidit, quod Mallebranchio, quem Spinozistarum catalogum auxisse ob idem systema electum, et assertam extensionem intelligibilem in Deo, supra memorauimus. Fallimur autem, aut iniuria fit Geulincxio. Licet enim satis paradoxum, et, si verum dicendum, nec verisimile, nec satis pium eius systema videatur, nondum tamen Spinozae concinisse dici ideo potest, qui inter Deum et mundum et animam, essentiale discrimen agnoscit. Valde autem eius ethica similis est Stoicae, quam tamen vehementer contemnit ^e, forte, ne pateat, vnde sua hauserit. Quae itaque de Stoicis Spinozismi suspectis dici possunt, vel non possunt, quod suo loco notatum, etiam ad Geulincxium pertinet.

§. XIV. Auxisse indicem Spinozae asseclarum, non tamen eius conuictum Ioannem Bredenburgium, supra diximus. Quae enim contra eum disputat Orobio, ex male intellectis eius assertionibus videntur profluxisse. Sed et Balthasarem Bekkerum in hunc censum venisse, infra dicemus. Idem fatum contigit GVILELMO DEVRHOFIO; qui tamen acerrime et fortissime Spinozae contradixisse COLERO ^f visus est. Nempe arguebat Deurhofius Reformatos Spinozismi ob decretum absolutum; cum autem statueret, vnicum tantummodo esse intellectum, siue substantiam intelligentem, in omnibus hominibus, adeoque animas Petri, Paulique, non vt spiritus speciales, sed vt modos vniuersalis animae cogitantis considerandas esse, Spinozismi quoque eum Taco Haio van den Honert postulauit. Quae thesis, modo ita intellexerit Deurhofius, non Spinozae est, sed Aristotelis, Auerrois, aliorumque, qui intellectum vniuersalem inculstarunt. Eandem dicam sibi scribi expertus est FRANCISCVS BVRMANNVS, eum enim Spinozismi reum esse contendit PHILIPPVS LIMBORCHIVS ^g. Quem cum defendisset Io. VAN DER WAYEN ^h, iterata scriptione accusationem hanc ille repetiit, Wayeno in suspensionem criminis ⁱ adducti. Qui tamen nec tacuit ipse ^k, nec tacere Burmannos passus est, edidit enim filius *Pietatem Burmannorum*, in qua hanc

Spinozismi suspecti alii.

d) Cautel. c. XIV. §. 33. not. y.

e) p. 163. seqq. non libertati Stoicae indignatur, ignarus obedientiam suam passiuam idem significare. f) loc. cit.

g) Theol. Christ. L. II. c. 15. §. 8. p. 39.

h) De ἀγωγή adu. Clericum p. 178.

i) In Defens. contra crimina. Io. van der Wayen.

k) Pec. discussione edita.

hanc maculam a parente absterfit. Causa autem in eo versabatur, quod Burmannus Spinozae verba exscripsisset. Id quod fieri potuit, ut a Limborchio demonstratum, licet sensus Spinozianos refugeret, nec cum illo faceret. Idem WITTICHIUS, theologis celeberrimis euenisse illis ignotum non est, qui facram, Belgii foederati historiam norunt. Nam Christophorum Wittichium in Spinozismi suspicionem *ἐκοντα ἀκοντα* adduxit, futilis scriptor *Vitae Philopatri*, quem aequior iudex absoluit, Io. COLERVS, et Iacobum Wittichium philosophiae et matheos professorem in academia Duisburgensi, similiter nigro lapillo isto notatum fuisse ab Antonio Driessenio, theologiae professore Groeningano adductis scriptis eristicis enarrant auctores *Bibliothecae theologiae Bremensis* ¹. Afferuerat enim Wittichius: materiam necessario explicari debere per attributum, quod aeternam et infinitam essentiam exprimat. Melius autem sensisse, quam fuisse locutum omnino verisimile est. Tandem et his eruditissimum Wachterum addimus, cui in Spinozismi macula inurenda valde grauis fuit cel. REIMANNVS ^m. Supra autem, quae mens viri doctissimi de Spinoza fit, cum iam explicauerimus, dicta otiose non repetimus. Monendum tamen existimamus, id ipsum dogma, quod ex scriptis nondum editis illi obiicitur: de Adam Kadmon siue primogenito, naturaque inter Deum et mundum media tale esse, ut, licet ipsi clarissimo viro aliter videatur, nunquam cum Spinozae systemate comparari possit; est enim totum Cabbalisticum. Nam Spinoza naturam inter Deum et mundum mediam, et emanatum primogenitum ex Deo egressum ad producendas emanationes, siue mundos, plane ignorat, est enim ei Deus causa mundi immanens, non transiens, id quod ad primogenitum Cabbalistarum non quadrat. Possent his addi plures, et imprimis quae recentissima aetate Leibnizio et Wolfio obiecta sunt, nisi alium illa locum postularent. Erudite duumuiros hos ab hac labe immunes demonstrauisse cel. Gottschedium supra iam tradidimus.

*Psychologiae
recentioris
sata.*

§. XV. Post Deum non nobiliter in pneumatologia metaphysicae iuncta argumentum occurrit, quam quod de anima tractat, et speciali nomine psychologia dicitur. Et rationibus quidem haud vanis statuendum esset, non dari posse de eo magnum inter philosophos dissensum, cum anima, sui ipsius intime conscia sit, et ad hanc conscientiam reflexionis auxilio quemlibet recurrere posse sit manifestissimum. Ast in nullo fere argumento luculentius se prodit mortalium ignorantia et intellectus nostri angustia ⁿ; cuius manifestissima specimina sunt innumerae quaestiones et controuersiae de animae origine, natura, immortalitate, immaterialitate, propagatione, facultatibus, commercio et vnione cum corpore, actionibus et passionibus, sede, statu, loco, poena et praemio post mortem, de

1) Fasc. V. n. 7. p. 556. seqq.

m) Hist. Atheismi l. c. p. 514. seqq.

n) Conf. Cel. HOLLMANNI Diff. de Supremado naturae mysterio: Anima humana sibi met ignota.

de anima vniuersali, mundique, de migratione post mortem, et capitibus aliis. Non de his quaestionibus nudius tertius demum disputatum est, sed omnibus fere seculis philosophos ambiguum disputationis materiam suspensos tenuisse, ex enarrata haecenus philosophiae historia constat, in qua, quid de his argumentis statuerint philosophi, diligenter annotauimus. Possent illis multa addi, cum in diuersissimas coniecturas, vt in re obscura fieri solet, discesserint, viri docti, si specialis huius disciplinae historia scribenda esset. Quae cum locum haec non capiat, pauca tantum adducimus, recentiori aetate, praeter ea, quae iam supra copiose enarrata sunt, controuersis philosophorum agitata. Et primo quidem, licet ingens inter corporis machinam et animae naturam discrimen intercedere intima, quae nobis adest experientia, nostrique conscientia testetur, fuerunt tamen, qui veterem Stratonis sententiam reuocantes, materialem esse animam, vimque operationem vitalem, quae materiae inest, constituere, asseruerunt. Hos materialistas dicere, barbaro vocabulo, moris est. Reipsa in his castris militauisse Hobbesium et Spinozam, facile ex supra dictis de eorum systemate constare potest. Peculiaris tamen scriptio labore euincere id conatus est GVIL. COWARDVS medicus Londinensis. Is cum omnem spiritum creatum materialem esse statueret, idem de anima non affirmare non potuit. Edidit itaque *Cogitationes posteriores de anima*, in quibus reiecta immaterialitate animae, eam tantum esse subtilem aliquem ignem materialem, eamque cum vita corporis eandem virtutem constituere, magno molimine defendere nititur. Ita vero immortalitatem animae quoque negare oportebat, quia cum vita corporis illa vis necessario cessat, quam in resurrectione cum corporis vita demum adfore iterum statuit. Opposuit inepto dogmati *Psychologiam*, siue *Tractatum de natura animae rationalis* IOANNES BROUGHTONVS, sed defendit id tamen, et aliter sentientes imposturae accusauit COWARDVS in *Vindicatione rationis et religionis contra imposturas philosophiae*. Neque ab errore pernicioso ab Afshetono, Lesleyo, Menardo aliisque, qui scriptis eum impugnaverunt reuocari potuit, sed postea quoque noua inquisitione veteris dogmatis veritatem se inuenisse videri voluit. In eundem fere censum referendus esset Henricus Dodwellus, cui ipsi quoque anima mortalis visa est, nisi is, suspectis antiquitatis ecclesiasticae praefidiis quae gentilis philosophia genuit suffultus, immortalitatem ex Spiritu S. in baptismo collato deriuasset, et hoc ipso totam, quae illi ideo mota est controuersiam, ad aliam arenam traduxisset.

VV VV 2

set.

o) Solent quoque suo modo huc referri, qui statuant, naturae materiae cogitationes non repugnare, quod placuit LOCKIO de Int. human. L. IV. c. 3. §. 6. et in Coll. of the several pieces, in Ep. ad Collin. tum P. BAYLE in Ep. ad Ancillon. de 109 rationalibus POIRETI, et olim B. BVDDEI El. Phil. theor. P. I. c. 5. §. 28. P. VI. c. 1. §. 3. RVDIGERO in Cogit. de anima nat. con-

tra Wolf. p. 23. et suo modo SYRBIUS Phil. prim. P. II. c. 1. §. 9. p. m. 361.

p) Cont. GRAEVIUS Theol. rec. controu. P. II. p. 68.

q) Londin. 1703.

*) Vid. Rel. innoc. 1703. p. 653. 1704. p. 353. 1707. p. 745. A.G. Erud. 1707. Aug. p. 352. BVDDEVS Thes. de Atheismo c. 3. p. 236. GRAEVIUS l. c. c. 4. q. 2. p. 104. seq.

set ^r. Inter Germanos eandem sententiam inter se viri duo docti, quorum *ἀνοήτως* *Commercium epistolicum familiare, de natura et essentia animae prodiit* ^s reciprocarunt, Bucherus, qui pro immaterialitate animae stetit, et Hocheisenius, qui contrarium assertum iuit. Neque tamen vel hi, vel Cowardus attulisse visi sunt, quod momentum haberet, quodque non contraria multa et se plane euerterentia complecteretur. Unde censuit nonnemo ^t, iudicio accurato vsus, *ita eos in hac sententia probanda versatos esse, ut rei istius impossibilitatem lectori non plane rudi, rerumque physicarum ignaro, omnibus suis studiose acquisitis argumentationibus longe facilius, quam qualemcunque eiusdem possibilitatem persuaferint.* Subtiliori et intricatiori disquisitione de facultatibus animae disputatum est, ut ex iis colligere licet, quae inter dogmata Cartesii, Hobbessii, Leibnizii, Thomassii aliorumque de hoc argumento attulimus. Maxime vero de libertate animae, et qua ratione vel intellectui vel voluntati tribui possit, in qua re constet, quae spontaneitatis, quae libertatis externae et internae ratio sit, deque similibus disputatum est, praesertim postquam natura commercii, quod inter animam et corpus intercedit subtilius examinari coepisset. De quo argumento inter Anglos Guilelmus Kingius, et Ioannes Lockius, et nuper Samuel Clarekius, extra Insulam G. G. Leibnizius, Ioannes la Placette, alique adducti a FABRICIO ^u disputauerunt. Maxime recentissima aetate inter controuersias Wolfianas, de hoc argumento miris animorum commotionibus disputatum est, cum euertere hypotheses Leibnizio-Wolfianas libertatem voluntatis obiceretur, qua de re quid pro his partibus disputauerint illustris BERN. BULFINGERVS ^x, et ven. FRID. WAGNERVS ^y, potissimum expendendum est. Fatendum autem, post tot disceptationes obscuram hactenus et fluctuantem esse philosophorum de libertate mentis cognitionem, esse dari illam necessario contra Hobbessium fatalem quandam necessitatem introducentem, multi haud infeliciter pugnaverunt. Quorum nomina ex parte in historia Hobbessii et Leibnizii allegauimus. Auxerunt has difficultates illi, qui naturalem animo diuinandi facultatem tribuerunt, si verum tamen fatendum, multum contentionis de voce disseminauerunt. Qua de quaestione cum erudita tractatione egerit B. BVDDEVS ^z, illius, disertatio ipsa legenda est. Referri porro huc illi quoque possunt, qui tres hominis partes constituendo, spiritum siue mentem ab anima distinxerunt. Hoc imprimis factum a Platonico-Cabbalisticis, theosophicis, Mosaicis, et qui illorum vestigia premunt, Christiano Thomasio et Andrea

r) Scriptores de hac controuersia fise enarrat GRAPVVS l. c. p. 105. seqq.

s) Zweyer guten Freunde vertrauter Briefwechsel vom Wesen der Seelen 1713. 1721.

t) HOLLMANNVS Theol. nat. c. 2. §. 40. p. 104.

u) Syll. Script. de V. R. C. p. 397. Conf. Bibl. raisonnée T. IV. P. II. p. 458.

x) In Dilucidat. phil. §. 302. seqq.

y) Pec. tr. vernaculo, de vera notione libertatis voluntatis humanae, Berol. 1730. 8.

z) Diff. an naturali homo polleat vaticinandi facultate.

drea Rudigero. Quos omnes cum suo loco excitauerimus, heic, vbi alia agenda sunt, iterum prouocare nolumus. Difficillimum autem problema, semper philosophi visum est, quod de ortu animae disputat. In quascunque enim partes se philosophi verterunt, insuperabiles difficultates inuentae sunt. Et Scholastici quidem atque Aristotelici, e materia eam educi statuebant; quod cum inepto formarum dogmate nitatur, placere prudentioribus non potuit. Complures autem et hi quidem haud obscurae famae viri, ad parentes ignotum producendae animae opus retulerunt, et propagari animam transmittique cum semine in corpus infantis per traducem quendam statuerunt. Quas partes magna diligentia ornauit schola Sennertiana, et qui ex ea prodiit, et hanc causam acriter defendit Ioannes Sperlingius: quamuis de modo operis occulti inter se in partes discesserint. Ast innumeris obiectionibus et difficultatibus pressi sunt ab aduersariis traducis patroni, qui monuerunt, hoc pacto aut creari liberorum animas a parentibus, aut generari; illud homini impossibile, hoc contradictorium esse, et diuisibilem atque compositam animae naturam inferri. Vnde hi quidem ad creationem animarum confugerunt, et a Deo corporibus in actu generationis immitti statuerunt. Quae sententia ab altera parte ex propagatione peccaminosa, quae animae a conceptione hominis inest, euertitur, cum in sanctitatem creatoris, ipsamque veritatem coelestem in sacris oraculis reuelatam peccet. Et hinc audita seculo XVII in scholis theologorum et philosophorum Traducianorum et Creatianorum nomina, a quibus induciani distinguebantur, qui e coelis, vel astris aliove ex loco induci in corpora animas statuebant. Inde ad praeexistentiam animarum, in creatione simul conditarum, vel in certo loco existentium, vel in corporum flaminibus, aut in animalculis feminalibus latentium alii confugerunt, diuerso tamen omnes sensu, et prius quidem Platonicos sequentibus placuit, et H. MORO ^a, posterius LEIBNIZIO ^b, vt supra dictum, et suo modo, qui alium animae ortus per praeexistentiam modum excoxitavit Io. ANDREAE PLANERO ^c. Similis difficultatis aenigma esse vnionem inter animae et corpus intercedentem, et vtriusque commercium ex illis, quae in historia Cartesii et Leibnizii tradidimus, abunde constat. Quibus locis cum ostenderit, qua ratione vel ex systemate influxus, vel ex systemate assistentiae, itemque causarum occasionalium, vel ex systemate harmoniae praestabilitae difficultates tollere philosophi annisi sint, decantatissimam controuersiam pluribus hoc loco enarrare superfedemus. Quodcunque vero eligamus, semper inextricabilibus difficultatibus implicamur, quae, nisi nos omnia fallunt in re, nobis ex intima conscientia nota, luculenter probant, nebulas nondum esse istis hypothesebus dispulsas, et tutissime agere, qui ad humanae mentis ignorantiam et angustos cognitionis li-

V v v v 3 mites

a) Opp. phil. T. II. p. 365.

b) Conf. HAMSCH. Princ. Phil. Leibn. p. 176.

c) In noua de animae humanae propagatione

sententia, Viteb. 1712. conf. quae de hoc philosopho eiusque opinione diximus in Germ. Hist. phil. Opere T. VII. p. 859.

mites confugiunt. Cuius hunc vsum esse posse, recte monet cel. HOLL-
MANNVS " , „vt agnoscamus, stupendo conditos nos esse artificio, ne-
„que sine potentia, viribus omnibus humanis longe superiori potuisse fie-
„ri, vt subiectum eiusmodi cogitans et intelligens, inque infinitarum re-
„rum naturam curatissime inquirens, quale anima quidem nostra est, cor-
„poris machinam eiusdemque artus singulos varie, pro arbitrio suo mo-
„ueat, inflectat dirigatque, motibusque corporeis ita iterum afficiatur, vt
„res extra se positas varia ratione persentiscat, illarumque imagines intra
„sinum quasi suum recipiat, nec tamen quomodo vel ipsa corpus afficiat,
„vel a corpore iterum afficiatur, quomodocunque intelligat.“ Nempe
ita summum et sapientissimum tantorum operum conditorem ex hac ani-
mae nostrae de se ipsa ignorantia agnoscere, haud exigua pars sapientiae
est. Quam qui sibi metam ponunt, lumine sane inter tenebras vti sunt
censendi.

*Pneumatolo-
giae specialis
fata recen-
tiora.*

§. XVI. Restant spiritus separatim existentes et immateriales sub-
stantiae: quod argumentum eo intricatius deprehenditur, quo certius est,
nihil a priori, quod dicunt, nobis innotescere, licet certum et euidentis
sit, et posse esse spiritus immateriales separatosque a corpore, et non ab
omni plane verisimilitudine, ex regni diuini amplitudine et pulchritudine
desumpta, id esse remotum. Tota tamen, quae de existentia eorum,
versari inter eruditos solet, quaestio ad traditionem et fidem historicam
redit, quae ab vltima aetate et canis nascentis fere mundi temporibus or-
bem peruagata est, et ex omnium fere locorum, temporumque relatione
tandem in dogma vbiuis locorum receptum, et inter barbaras et ab omni
fictionis artificio remotas gentes non minus, quam inter cultiores popu-
los admissum cessit. Qui vniuersalis consensus, licet pro praeiudicio vni-
uersali haberi sine manifesta contradictione non possit, adeoque liceat
eum pro existentia spirituum separatorum allegari, fatendum tamen, si
candide agere velimus, pleraque quae de spiritibus his traduntur, talia
esse, vt ex barbararum gentium lacunis hausta, et innumeris erroribus
repleta videri queant. Quamuis enim Hebraeae gentis traditio, quae
omnium antiquissima est, nonnulla exhibeat sacris paginis comprehensa,
pauca tamen ea sunt, et quae aliae gentes assuerunt, innumera, et ita se
habentia, vt qui nasum habent, facile illis suboleat, multa ignorantiam
rerum naturalium, multa sensuum imbecillitatem, multa timorem et su-
perstitionem, multa fraudes quoque hominum vafrorum, et simplicitate
plebis ad augendam auctoritatem et vtilitatem suam abutentium, nonnulla
methodum allegoricam orientalis philosophiae, haud pauca quoque syste-
ma emanatum, per omnem Orientem, Aegyptumque diffusum genuisse.
Quae vbi probe ponderantur, facile nobis non momentibus cautus et at-
tentus quilibet intelligit, quanta sobrietate et praeiudiciorum antiquitatis,
auctoritatis, hypotheseos, praecipitantiae, superstitionis et similibus eu-
ratione

ratione opus sit, si in hoc argumento feliciter versari quis velit. Vnde non sine insigni intellectus humani emolumento optandum esset, ut vir quidam doctus, et ad haec, quae obiter tetigimus argumenta, sine villo partis studio attentus, in origines huius traditionis, variamque propagationem et augmenta ex variis causis inter omnes populos inquireret, ut inde turbidae, quae haecenus de hoc argumento apparuerunt lacunae ad limpidiores fontes deducerentur, haberetque intellectus humanus, ex quo de verisimilitudine veritatisque certitudine, vel falsitate specioso titulo imponente esset statuendum. Quae enim de hoc argumento scripta sunt, licet sint innumera, et varia eruditione referta, ordine tamen carent et luminibus atque ratiocinatione iusta, adeoque nec pro afferenda hac doctrina nec ad eam refellendam ita adhiberi possunt, ut intellectui, ex utraque parte a peccando sibi cauente fiat satis. Quae itaque recentiori aetate de angelis eorumque apparitione, de spectris, de sagis et incantationibus, de pacto cum infernali genio et similibus quaestionibus vehementer disputata sunt, hoc loco recensere non licet, nec etiam libet, eo quod incerta et ambigua disputationis arena ita de hoc argumento pugnatum est, ut quid potissimum definiendum sit, adhibitis legitimae ratiocinationis regulis, anceps haereat cautus animus. Legendi autem sunt, qui pro experientia omnium locorum, temporum, hominum, infinitis fere exemplis in medium adductis pugnaverunt, inter quos eminent, Ludouici Lauateri, Lamberti Danaei, Ioannis Bodini, Mart. Ant. Delrionis, Iosephi Glanvili, Theophili Spizelii, Richardi Baxteri, Petri Goldschmidii, Erasmi Francisci, Ioannis Beaumontii aliorumque nomina, et cum his comparandi, qui innumeras fallacias, imposturas, fraudes, artificia, praecipitantis, errores, in his exemplis inuenerunt atque detexerunt, in quo saxo voluendo post Pomponatium eiusque scholam, non minoribus tamen ineptiis desipientem, et Ioannem Wierum, recentissima aetate Ioannes Wagstaffius, Ioannes Websterus, Antonius van Dale, Fr. Hutchinsohnus, Christianus Thomafius, et anonymi haud pauci ex huius schola progressi, multum defudarunt. Qui quoque origines harum traditionum detegere conati, in diuersas sententias abierunt, hoc loco non enarrandas. Id itaque vnum notamus, systema orientale, quod ex Zoroastriano enatum, se deinde ad varias gentes diffudit, maxime vero in Aegypto nouam philosophiam genuit, de spiritibus ex summo fonte emanantibus valde sollicitum, haud pauca huius traditionis capita genuisse, quae cum ab Alexandrinis ob causas suo loco proditas essent intra philosophiae Graecanae sequioris cancellos recepta, tandem in ecclesiam Christianam irreperunt, et vetustissimae gentis Hebraeae traditioni, simplici et purae, innumera affuerunt impura et ineptias olentia. Quae castigare, remque omnem ad suos fontes reuocare nemo maiori eruditionis apparatu et euentus atque fatorum strepitu conatus est, quam Balthasar Bekkerus, cuius controuersia ideo strictim enarranda est.

Vita et con-
trouersia
Balth. Bek-
keri.

§. XVII. Editus est in lucem BALTHASAR BEKKERVS XIII. Cal. April. anni MDCXXXIV, in agro Frisiae occidentalis, patre pastore pagi Metslawier. Qui cum in filio ingenium studiis aptissimum obseruasset, omni cura in id incubuit, vt agrum natura fertilem propria industria excoleret. Itaque non rudimentis tantum Graecae et Latinae linguae sed humanitatis etiam studiis a patre initiatus, et ad decimum sextum aetatis annum magna cura institutus est. Ita praeparatum literis propaedeuticis anno MDCL in academiam Franequeranam dimisit, vt seueriorum scientiarum stadium ingrederetur. Quo loco cum praeter alios mathematicarum disciplinarum peritia excelleret Bernardus Fullenius, isque imprimis fideralis scientiae amore flagraret, egregie sub hoc doctore profecit. Tum ad academiam Groeninganam conuersus Samuelem Marefium et Iacobum Altingium praeceptores nactus est, cumque hic non institutione modo, sed et conuersatione inter interiores admissionis discipulos illi locum faceret, eius eruditione philologica, qua eminebat, in linguarum orientalium studio profectus nactus est laetissimos. Inualescens in academiis Batauis coeperat philosophia Cartesiana, quae cum magnam admirationem esset consecuta, haud perfunctorie in ea versatus est. Nondum autem curriculum studiorum academicorum absoluerat, cum ad subeundam ministerii ecclesiastici prouinciam in agro Franequerano anno MDCLV vocaretur, quo tempore iam primas de infernalis spiritus operatione cogitationes concepisse dicitur. Decennium in eo munere versatus anno MDCLXV in academia Franequerana summos in theologia honores, et quidem magno eruditorum applausu ob eximiam doctrinam consecutus est. Et tum praeceptoris sui, Fullenii filiam vnicam vxorem duxit, quae eum binis natus, filio vno, Io. Henrico, paternae postea eruditionis haerede, parentem fecit. Magnis animorum motibus et inaudito feruore tum agitabantur in Belgio foederato controuersiae Cartesianae, et impietatis atque horrendorum errorum infimulabantur theologi, Cartesiana placita sequentes. His litibus licet se miscere nollet Bekkerus, ita vt partem eligeret, pati tamen non potuit, iniquis criminationibus animos fratrum disiungi, cum crederet, non tam malam esse philosophiam Cartesianam, quam eius aduersarii clamarent. Vt ergo meliora eos edoceret, edidit *Candidam et sinceram admonitionem de philosophia Cartesianana*,

e) Vitam et historiam Bekkeri maxime illustrauerunt V. Cel. MICH. LILIENTHAL, cuius inter Selecta literaria, extat art. II. obseruatio de Balthasare Bekkero, in qua ex *αὐτογράφοις* eius historia vsque ad Mundi fascinati editionem enarratur. Alteram vero partem exsecutus est, qui etiam Regiomontum ornauit GVIL. HENRICVS BEKKERVS, in schediasmate critico literario, de Controuersis praecipuis Balthasari Bekkero ob librum, cui titulum fecit, *Die bezauerte Welt*, quondam motis, adiecta in fine sarragine aucto-

rum, qui vel Bekkeri scriptum refutarunt, vel asseclarum more illud asseruerunt. In qua elegantia tractatione ex fontibus genuinis cuncta copiose enarrata sunt. Ceterum res eius multi quoque alii tetigerunt, praecipue BENTHEM, in Statu Eccl. et Schol. Bat. P. II. c. 1. p. 114. BYDDEVS Itag. p. 281. KETNER, Diff. de duobus impossibilibus B. de Spinoza et B. Bekkero, et qui vitam eius luculenter enarrauit NICERON, Memoires de literat, T. XXX. p. 175.

siana, ita moderate scriptam, vt non displiceret Marefio, licet vehementer ei infenso. Nec tamen id ferendum esse iudicauit Ioannes van der Wayen, tum quidem Anti-Cartesianorum partibus adhuc addictus, quas tamen postea ipse reliquit *f*, ideoque admonitioni illi more suo respondit. Quae prima animorum contra Bekkerum exulceratio mox alteram peperit, cuius occasionem dedit vulgata a Bekkero *Explicatio catechismi Heidelbergensis*. Hoc enim schediasmate dissidiis odiisque, quae inter Marefium et Altingium flagrabant, implicitus est. Equidem Marefius, cui libellus valde displicuit, concitatis in Bekkerum aliis, Classem Groeningensem sua auctoritate permouit, vt pro suspecto errorum et doctrinae non in omnibus sanae libellum haberent declararentque, effecit quoque vt in Frisiae synodo liber reprehensionem et emendationem pateretur. Conspirauerunt quoque in eo obelo theologico confodiendo facultates, quas vocant theologicae academiaram Franequeranae, Harderouicianae, et Ultraiectinae. Et a Cartesianis quidem theologis liber valde laudatus est: at suspectorum laudes parum dissentientes commouerunt. Ipse Bekkerus scripta apologia Marefio masculae, se opposuit, quod ita in furorem egit feruidi ingenii virum, vt et fisco addici publico eam apologiam curaret, et magna vehementia refutaret, nec deseruerunt Marefium alii huius factionis theologi, quibus modeste quidem at magno animo et non sine acumine Bekkerus respondit. Tandem synodo frustra in hoc negotio laborante, illud ad praepotentes Belgii foederati ordines delatum, et horum auctoritate sonante campana publicaque praeconis voce liber Bekkerianus proscriptus est, ipso auctoris affine, consule Franequerano sententiam ordinum exsequente. Qua seueritate ita fractus est Bekkeri animus, vt muneri Franequerano se abdicaret, et aliud rusticum in vico Loenen, vastato tum a Gallis, qui prope Amstelodamo aberat, adiret, ratus in hoc angulo tutius se a persecutione latere posse. Biennio post tamen, Vespam, quod oppidum est, Amstelodamo vicinum, vocatus est, spesque erat, fore, vt mature ministerio Amstelodamensi adscriberetur: quod tamen impediuit ex eius membris Laurentius Homma, suspectum eum esse heterodoxiae causatus. Fauentibus vero et pro eo rem vrgentibus nonnullis Cocceianis, institutoque colloquio inter Bekkerum et Hommam, quo ille suam fidei integritatem et puritatem demonstrauit, anno MDCLXXIX Amstelodamum ad subeunda ecclesiae ministeria vocatus est. Quo loco etsi, tot aduersitatibus iam iactatus, caute agere debuisset, ne pacem atque tranquillitatem suam noua suspicionum occasione turbaret, philosophiae amor tamen peruicit, vt anno MDCLXXX, quo insignis magnitudinis cometa apparuit, schediasmate philosophico demonstraret, nihil ab eo, velut naturali corpore, mali metuendum esse. Qua
 commen-

f) Meretur hic conferri Ven. LILIENTHAL l.c. p. 30. not. 18. lucem enim quandam controuersis Cartesianis affert.

commentatione cum temeritatem atque leuitatem quandam fouere uoluisse uideretur, aliquot inde libelli eristici enati sunt. Nec destitit tunc Cartesianorum et Cocceianorum partes iuuare, edita *Epistola de SPANHEMII Schediasmate epistolico, de nouissimis circa res sacras in Belgio dissidiis ff.* HORNII quoque *Historiae ecclesiasticae* tunc supplementum adiecit ^g, et in Daniele commentatus est, quo labore suscepto se primas fascinati mundi cogitationes concepissee fatetur, in quo tamen commentario uestigium eius rei nullum comparere testatur, Ven. LILIEN-THALIVS ^b. Postquam autem diu foetum hunc, quem mature concepit, parturiuerat, tandem exclusit, licet timidiuscule. Prodiit enim lingua Belgica: *Mundus fascinatus, sive accuratum examen superstitionis uniuersalis, quoad modum, vires, potentiam et operationem satanae malorumque spirituum in homines, et quid hi per illorum uirtutem et communionem possint.* Cuius famosi libri pars prior anno MDCXC Leouardiae, et emendatior anno MDCXCI Amstelodami, posterior eadem in vrbe MDCXCIII, et tum ambae iunctim, prodire. Cuius libri summam cum et ipse auctor operi praefixerit, et eam Ephemerides aliquot enarrauerint ⁱ, in eo describendo prolixi esse nolumus. Scopus uero auctoris hic est, mundum inani et ludicro praepudicio de operationibus spirituum fascinatum, erroris conuincere, et ab his nugis liberare, demonstrando spiritum sine corpore in corpus agere non posse, adeoque omnes de spiritibus, eorum apparitionibus, operationibus, spectris, magis, fagis, etc. narrationes inter otiosorum ingeniorum nugae et commenta esse referendas: Satanam uero post lapsum suum catenis tenebrarum uinctum tartaroque alligatum esse, adeoque, quaecumque de eius in terra operationibus iactari solent, uel praepudicium esse praecipitaniae, et antiquitatis, uel fallacias sensuum, uel fraudes hominum malitiosorum. Quod ut demonstret, et ipsam diuinorum oraculorum interpretationem suae hypothesei attemperat, et philosophiae Cartesianae principiis ad eam confirmandam utitur, et per omnem antiquitatem currendo non sine eruditionis multaeque lectionis apparatu in gentium barbararum, Graecae, aliarumque opiniones de spiritibus et magia inquit, et quae memorabilia apparitionum et operationum spirituum exempla enarrari solent, suae hypothesei non obstare, et causas alias, quam spiritus habere, demonstrare nititur. Πρώτον Ψεύδος auctoris autem ipse *capite septimo libri secundi* detexit, ubi magna subtilitate demonstrandum sibi sumit, omnem operationem in corpus oriri ab immediato ordine Dei, adeoque ab eo ad spiritus, uel ab animae nostrae operatione metaphysica in corpus, ad spiritus reliquos consequentiam non ualere. Quo modo reuera omnem spiritus in corpus operationem negat, et eam ad Deum refert, id quod proximum

syfte-

ff) Vid. Boekzaal van Europe 1692. p. 34. Act. Erud. T. II. Suppl. p. 425. seqq. ANDR. CAROLI Memorab. eccl. T. II. P. II. p. 609. seqq.

g) Korte Begrif van Kerkelike Historien.

h) l. c. p. 52.

i) Act. Erud. 1692. p. 19. 1694. p. 241. Bibl. vniu. Tom. XXI. p. 122. seqq. Relat. innoc. 1702. p. 901.

systemati caussarum occasionalium est, quod dudum iam schola Cartesiana pepererat. Et excusat quidem Bekkerus philosophiam suam, quod non nisi indirecte eam ad hypothefin suam probandam aduocauerit: at id inuidiae tantum declinandae caussa fieri, nemo non intelligit, qui ad rationationes Bekkerianas attendit. Cunctis enim et scripturae testimoniis, et veterum scriptorum narrationibus ideo machinas admouet, vt torqueat, quia impossibile esse iudicat, vt spiritus corporis expers agere in corpus possit. Hinc enata, quamprimum paradoxo libro controuersia mota est, quaestio, vnde hanc suam hypothefin Bekkerus hauserit? Et Cartesianismi aduersarii quidem magnis clamoribus conquesti sunt, mali corui malum hoc ouum esse, et ex venenato Cartesianae philosophiae fonte errorem hunc non modo vniuersi orbis testimonio, sed praecipue quoque Scripturae sacrae effatis reluctantem progenitum fuisse. Quod cum magna inuidia Cartesianos cumularet, et ipse Bekkerus in praefatione iteratae editionis de iniuria hac conquestus est, et prodierunt ex antagonistis duo ministri Belgici Ioannes Aalstius et Paulus Steenwinckelius, qui ab hoc opprobrio Cartesianam philosophiam liberare conati sunt. Et fatendum quoque ipsum Cartesium, nunquam asseruisse, nullum spiritum corpus mouere posse; recte enim obseruatum cel. HOLLMANNO *, philosophum ad Henricum Morum scripsisse: *Vt non dedecet hominem philosophum putare, Deum posse corpus mouere, quamuis non putet, Deum esse corporeum: ita eum non dedecet aliquid simile de aliis substantiis incorporeis iudicare.* Ast reuera tamen sectatores in hanc sententiam concesserunt, quamuis nuda confessione id non asseruerint; cuius, nisi fallimur, systema caussarum occasionalium exemplum luculentum est, quod non elegissent Cartesiani, si immediatam spiritus in corpus operationem realem agnouissent. Ipse vero Bekkerus, cum videret haec potissimum ab aduersariis ad constandam Cartesianae philosophiae inuidiam allegari, multis verbis protestatus est, hoc fundamentum ab ipso non allegari, sed aliud agendo se ex Cartesianae philosophiae principiis tantum demonstrare, quia in cogitando spiritus essentia ponatur, non posse motum corporis mechanicum et corporalem tribui spiritui, adeoque se *καὶ ἀνεκτικῶς* tantum disputare. Ast dicis tantum gratia haec Bekkerum allegare, adductus supra locus, nisi omnia nos fallunt, euidenter demonstrat: in eo enim non constare de operatione spirituum aliter, quam ex animae experientia et exemplo statuit, inque eo occasione motuum corporis oriri perceptiones animae, et occasione cogitationum oriri motus corporis, ex voluntate et dispositione Dei asserit, indeque concludit: spiritum alium, praeter animam nostram corpori a Deo ita coniunctam, vt ad cogitationes animae sequantur corporis motus, non posse mouere corpora, eo quod a Deo assistentiam corporis ad eum motum non acceperit. Quo ipso non potentiam quidem agendi in corpus absolute, ast in actu tamen negauit,

X x x x 2

quia

k) Pneumatol. p. 96.

l) Epp. P. I. Ep. 69. p. 107.

quia motus omnes occasione animae cogitantis Deus producit. Ex quo patet Bekkero, licet conquerenti, iniuriam non fieri, quamvis id nuper quoque viro cuidam doctissimo ^m visum fit. Ast hoc semel principio admisso facile erat, alias causas fingere vel adducere, cum essent eo tempore quidam, qui de quaestione facti disputantes materiam abunde Bekkero suppeditabant, ea, quae natura sua impossibilia a priori demonstrare cupiebat, a posteriori quoque falsa esse comprobandi. Prodigat enim iam anno MDCLXV REGINALDI SCOTI *Detectio artis magicae*, lingua Anglica, quam Belgicam fecerat et anno MDCLXXX ediderat THOMAS BASSO: in quo libro tanta fiducia omnis magia, et quae reliqua huc referri solent, negantur, et inter fraudes et imposturas otiosorum hominum referuntur, ut indignationem publicam meruerit, et vlttricibus flammis deletus fuerit. Quo tamen fato deterri se passus haud est ORCHARDVS, quo minus spirituum malorum operationem in tractatu *de Doctrina diabolorum*, Anglice anno MDCLXXVI edito, et a GVIL. SEWEL Belgico idiomate *Amstelodami anno MDCXCI* vulgato, negaret. Id quod aduersariis Bekkeri occasionem dedit, eum accusandi, quod ab hoc auctore potissimam noui dogmatis partem accepisset. Comparuit quoque eodem tempore ex Gallis exulibus DALLONIVS quidam ⁿ, qui in *Examine oppressionis reformatorum Gallorum, in quo innocentia religionis eorum defenditur* ^o, vnum tantum esse diabolium statuit, et loca scripturae longe alio sensu, quam solet fieri in ecclesia, explicat: quem se consuluisse, haud obscure prodidit Bekkerus ^p. Aduersarii quoque Bekkeri Hobbefianismum et Spinozismum inter causas hypotheseos Bekkerianae retulerunt, eo quod ex illorum principiis ea sponte sua consequatur. Nonnulli Antonium van Dalen, ante Bekkerum oraculorum gentilium veritatem impugnantem, eaque ad imposturas sacerdotum referentem accusarunt ^q: quibusdam ^r Mallebranchius huc trahendus visus est. Quod tamen, licet systema causarum occasionalium celeberrimo philosopho placuerit, inuita fit veritate. „Is enim quamvis se credere profiteatur, veros magos esse rarissimos, quaeque de fatanae commercio dicuntur, esse somnia, recteque fieri, quod actiones in sagas et veneficos a tribunalibus omittantur, fatetur tamen, minime sibi dubium videri, quin dentur magi et sagae, possitque interdum diabolus, permittente et dispensante Deo, ob mirabiles causas malitiam suam in homines exercere ^s.“ Nobis inutilis quaestio videtur; quamvis enim ex his omnibus occasionem de hac hypothesi cogitandi Bekkerum hausisse a verisimili non abludat, et probabile sit, tum Cartesianum systema vnionis inter corpus et animam, (siue assistentiae, siue causarum occasionalium Bekkero arri-

fisse

m) loc. cit.

n) Videndus de eo BAYLE T. II. Lettr. p. 454.

o) Amstel. 1687. 12.

p) Vid. L. II. c. 9. §. 3. p. m. 52. Verf. Germ. Conf. BAYLE l. c. T. I. p. 360.

q) Conf. BENTHEM. l. c. p. 114.

r) POIRET. Ver. method. inu. verum. P. III. §. 27. p. m. 224. THOMASIVS de Crim. mag. §. 3.

s) De Inq. veftic. L. II. c. 6. p. m. 287.

fisse dicamus) eum permouisse vt crederet, nullum spiritum actionem quandam in corpus edere posse, nisi peculiari Dei consilio et operatione corpori eum finem iunctus sit, tum eos, qui Scripturae et gentium testimonia in alios sensus rapuerunt, ei, persuasisse, ipsam huius traditionis veritatem posse in dubium vocari; apparet tamen ex ipsa Bekkeri tractatione, ipsum systema nouum eum suo ingenio debuisse, idque ideo eum commentum esse, quod contrariam sententiam nec fide testimonii, nec claritate rationis constare crederet. Totum enim singulare quid spirat, et ab aliorum opinionibus distinctum, nam, quaecunque operose, et obscura haud raro subtilitate disputat, eo, si summatim complecti velimus, redeunt: vnum tantum esse angelum, qui peccauerit; qui, cum protoplastos permitte-
 Deo ad peccatum, ignoto nobis et incerto modo, seduxisset, tartari vinculis alligatus et in tenebrarum barathrum demissus sit, ex quo colligit, operationes, quas tot secula Satanae tribuerunt, ad eum non pertinere, nec ab eo editas esse, sed superstitioni et imposturis eorum, qui superstitionum credulitate callide utebantur, originem debere. Et hoc quidem a gentibus barbaris ad Iudaeos et ab his ad Christianos transiisse, saluatore, cum in his terris comparuisset, praedudicium, quod eradicari ex animis non poterat, ferente, et se illi cum scriptoribus sacris attemperante. Oracula itaque diuina, de potestate angelorum malorum praecipientia, de peccato et hominibus nefariis esse intelligenda; nec eiusmodi operationes ad spiritus bonos esse trahendas. Hoc vero modo rectius Deum et creaturas distingui, et sincerius Deum coli timerique, cum contraria de diabolo opinio in Deum grauissime peccet, illumque reapse Deum faciat. Haec insigni, qua pollebat eruditionis et lectionis apparatu, ingenii quoque elegantissimi foecunditate, quae Bekkeri denegari nequeunt, ita in crustauit, vt infinitos sibi lectores compararet, et haud paucis praedudicium tot seculorum vnus felicissime prostrauisse crederetur. Quin et illi, qui ab ipsa hypothese, et imprimis a modo Scripturae S. testimonia in hanc sententiam detorquendo abhorrebant, nouitate paradoxae opinionis, et fiducia hypothese omnium gentium temporumque opinioni contrariam asserendi commoti, auide in libri huius lectionem inuolarunt, et hinc non modo inter Batauos, magna cupiditate lectus, sed a Gallis quoque, Italis, Germanis auidissime emtus est, sic vt tradente TENZELIO in bimestri spatio quatuor exemplarium millia venderentur, nec Amstelodami vnum tum amplius reperiretur. Nec solum in vernacula vbique disseminatus, sed in alias quoque linguas, Italicam, Gallicam, Hispanicam, Germanicam liber translatus est, quarum versio-
 num Germanica ineptissima, Gallica elegantissima et Belgico exemplari comparanda visa est. Ita vero dum certatim in plausus auctoris ruit orbis

Xx xx 3

eru-

1) Colloq. menstr. 1692. p. 109.

2) Car. crit. Reimmann. p. 782. seq. BAYLE
Lc. T. I. p. 349. Prodiit Germanica 1693. 4. quamenim REIMMANNVS Hist. atheismi S. III. p. 486.
narrat in 12. quatuor tomis comprehensam, du-
bitamus an extet.

eruditus, isque de vulgari opinione iam iam triumphat, adeo ut numis quoque cufis *, velut alter Hercules monstrum superstitionis enecasse praedicaretur, tandem excitata est collegarum Bekkeri vigilantia, ut publica actione cum eo agere constituerent, curam adhibitori, ne ex audaci sacrorum oraculorum corruptione detrimenti aliquid accipiat respublica Christiana. Primum itaque senatus ecclesiasticus Amstelodamensis minor cum Bekkero per delegatos egit, et quinque membris, nempe ministris tribus, et senioribus ecclesiae duobus in mandatis dedit, ut quid in hoc libro potissimum reprehendendum sit, ipsi exponerent. Quamvis enim multa in editione altera Bekkerus mutasset, aut audacius dicta, aut sarcasms inuidiam cedere apta, rem tamen ipsam tantum abest, ut mutauerit, ut potius noua eam luce collustrare summis viribus sit conatus. Delegati ecclesiastici senatus nomine haec tria potissimum Bekkero capita obelo digna exponunt. I. Blaspheme eum de ecclesia loqui, et peruersa atque profana audacia Scripturam Sacram interpretari. II. Inconsiderate scribere de operatione spirituum. III. Temerarie illudere confessioni fidei publicae, cui ipse non minus, ac alii verbi ministri, subscripserit. Excepit contra has accusationes Bekkerus, male mentem suam eos assecutos fuisse, et mala fide hypothesin retulisse. Ut itaque iuste se agere velle senatus ecclesiasticus ostenderet, iussit Bekkerum ipsum libri et hypothesium compendium conscribere, ut de certa eius mente constet. Quo oblato cum recte delegatos de libro ipso retulisse, appareret, cunctorum suffragiis ille damnatus, auctor autem reprehensus est, quod sine censura eum edidisset. Ille ad doctoris theologi iura sibi collata et ad synodum Edamensem breui futuram prouocauit, nec tamen locum inuenit, eo quod male libertate ista usus fuisset. Ideo oblato sunt illi articuli tredecim mense Augusto anni MDCXCI, illisque subscribere iussus est; additis minis, nisi intra sex hebdomadam spatium resipuerit, munere vel interdictum, vel plane priuatum iri. Inter eos articulos primus fuit, ut confiteretur, animam hominis in corpus agere, idque non necessitate naturae Deo operante, neque animam modum corporis esse: ex quo constat, ad Spinoziticum systema ex Cartesianismo male adhibito enatum Bekkerianam hypothesin theologos Amstelodamenses retulisse. Non tamen ad haec attendit Bekkerus, causamque ad synodum Edamensem retulit: in qua cum accusationes pristinae obicerentur, et imprimis a confessione ecclesiae publica et synodi Dordracenae decretis, quibus subscripserit, discedere diceretur, frigide respondit, se ad tenenda confessionis verba omnia, et tuendam versionum biblicarum fidem nunquam se sacramento obstrinxisse, sed ad dogmata capitalia hanc tantum fidem pertinere. Male id synodum habuit, cuius auctoritatem Bekkerus reiiciebat; libri itaque eius fisco addicti sunt, ipse intentata auferendi muneris poena resipiscere iussus est: at ille nullam in se potestatem synodum hanc habere protestatus sententiaeque latae syn-

grapham

*) Exhibet eorum talem Веккер in fronte Diss. cit.

grapham postulans, irrito conatu discessit. Res itaque ad senatum ecclesiasticum ecclesiae Amstelodamensis maiorem, Classē inter Batauos vocant, reducta est, quae decreto illi iniunxit, vt ad capita accusationis tredecim illi oblata responderet; elapsoque mense aut reuocaret emendaretque sententiam, aut munere se abdicaret. Obtulit Bekkerus articulos satisfactorios sex, quibus mentem suam tolerabilius declarari perhibebat, rogans Classē, vt patienter ea ferret, quae non nisi problematicē in posterum, proponere constituisset, animū enim sibi non esse religionis capita vlla laedere. Concessit id precibus eius Classis Amstelodamensis, et munere sacro porro fungi illi permittit, at indignantibus reliquis synedriis ecclesiarum, quae hanc Amstelodamensium lenitatem et tolerantiam aegerrime ferebant, et scriptis quoque literis circularibus detestabantur. Classis itaque dictos articulos auxit et amplificauit, et postulauit a Bekkero, vt subscriptione promitteret, se hypotheses suas sibi seruaturum, neque amplius voce vel scripto disseminaturum esse. Quā in re cum beneuolentissimos iudices expertus esset, maluit tamen hypothesin electam defendere, vnde factum, vt mense Ian. anni MDCXCII, ad XI hebdomades suspensionis quam vocant poenam subire cogereetur. Ille interea temporis, cum a munere sacro vacandum erat, Frisiam salutauit, vt libros residuos maiori cura absolueret, emendaretque, at cum literis encyclicis causam hanc a Classibus iugulari intellexisset, breui Amstelodamum reuersus est, moxque innotuit ad dicendam causam in synodo Alckmariensi eum inuitatum esse. Quae cum reiectis articulis eius reuocationem vrgeret, ipsi libello singulari, se illius synodi auctoritate nec iure nec facto stringi, demonstrare conatus est. Non accepit tamen illum libellum synodus, sed proposito errorum elencho poenitentiam, veniae deprecationem, mentis et opinionis emendationem poposcit. Quod cum renueret, et aliam processus formam Bekkerus expeteret, iterum a munere, et s. synaxis quoque vsu decreto synodi exclusus est, ipso protestante, quod nec debito assessorum numero constitisset synodus, nec audientiam ipsi fecisset, sicque sine vllō effectu iuris egisset. Et haec quidem a classibus atque synodis acta sunt ¹⁾. Ex altera parte theologi ad restinguendum hoc incendium vndique accurrerunt, tantusque libellorum Antibekkerianorum aceruus prodit, vt quadrigis conuehi potuissent, testeturque P. BAYLE ²⁾ centum florenis eos vix coemi posse, quorum recensionem ipse Bekkerus edidit ³⁾. Inter quos imprimis innotuerunt Florentinus Costerus, Simon de Vries, Henricus Brinck, Melchior Leydekkerus, Petrus Hamerus, Iacobus Koelman, Euerhardus van der Hooght, Ioannes Verryen, Ioannes Molinaeus, Henricus Groenewegen, Ioannes van der Wayen, Ioannes Aalstius, Paulus Steenwinckel, Petrus van Mastricht, Petrus Poiretus, de quibus praeter BECK-

HERVM

1) Scripta huc pertinentia, ex quibus acta colligi possunt, diligenter enarrat BECKHERVS I. c. §. 15. p. 22. seqq. conf. BENTHEM. I. c. P. II. c. 1. p. 114.

2) I. c. T. II. p. 375.

3) Franceq. 1692. 4.

HERVM ^b videndi BENTHEMIUS ^c atque BVDDEVS ^d. Neque a fatyra abstinuerunt eius aduersarii, poematis, inscriptionibus, imaginibus nouam hypothesin eiusque parentem traducentes; quamuis non defuerint, qui simili ratione eum in coelum extollerent. Cuius generis scriptiuncularum ex vtraque parte editarum collectio iam anno MDCXCI prodiit ^e. Ipse vero Bekkerus, qui audaci animo utebatur, sibi non defuit, institutaque *Enarratione scriptorum ipsi oppositorum* ostendere satagit, quam iniquis modis aduersarii cum eo egissent: prudenter autem a controuersiae ferra cum his scriptoribus reciprocanda abstinuit, quod sexcentis eum molestiis certissime cumulauisset. Vni tamen Euerardo van der Hooght respondit, reliquos magno animo contempsit. Id quod haud pauci eo traxerunt, quod non habuerit, quod honestis titulis reponeret. Maxime quae P. Poiretus contra eum monuerat, talia amicis Bekkeri visa sunt, vt nisi quaedam opponeret, opinioni nouae magnum detrimentum allatura sint ^f. Illi itaque atque Leiddekkero et P. van Mastricht, qui Latino sermone contra eum scripserant, eodem idiomate respondere promisit, sed non praestitit, incertum vtrum, conscientiae malae causa; an metu, ne multitudine obrueretur. Neque tamen censendum asseclas et *προμάχους* Bekkeri defuisse. Cum enim ingens iam tum eorum esset numerus, qui Hobbesianis et Spinozianis principiis imbuti theologos contemnebant, rati inuenisse se, non quod pueri in faba, acerbis fatyris aduersarios Bekkeri momorderunt. Peculiaribus scriptis autem hypothesin eam defendere susceperunt LVCAS VAN GIVNST ^g, et IOANNES PELL ^h, quibus addenda controuersia epistolaris inter GVIL. VAN BLYENBERGH et GVIL. DEVRHOEIVM, tum inter hunc et HENRICVM BRINCK agitata ⁱ, qua de natura et operationibus animae humanae, angelorum et diabolorum disputatum est, de quibus scriptis omnino consulendus, quem aliquoties laudauimus BECKHERVS ^k. Quia vero mundus fascinatus in omnem fere terram exierat, et haud paucos admiratores sibi comparauerat, aliarum quoque regionum theologi hanc *παραδόξολογίαν* eneruare et ineptias Bekkerianas profligare coeperunt, quorum indicem videtis, apud BECKHERVM ^l et GRAPIVM ^m. Non permittit loci et instituti huius ratio, vt quid hypothesi Bekkerianae opposuerint viri docti et philosophiae gnari (theologorum enim, qui Scripturae testimonia vindicarunt heic in censum non veniunt) prolixè enarremus. Possunt autem ea, quae maxime neruum intendisse iudicata sunt, omnium rectissime ex P. POIRETI ⁿ, obseruationibus disci, qui maxime philosophicis telis causam Bekkerianam confodit. Obseruatis, nedum spiritus in corpora agere nequeant,

b) In fine Diss. cit.

c) l. c. p. 114. 139.

d) l. c. p. 281.

e) Cat. crit. bibl. Reimann, p. 782.

f) Conf. STOL. Hist. lit. l. c. p. 510.

g) Der gefallen Engel waenlos, Amst. 1692, 4.

h) Wonderdaden des Allerhoogsten, Amst. 1693.

i) Amst. 1692. 1693.

k) l. c. p. 36.

l) l. c. p. 38. 39.

m) Theol. rec. controu. P. II. p. 81. 82.

n) l. c. p. 215.

ant, Ipsa potius corpora neque esse neque agere in se posse, nisi per Spiritus. Non concipi enim posse, qui corpus moueat corpus motusque vno ex corpore in aliud transeat, nisi concipiatur vis omnino spiritualis, certa quadam conatus mensura sese veluti in materiam diffundens, inque eius partes modo in has modo in illas successiue agens. Mentis porro siue spiritus esse Dei progeniem, eiusdemque cum Deo naturae, adeoque eius imaginem in eo quoque referre, quod eorum desiderium, ad similitudinem desiderii Dei, efficax, hoc est, agens et potens fuerit, virtute a Deo impressa. Deo, vt repraesentaret in spiritibus vim, qua pollet mouendi corpora, perinde fuisse, vtrum eis daret corpus aliquod speciale et proprium, quo intercedente in alia corpora agerent, an vero statueret, eos solis suis desiderii in materiam acturos eamque directuros, neque enim alterum altero esse difficilius. Si creati nonnulli spiritus a Deo defecerint corpoream materiam, cui regendae praesuerint, non posse non euadere inordinatam, tenebrosam, corruptam, et in hoc ideo elemento corrupto et tenebroso posse suam potentiam eos exercere: mirum itaque non esse, si homo a Deo deficiat, quod potenter in eum mali spiritus agant. Causam itaque non esse, cur intellectus histrionicus in eneruanda Scriptura sacra tantopere desudet. Aliorum obiectiones breuitatis causa non adducemus, ea autem legi a lectore cupimus, quae pro eneruando Bekkerianismo ex philosophia attulit B. IO. FR. BYDDEVS ⁿ. Sed vt finem narrationis de fabula Bekkeriana faciamus, ad palinodiam canendam is tandem, iubente et cogente senatu Amstelodamensi, coactus est, ita tamen id facere tentauit, ne retractasse videretur. Quod cum mire proceribus displiceret, tandem suspensio prorogata, et cum sic quoque cedere pertinaciter recusaret, munere pariter atque communionem ecclesiae reformatae priuatus est mense Augusto anno MDCXCII. Vacauit tamen locus eius in ministerio vsque ad mortem eius, ipse integrum stipendium accepit, habebat enim inter proceres, qui eum tuebantur. Ita in sententia perstitit vsque ad obitum, qui III. Id. Iun. anno MDCXCVIII contigit, qui enim morti proximum resipuisse tradunt, a filio, qui obitus parentis historiam ^o edidit, refutantur. Vtrum autem eorum coniectura vera sit ^p, qui omnem eum spiritum defectorem neuagisse coniecerunt, rati, dicis tantum causa et ad leuandam inuidiam eum scenam hunc in modum instruxisse, difficile definire licet. Ipse enim aperte huic coniecturae contradixit; hypotheseos argumenta autem ab eo allata talia sunt, quae facile id nobis nec sine verisimilitudine persuadeant. Tutissimum ergo est in eo ἀπέχεν.

n) Phil. theor. P. VI. c. 2.
o) Amstel. 1698. 2.

p) BENTHEM. l. c. p. 113. THOMASIVS de
Crimine magiae §. 6.



CAPVT QVARTVM.
DE EMENDATIONE PHILOSOPHIAE
MORALIS RECENTIORIS AETATIS.

§. I.

*Conditio mor-
alis philoso-
phiae recen-
tiori aetate.*

A theoreticis disciplinis ad practicas progrediendo, quid in iis reformandis, emendandis et ornatiori vultu fingendis praestiterit aetas recentior, iam porro enarrabimus. Tripartitam autem voluerunt philosophiam Practicam Peripatetici, ethicam nimirum, politicam et oeconomiam, quae distributio partium disciplinae moralis vsque ad Grotii tempora et exspirantem fere Peripateticismum obtinuit. Ille enim cum si non omnium primus, certe praecipuus esset, qui doctrinam de officiis olim Stoicis non neglectam amplificandam et ad omne ius diuinum, et humanum, quatenus rationi innotescit, extendendam esse, elegantissimo specimine ostendisset, quem post Hobbesium secutus est Pufendorfius, noua inde philosophiae moralis pars accessit, quae ius naturae et gentium dicta est, quae tamen tantum abest, vt ab ethica separari debeat, vt non nisi vtraque parte sustentata consistere posse censenda sit, quamuis rectissime illi faciunt, qui de emendatione voluntatis, et fine, quo potiri cupit prius philosophantur, et his iuris omnis naturalis fundamenta atque regulas tum demum subiiciunt. Cuius ab ethica parte distincte historiam qui speciali tractatione enarrauerint supra indicauimus: et in antecedente quoque libro Hobbesium et Thomasio philosophiam delineando, vtriusque philosophi placita ius naturale concernentia iam copiose attulimus. Animus itaque hoc loco, vbi specialem scientiarum philosophicarum historiam non condimus, nobis non est, enarrare ea omnia, quae in ethica, iureque naturae praeciipienda esse recentior aetas monuit. Sed instituto inhaerentes, et viam diu iam tritam prosequentes ad ea hoc capite respiciemus, in quibus noua dare et eclectice philosophari de rebus ad mores siue internos siue externos, id est, ad ethicam et ius naturae spectantibus aetas coepit recentior. Id quidem maturius in morali doctrina, quam in reliquis philosophiae partibus factum esse, ex scriptis moralibus Fr. Petrarcae, Petri Pauli Vergerii, Hieronymi Cardani, aliorumque constare potest. Primus tamen, qui eclectice doctrinam moralem integro libro proponere, relicta via sectaria ausus est, fuit Michael Montanus, cuius *Tentamina moralia* certam nobis epocham doctrinae moralis eclectice traditae aperiunt, quamuis iustum sibi systema non formauerit: quod curatori diligentia tentauit, qui ex eius disciplina processit Petrus Charondas ^a, de cuius tamen rebus et scriptis in *antecedente huius Tomi parte*
iam

^a) Charron.

iam differuimus. Inter Germanos autem circa idem, quo inter Gallos vterque scriptor floruit tempus, Abrahamus Scultetus doctrinam moralem eclectice tradere coepit. A quo tempore gliscere magis igniculi latentes visi sunt, quam erupisse in flammam. Verulamio autem in hac quoque philosophiae parte lumina prorsus noua accendente, et Grotio ius naturae seorsim tractante, tandem nouus morali doctrinae sol illuxit, et ab eo tempore haud pauci in eo campo diligenter versati sunt. Quod qua ratione fecerint Hobbesius, et Cartesii aetate, tum recentiori aetate Christianus Thomaeus in praecedentibus fuse explicuimus. In praesentia vero eos strictim tangemus, quibus potissimum cultum eclecticum debet philosophia moralis, et tum demum enarrabimus, qua ratione Grotius et Pufendorfius, facto discrimine inter honestum, iustum et decorum, inter virtutis et officia in molienda noua iuris naturalis disciplina versati sint, quid susceperint effecerintque.

§. II. Ducendum esse initium philosophiae moralis eclecticae a MICHAELE MONTANO, comparatio scriptorum eius cum libris ethicis philosophorum, qui ante eum vixere, facile docere potest. Eius itaque hoc loco memoriam non praeteriri fas est, quae ex *Tentaminibus* siue *Periculis moralibus* collecta nonnullis editionibus praefixa est. Natus est in regione Petricoricensi anno MDXXXIII, generoso stemmate genitus. Parens, cum laboris et molestiarum patientiam, parsimoniam quoque et conuersationis cum humilioribus facilitatem ingenerari illi cuperet, inter huius conditionis homines eum educari curauit. Cumque consuetum modum ex grammaticorum praeceptis tradendi Latinae linguae cognitionem fastidiret, quod longum et taediosum iter esse crederet, aliam viam tenendam ratus, vsu et exercitatione illius facultatem comparare filio sategit. Quem in finem infantem adhuc et vix balbutientem, educationi docti cuiusdam Germani, qui postea medicae artis notitia clarus in Gallia obiit, commisit, qui, licet Gallicam linguam ignoraret, Latinam apte commodeque erat doctus, hisque alios duos iunxit, in eadem lingua satis versatos, qui prima loquendi conamina Latinis vocibus in filio adiuuarent, nec aliud verbum, quam quod e Latio profectum esset, illius auribus illabi paterentur, parentibus et familiaribus non nisi Latina vocabula, quae ideo memoriae mandauerant, coram puero pronuntiantibus. Ita factum, vt in praedio Montani Latium habitare videretur, ipse vero sexennis Gallicam quidem linguam plane ignoraret, Latinae vsu autem ita exercitatione quotidiana teneret, vt, qui disciplinae gratia illi postea admoti sunt viri docti Nicolaus Gruchius, Guilelmus Guerentus, philosophus Peripateticus, Georgius Buchananus et Marcus Antonius Muretus, alloqui eum Latine vix auderent. Graecae porro linguae notitiam ludendo illi comparare simili diligentia pater studuit. Sexennis puer ad haurienda scientiarum praecepta in gymnasium Burdegalense

Michael
Montanus.

lenſe miſſus eſt; in quo licet ſupremis claſſibus mox admoueretur, nec intermitterent praeceptores, quibus augeri doctiſſimi pueri lumina poſſe intelligerent, fecit tamen diuerſa inſtitutionis ratio, a parentis methodo, ludendo et ſponte inſtillando cuncta tradens, vt Montanus corrumpere-
tur magis, quam ſcientiis emendaretur. Adoleſcentiam porro licentio-
ſius eum egiſſe, ex eo intelligi poteſt, quod metuebatur, ne matrimonii
vinculis alligari ſe firmiter recuſaret: alit coniuſio inito in virili aetate,
tanta caſtimonia in eo vixit, vt ſupra ſpem omnem eſſet. Poſt parentis
obitum terras paternas haereditate accepit, quas ne ſumtibus exhauriret,
pater timuerat, qui tamen metus eum ſefellit. Vixit enim ex earum re-
ditibus commode, cum munus nullum affectaret, vnde poſſet diſcedere.
Equitis S. Michaëlis axiomate autem ſine emolumento gauiſus eſt, et ci-
uitatis Romanae ius in itinere diplomate ſcripto, non ſine inſigni gaudio
accepit. Burdegalenſis quoque ciuitas eum ſibi praetorem elegit, inui-
tum et reluctantem, quem magiſtratum non niſi regis mandato coactus
accepit, et biennio cum laude geſſit. Reliquum temporis ſibi ſerua-
uit, et ſtudiis ſuis, quibus vnice delectabatur, liberi enim, prae-
ter filiam vnicam, mature illi fato ſubducti ſunt. Vſus tempe-
ramento ſanguineo-cholerico, ſcribendi quoque et philoſophandi
rationem ex hac corporis animique diſpoſitione formatam tenuit. Vale-
tudine autem vſus eſt firma, licet a medicorum conſiliis abhorreret, tan-
dem calculi et colicae doloribus exhaustus, vel quod PASQUIERVS^b
refert, linguae vlcere enecatus menſe Septembri anno MDXCII, ſexage-
narius obiit. Aeternitatem nominis vero ſibi parauit immortalis *Tenta-
minum* ſive *Periculorum moralium* opere, quod non ſui tantum aevi ad-
mirationem ſed noſtri quoque temporis laudes meruit, dignumque viſum
eſt, quod obſeruationibus auctum in Britannia, Gallia, Belgio recudere-
tur^c. Argumenta in iſtis tentaminibus moralia ſibi auctor ingenioſiſſi-
mus ſelegerat, alit nec principiis certis, nec ſyſtematis ordini alligata, ſed
quodcunque ipſi occurrerat, in eo meditationis acumen figens, poſthabito
omni diſciplinæ fixae et ad certam normam exactae ſeueritate libere diſſe-
ruit, ingenii quod amoeniſſimum habebat, ductum et propenſionem vni-
ce ſecutus. Vnde non errant, qui eum eclectica ratione de morali do-
ctrina diſputauiſſe aſſerunt, modo cum philoſophis ſyſtematicis non con-
fundatur. Diligenter tamen Plutarchum et Senecam legit, ac haud raro
expreſſit, illius πολυζωρίαν, huius acumina imitatus, quin ſententias eo-
rum ita apte ſuis innectens, vt enatae apud eum videri poſſint. Ingenio
autem foecundo et imaginibus ſupra modum abundante vſus, vitam et
colorem meditationibus ſuis ſcribendo, ita attulit, vt licet dictio antiqua-
tis vocibus et Vaſconum duritie diſpliceat, cogitationum tamen iucundi-
tas innumeris varietatibus delectans politiſſimi ſaeculi noſtri laudes et admi-
rationem meruerit. Nullibi autem pedem figit, nec certum iter tenet,
ſed

b) Lettres T. II. L. 18. let. 1.

c) Lond. 1723. IV. Vol. 4, cum notis Coſtei. Paris 1725, 4. Hagae Com. IV. Vol. 12.

sed hos hortos ingressum lectorem mox ad deuia digressionibus deducit, at ita iucunda et virentia, vt erroris minime poeniteat: quo pacto dum imaginationis lumina miris vicissitudinibus ornat, excitat, auget, infatigabilem lectorem dimittit. Semper enim nouum aliquid et inexpectatum affert, quod lectorem detineat et admiratione repleat, tanta felicitate, vt ordinis neglectus et dicendi quaedam temeritas atque sententiarum nouitas virtutis laudem meruisse videri possit. Cuius testes sunt viri summi et accurato elegantiarum moralium sensu praediti, qui certatim laudibus opus ingeniosissimum extulerunt. Thuano enim immortale audit, Perrionio breuiarium ingeniorum elegantium, Lipsio auctor Thales Gallicus, Mezeraeo et Naudaeo Seneca Christianus, Schurzfleischio Socrates Gallicus dicitur, et innumeris hae dissertationes extolluntur' elogiis. Quae cum collegerint THOMAS POPE-BLOUNTIVS * et TEISSIERIVS ^d, heic, vbi breuitas sectanda est, lectorem ad hos fontes dimittimus. Ast qui tantas laudes meruerat, acerbissimis quoque a ciuibus suis censuris reprehensus est. Quidam enim libertatem dicendi Epicuri gregie tantum dignam castisque auribus grauem obiecerunt; nonnulli axiomata moralia deprehenderunt corrumpendis moribus nutriendaeque vitae licentiae aptissima; multi ordinis neglectum errantemque per recta, obliqua, certa, incerta, summa, ima, calamum culparunt, displicuit quoque quibusdam imaginationis nullis iudicii legibus coercitae furor, insigni morbi contagio lectorem corrumpens: iactantia autem de se ipso intolerabilis et paedagogica, ad nauseam vsque lectori molesta aliquibus visa est. Ipsa tandem philosophandi ratio incerta, dubia, et scepticismo fouendo aptissima, et principia quaedam impietatem nutrire et firmare apta execrabile nomen Montani nonnullis fecerunt, maxime illis, qui ex disciplina portus regii prodierunt, vt ex auctoris *Artis cogitandi* ^e, et MALLEBRANCHII ^f censuris, valde seueris et in confodiendo hoc scriptore acerrimis constat, quibus addi possunt, quae ab HVERTIO ^g aliisque scriptoribus Gallis ^h in eo solent culpari, quibus haud parum de pristina gloria Montanus amissit. A qua tamen censorum iniquitate, maxime vero Mallebranchii, qui denudasse Montanum et ingenii castigati laudem ei recte dubiam fecisse haud paucis visus est, liberare illustrem scriptorem annis est FONTEVIVANVS, edita *Apologia pro Montano contra iniurias scriptorum portus regii et Mallebranchii* ⁱ: similem operam contra *Artem cogitandi*, athe-

yy yy 3

ismi

^a) Cens. cel. auct. p. 819.

^d) Eloges des hommes savans T. IV. p. 167. seqq. Addendus his, qui ex illustribus BOUSSIERII *Memoriae de Vita et scriptis Michaelis Montani* pluscula exposuit IOLEYVS in *Elogiis nonnullorum Scriptorum Gallicorum*, Diuioni nuper editis.

^e) L. III. c. 20. p. 410. seqq.

^f) De Inquir. verit. Tom. I. L. II. c. 5. p. m. 271. seqq.

^g) De rebus ad eum pertinentibus p. m. 178.

^h) *ESPRIT de la fausseté des vertus humaines* P. II. c. 3. p. 26. MARVILLE *Melanges* T. I. p. m. 164. T. II. p. 32. T. III. p. 109. TEISSIER. L. c. et quos excerptit.

ⁱ) *Hist. des Ouvrages des savans 1700.* p. 132. conf. D'ARGENS, *philosophie du bon sens*, Diff. prel. §. 6. p. 19. cui miserandum iudicium tulisse Mallebranchius, iisdemque, quos in Montano reprehendit naeus scaterere dicitur.

ifini notam scriptori celeberrimo inurentem praestante CHRISTIANO THOMASIO ^k. Tacemus alia ex utraque parte dudum in medium adducta, quae SORELIVS ^l cumulavit. Nobis accuratae quidem philosophiae laudem, miscellanea haec non mereri, omnino concedendum esse videtur. Cum enim nec principiis certis auctor utatur, nec legitima ratiocinatione conclusiones deducat, sed innumeris ingenii lasciuientis saltibus discurrat, nullibi sedem figens, et intentum animi oculum adhibens, certam inde et solidam morales doctrinae rationem exoriri non potuisse, quilibet, philosophandi methodum edoctus, facile intelligit. Nocuit quoque scriptori igneo et cogitationum vbertate emicanti imaginationis ferocia et ardor, quo ad genuinam rerum ad animi mores pertinentium indolem sine fuco et phaleris adhibitis attendere impeditus est. Lectionis autem in veterum scriptis versatae affectata ostentatio haud parum nostri seculi sensui moribusque contraria, non potest non paedagogica illis videri, qui ad nostri temporis morem scriptorem duobus fere seculis antiquiorem exigunt, vel philosophemata accurata, et nexu suo iuncta in eo quaerunt. Negare quoque ausus non est P. BAYLE ^m, (quem tamen librum istum in iuventute prae omnibus aliis deperiisse et Pyrrhonismi praeceptorem habuisse, in eius vita supra monuimus) esse haud pauca a scriptore illustri dicta, quae vel Scepticismum nutrire, vel animi castimoniam corrumpere apta videri possint. Tacemus alia, haud facile excusanda. Ast nec ideo vel laude omni indignus, nec ex scriptorum illustrium, deque philosophia morali bene merentium numero expungendus esse recte censetur. Vt enim taceamus, Montanum non aliis, sed sibi scripsisse, nec voluisse inter doctores morales comparere, hocque pacto negligentiam illam, et mentionem de se ipso frequenter factam, posse excusari; quaedam deteriora videri, quam ex auctoris sententia dicta sunt; nonnulla temperamento luxurianti et nullis disciplinae iustae repagulis coercito adscribenda et condonanda esse; fatendum etiam est, artes et dolos animi sibi ipsi saepe ignoti et affectibus ducti eum haud raro feliciter detexisse, et magna sinceritate descripsisse ⁿ; veterumque observationibus in suos usus miro et nativo artificio traductis adiutum praeclara multa eleganter monuisse, et inter haud pauca, quae naevo et offensione non carent, utilissima quoque quam plurima et a prudenti lectore non negligenda attulisse. Ipsi porro morbi eius aliquid habent, quod eos gratos faciat: negare enim non potuit Mallebranchius, naevos eius aliquid boni admixtum habere, et falsas quoque notiones et axiomata luce quadam radiare: sermones methodi legibus carentes argumenti tamen animo concepti elegantia se commendare, nativamque solertiam, et lumen quoddam per totum librum

coru-

k) Diff. de Praejudiciis T. III. Cauf. Iurid. mixt. conf. Colloq. menstr. 1689. p. 678. 998.

l) In Bibl. Gallica p. 80. seq.

m) Lettr. T. I. p. m. 5. Eclairciss. du Diction. T. IV. p. m. 655.

n) Conf. MARVILLE l. c. T. II. p. 32. qui in eo excel-

coruscans summopere delectare. Ita vero exscriptorem agere, ut e proprio penu defumisse videatur *. Qui autem Atheismum, Epicureismum, Libertinismum et similia flagitia ei obiciunt, mirati, tam diu per leges licuisse orbem libro venenato obambulare, omniumque passim manibus terri, illos eleganter monuit ven. REIMMANNVS °, *dandum aliquid esse in censum eruditorum nunquam relato, et suum hunc foetum pro immatura habenti, et lectoris submittentis iudicio: et si quae liberius scripta sint, interdum ea vel commoda interpretatione temperanda, vel obelo notanda; neque ob maculas nonnullas vniuersum corpus repudiandum, imprimis cum manifesta atheismi vestigia in eo non deprehendantur.* Alia pro Montano hac de re adduxere SORELIVS et THOMASIVS †, qui consulendi. Fatemur tamen, prudentem et cautum lectorem, et accurate in morali doctrina versatum, librum hunc poscere, ne differendi nouitate et insolenti audacia atque elegantibus et dulcibus his vitiis inescatus, pretiosum a vili, rectum ab obliquo, verum a falso discernere impediatur. Mirum autem est, in tot naeuis a viris doctis reprehensis librum tamen vbique lectum, commendatum, nec censura publica notatum, Charondam, qui complura ex his scaturiginibus in latifundia sua deduxit, aut ordine scripsit, impietatis accusatum esse. Quod ideo euenisse coniecit P. BAYLE ‡, quia in diffusa nulloque ordine constricta tractatione Montani latens venenum non facile detegi possit, Charondas autem, qui iustum doctrinae aedificium ex hac materia disiecta exstruxit, periculosas assertiones manifestas fecerit. Nobis verisimilius est inuidiam, quae Charondam eloquentiae laude in aula et vrbe frequentissima florentem pressit, accusari posse, quae Montanum rure sibi viuentem perfequendi causam non habuit.

§. III. Quod inter Gallos eo tempore Montanus, et iusto philosophiae habitu Charondas in doctrina morali moliti sunt, inter Germanos tentare aggressus est ABRAHAMVS SCVLTTETVS, theologus Heidelbergensis, variis ingenii monumentis clarus, et nonnullis momentis in historia belli ciuilibus, quae superiori seculo Germaniam vastauit, memorabilis, de cuius vitae circumstantiis praeter alios videndi REIMMANNVS ° et FREHERVS †. Is enim rogatu duorum equitum Silesiacorum anno MDXCIII Lugduni Batauorum duos ethicorum libros edidit, in quibus arida Aristotelis deserta vitauit, et amoeniores campos eclectica libertate ingressus est. Is totum doctrinae morales ambitum duobus capitibus absoluit, quorum prius de vita recta, posterius de vita felici agit. Et in priori quidem tractatione finem hominis definiendo eiusque partes explicando, virtutem ad vitam rectam necessariam ita enarrat, ut

*Abrahamus
Scultetus ec-
lectice de
moribus
scribere co-
natus.*

excelluisse Montanum putat. Conf. STOLLIVS
Hist. lit. P. III. c. 1. §. 55. p. 613 seqq.
*) Conf. Menagiana T. I. p. 305.
c) Hist. Atheismi S. III. c. 5. §. 15 p. 404. add.
BVDDEVS Theol. de Atheismo c. 1. §. 25.

p) locis citatis.

†) l. c. p. 655.

g) Hist. lit. Germ. P. IV. p. 598.

r) Theatr. p. 424.

quae eius caussa sit procreans, quae pietatis, quae probitatis ratio, et quomodo, illa virtutes Deum respicientes absoluat, haec recte viuendi regulas tum erga nos ipsos, tum erga alios suppeditet, exponat: quo pacto plerasque virtutes indice, eo quem Stagirita dedit, longe pleniori describit, et eas quoque adducit, quas Peripatetici omittere solent, patientiam, parsimoniam, humilitatem, innocentiam, gratum animum, iustitiam propriam. Posteriori parte felicitatem gaudio animi, corporis sanitate, fama integritate, et vitae sustentatione absolui contendit. Ex quo intelligitur, eum officia simul cum virtutibus esse in ea tractatione complexum. Laudandus quoque in eo est, quod doctrinam moralem philosophicam cum Christiana comparauerit; quamuis multa deesse quae ad philosophiam moralem requiruntur, ob temporis illius conditionem non sit mirandum. Dignus itaque libellus visus est MARCO FRID. WENDELINO, cuius ductum in condendis *Philosophiae moralis commentariis* sequeretur. Qui si more Sculteti ab inutilibus quaestionibus abstinuisset, felicius hos passus secutus fuisse iudicari posset; quamuis diligentiae et lectionis multae laudem ei denegandam haud esse censeat cel. STOLLIVS ¹.

*Incrementa
philosophiae
moralis eccl-
esticae.*

§. IV. Aurora tamen haec modo fuit, diei instantis praenuntia, nondum enim plena lux exorta tum fuit: quam, si verum fatendum, illustrissimo Verulamio debemus, qui in morali quoque argumento desipere philosophos, et elegantiores veritates sequi in *Sermonibus fidelibus* bonae frugis plenis docuit. Cuius conatus et consilia cum supra in eius vita descripserimus, hoc loco actum non agemus. Non id volumus, ante Verulamium nihil in morali argumento nouum tentasse philosophos; illius enim contrarium innumerae tractationes morales testantur, quae relictæ sterili aretologia Peripatetica, alia via animum morum praeceptis instruere sategerunt. Quem campum ingressi sunt, qui apologis, (quibus fabulae Milesiae et Romanenses, quas vocant, addi possunt,) satyris, characteribus et notationibus, praeceptis et παραθέσει, aphorismis, gnomis, adagiis, apophthegmatibus, symbolis, emblematis, hieroglyphicis, aenigmatibus, inscriptionibus, paradigmatis aliisque, quae ad exotericam docendi rationem referri solent, methodi generibus emendationem voluntatis morumque formationem iuuare studuerunt. Quorum conamina cum erudita tractatione delineauerit, et cum veterum ea in re industria comparauerit doctissimus PASCHEVS ², eum ab illis legi velimus, qui haec pluribus nosse cupiunt, certi haud exiguam lucem eius lectionem in historia philosophiae moralis esse allaturam. Sed hoc nobis loco de iis potissimum sermo est, qui iusta methodo emendare philosophiam moralem sunt aggressi. Quorum tamen nomina hoc loco, vbi bibliothecam scriptorum philosophicorum non scribimus, excitare opus haud est, cum ex virorum praestantissimorum REIMMANNI, STRV-

VII,

¹) l. c. P. III. c. 1. §. 56. p. 619.

²) De variis modis tradendi moralia. Kilon. 1707. 4.

VII, STOLLII indicibus in libris notissimis suppediat, nobis non momentibus, ea hauriri queant. Praeterea nos quoque in antecedente tractatione haud pauca, quae huc pertinent, iam delibauimus, et quae theosophici nonnulli in hoc argumento praestiterint, itemque Vayerius, Gassendus, Hobbesius, Thomafius, Buddeus, Geulincxius, Gundlingius, Rudigerus, aliique annotauimus, quae hoc loco repetenda sunt. Adhi his possent plures, si specialis ethicae historia enarranda esset, et imprimis memoranda merita sociorum portus regii, de doctrina morali, inter quos in hoc argumento maxime eminuit elegantissimus Nicollii " calamus. Sed haec prolixiora sunt, quam quae locum hic capiant. Non tacendum tamen, quod opportune monet cel. STOLLIVS *, VINCENTIVM PLACCIVM, qui ex celeberrimorum virorum Ioachimi Lungii (quem inter ecclesiasticos numerat LEIBNIZIVS *) Petri Lambecii, Michaelis Kurstenii, Io. Christophori Schraderi aliorumque disciplina, quam in Academiis, Helmstadiensi, Lipsiensi, Patauina hausit, ad philosophiae moralis professionem in gymnasio Hamburgensi processit, primum fuisse, qui ethicam systematicam ecclesiastico vultu habituque inter Germanos prodire iusserit. Quamuis enim a Peripateticis philosophiam didicerit, relicto tamen Aristotele in physici Cartesium secutus est, in argumento morali, dicis causa Aristotelem non plane ex scholis ethicis exterminans, ecclesiasticam methodum adhibuit. Visum autem viro doctissimo, medicorum filios imitandos esse, voluntatemque, quam aegram esse, et cui medicinam a philosophia morali parari sciebat, ita considerandam, vt explorata eius natura et facultatibus morbi detegerentur, et ad quem sanitatis gradum, quibusue remediis perducere possit, describeretur. Quae methodus medica non ignota quidem fuit veteribus, vt alibi iam a nobis notatum, est neglecta plane, donec Placcius eam haud infeliciter in vsum deduceret. Factum id edito *Typo accessionum moralium seu institutionum medicinae moralis desideratorum eius scientiae, cum primis vero praeceptorum emendandi semetipsum elementa pariter proponente, Hamburgi MDCLXXV*, qui liber vernacula quoque postea prodit. Quae medendi methodus cum valde commoda visa esset B. BVDDEO, eam in *Philosophiae practicae parte prima* sequendam esse statuit. Sed et aliis meditationibus moralem disciplinam iuuare Placcius satagit. Debemus enim ei

Philo-

u) Conf. BAYLER Diſt. T. III. art. Nicolle p. 501. qui eius tentamina moralia inter optimos libros numerat.

x) l. c. c. 4. §. 22. p. 677.

y) Epp. Vol. IV. p. 188. Patriam habuit Lubecam, 1587. Ramaeam logicam Giesſae docuit, et postea metaphysicam et mathemata: tum arti salutari se tradidit, Parauii med. D. creatus. Postea Rostochii et Helmstadii docens, is visus est, qui Gymnasio Hamburgensi Rector et Professor phy-

sicae et logicae praeficeretur, denatus 1657. m. Sept. Valde extollunt eius eruditionem et doctrinam, maxime in physici, viri docti vid. Leibniziana p. 414. et in Epistolis passim, BOECLER, Bibliogr. crit. p. 590. Parum placuit ei Aristoteles, licet diligenter eum legisset, conf. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 9. p. 57. L. II. P. I. c. 12. p. 217. ecclesiasticae autem philosophatum fuisse ex eius doxoscopia physica patet, quam edidit MAR. FOGELIVS 1662. Conf. cel. A. SEELEN Athenae Lubecenses.

Philosophiae moralis plenioris fructum praecipuum, qui est eius ope philosophiam non sufficere beatitati solidae vlli constituendae, nedum acquirendae: reuelationem vero diuinam ei necessariam certisque signis, in sola religione Christiana deprehendendis, a falsa qualibet superstitione distinctam, non posse non existere, Helmstadii MDCLXXVII. Tacemus scripta moralia alia, partim edita, partim nondum vulgata, de quibus et vitae atque scriptorum Placcii historia consulendus est, qui *Biographiam eius theatro pseudonymorum et anonymorum* praemisit IO. ALB. FABRICIVS. Ceterum neque hoc praetermittendum, fuisse Placcium si non primum, certe inter primos, qui ethicam a iure naturae distinxerit, et suos cuique limites definiuerit. Factum id in *Accessionibus ethicae, iuris naturalis et rhetoricae ex triplici maiori systemate elaborato per vitam omnem et porro in dies elaborando excerptis.* Quin et methodum medicam ad *Iurisprudentiam naturalem, publicam, et priuatam* transfereudo, iuris naturae emendationem promouere studuit. In quo tamen faxo voluendo omnium lumina extinxerunt Hugo Grotius et Samuel Pufendorfius, qui duumiri cum insignibus accessionibus moralem doctrinam, quae de officiis et iure tractat, locupletauerint, digni omnino sunt, quorum paulo plenior enarretur philosophica historia.

*Scriptores
historiae H.
Grotii.*

§. V. Valde commendauit famam HUGONIS GROTHII et immortale eius nomen fecit singularis prorsus et praestantissima eruditio, qua meruit vniuersi orbis eruditi consensu inter principes viros doctos referri ^z. Inde factum, vt a multis res ad eius historiam literariam pertinentes tangerentur. Et ipse quidem in *Apologetico* haud contemnendam eorum partem, quae ad ipsum pertinent, quaeque ob remonstrantium partes susceptas pertulit, enarravit ^a, in *Epistolis* vero ^b, quae pleraeque ad familiaria scriptae sunt, haud pauca tetigit, quae historiam vitae eius mire illustrare possunt. Ex his aliisque fontibus hauserunt narrationem suam anonymus in *vita Grotii*, IO. IAC. SCHVDTVS, in *vita Hugonis Grotii, succincte enarrata, variisque rerum memorabilium annotationibus illustrata* ^c, P. BAYLE, in *vita Grotii Dictionario Critico* inserta; et postea scriptis Grotii quoque praefixa ^d, et *Versioni* quoque *Germanicae libri de I. B. et P.* praemissa a SCHVZIO, tum scriptores historiae literariae FREHERVS ^e, MEVRSIVS ^f, BATTESIVS ^g, WITTE ^h, REIMMANNVS ⁱ, NICERONIVS ^k, CLARMVNDVS ^l, vt eos taceamus, qui annales ecclesiasticos et ciuiles recentioris aetatis condiderunt, et Arminianae

^z) BAYLE l. citando, POPE-BLOUNT. Conf. eel. auct. p. 995. Vindiciae Grotianae P. II. pag. 596. seqq.

^a) Conf. Cat. bibl. Reimmann. p. 676.

^b) Amstelod. 1687. 1700. fol. editis.

^c) Francof. ad Moen. 1722. 8.

^d) Vid. Nov. lit. Lips. Vol. I. p. 169.

^e) In Theatro vir. cl. p. 1103.

^f) In Athenis Batauis.

^g) In Vitae selectis p. 240.

^h) Memor. philos. p. 554.

ⁱ) Hist. lit. Germ. P. VI. p. 6.

^k) Mem. de lit.

^l) Vit. P. III. c. 12. addi his potest cel. IOACH.

LANGVVS qui libro GROTHII de Satisfactione Christi reculo vitam eius quoque praefixit.

minianaë sectae historiam tetigerunt *. Maxime vero in accurate enarrandis rebus ad Grotium pertinentibus eminuit diligentia duorum virorum doctissimorum, Belgae et Germani. Et in Belgio quidem, doctissimus ex Remonstrantium coetu scriptor CASPAR BRAND vitam Grotii vernaculo sermone prolixè enarrare coepit, affectam ad finem perduxit, qui in eodem coetu doctoris munere functus est V. C. HADRIANVS CATTENBURGIUS, quae biographia ita viris doctis placuit, vt recuderetur †. Inter Germanos autem, anonymus quidam, vulgavit anno MDCCXXVII Delphis Batauorum, quod titulus quidem habet, *Hugonis Grotii, Belgarum phoenicis manes ab iniquis obrectationibus vindicatos, accedit scriptorum eius tam editorum, quam ineditorum conspectus triplex*. In quo eleganti libro historia Grotii accurate traditur, cunctaque ex monumentis fide dignis enarrantur, multa vero insperguntur, quae ad historiam temporis quo Grotius vixit, pertinent. Nec historia tantum Grotii in hoc commentario recensetur, sed character animi, librorum catalogus, eruditorum censurae, quaeque alia ad notitiam Grotii literariam facere possunt, pulchre et concinne exponuntur. Nos digitum potissimum ad ea intendemus, quae tractationi nostrae propria sunt, quaeque sufficere possunt, vt intelligamus, quid philosophia moralis Grotio debeat. Reliqua strictim, quantum scilicet ad noscendam eius vitae historiam erit necessarium, tangemus.

§. VI. Vitalem auram primo hausit illustris HVGO GROTIUS Delphis Batauorum in ipso Paschatos festo anno MDLXXXIII, parentibus satus Ioanne Grotio I. V. D. et consule eius ciuitatis, academiae Leidensis curatore, et comitibus Hohenloicis a consiliis, matre editus Alida ab Ouerfchin, familia ex vtroque parente nobili ^m. Auus enim Grotiorum, id est magnorum, nomen primus familiae Cornetiorum, (hoc enim auitum nomen fuit) intulit, pater viris inter eruditos summis I. LIPSIUS ⁿ, IANO DOVSAE aliisque ob doctrinae laudem fuit commendatissimus. Admodum puer diuini, quod nactus erat ingenii specimina singularia prorsus et inuitata prodidit, quae comouere parentem, vt maxima industria illud coleret, omnemque in id curam conuerteret, vt mature disciplinarum elegantiorum cultura formaretur. Quam tanta auiditate puer admisit, tantaque felicitate praeceptis disciplinarum humanitatis se imbui passus est, vt nouem vix annos natus, elegantes versiculos faceret, quin tragoediam scribere aggrediretur, eaque pangendi carminis facilitas, et artis fingendi praestantia illi inesset, quae maximos in arte poetica viros, Vrbanum VIII. P. M. Danielem Heinsium, Dominicum Baudium, Ianum Doufam admiratores haberet ^o. Ita cum

H. Grotii
vita.

Z z z z 2

prae-

*) Add. LOVIS AVEERY DE MAVRIER Mémoires pour servir à l'histoire de Hollande. Obs. Hal. T. VII. p. 330. IO. FABRIC. Hist. bibl. suae T. I. p. 316. LE VASSOR Hist. Ludou. XIII. L. 12. alit.

†) Dordraci 1732. II. Vol. fol.
m) Stemmatis Grotiani tabulam exhibet Grotius vindicatus p. 3. feqq.
n) Vid. Cent. I. ep. misc. p. 22.
o) Exempla hsbes l. c. p. 9. feqq.

praematura feget messem omnium spe atque votis superiorem promitteret, ad augendas animi dotes et maturandam doctrinam praestantissimam adulescens nondum duodecennis in academiam Leidensem missus est. Quod artium et disciplinarum stadium magna alacritate ingressus, tanto ardore absoluerit studuit, ut in theologiae, iurisprudentiae, matheos aliarumque scientiarum cursu alios longissime anteuertet. Cumque in ea academia theologiam tum doceret Ioannes Vytenbogardus, cuius celeberrimum postea inter Remonstrantes nomen fuit, ei potissimum in discenda doctrina sacra adhaesit, indeque Arminii partibus fauere coepit ^p. Eruditionem philologicam autem, usus doctore illarum literarum magno Scaligero ita roborauit, ut quindecim annorum adulescens MARTIANVM CAPELLAM notis et obseruationibus suis illustratum, edere posset, ea ingenii felicitate usus, ut non tantum sui temporis criticis ex asse satisficeret, sed et libellus ad nostra tempora aetatem ferret ^q. Eodem aetatis anno, qui fuit aerae Christianae MDXCVIII, cum legato Batauo Ioanne Oldenbarneueeld in Galliam profectus, summos iurisprudentiae honores accepit, virisque doctis valde charus, ipsique regi Henrico magno acceptissimus fuit, qui gratiosum eum apud ipsum esse torque aureo testatus est ^r. Annis vero adhuc immaturus cum ingenii maturitate et iudicii atque doctrinae praestantia viros superaret, scilicet annorum XVII iuuenis aduocatus fisci cum salarii augmento constitutus, et anno MDXIII, aetatis XXX, reipublicae Roterodamensis syndicus et consiliarius, Eliae Oldenbarneueeldio successor datus est ^s. Quod munus grauissimum humeris quidem suis imponi passus est, ast ea conditione, ut pellere locoque moueri eum non liceret, eo quod turbas Arminianas iam tum satis praeuideret. Ediderat autem iam anno MDCIX libellum *de Mari libero* inque eo causam Batauorum defenderat ^t, libro quoque *de Antiquitatibus reipublicae Batauae* praeclare de patria meruerat. Dignus itaque visus est, qui litibus inter Britannos et foederati Belgii ciues de navigationibus Indicis hoc anno valde efferuescentibus componendis reipublicae nomine legatus ad magnae Britanniae regem mitteretur. Quam illustrem spartam ita in aula Iacobi I. ornauit, ut non modo commercii Indici iura ciuibus suis strenue vindicaret, sed et regis sapientissimi et viris doctis egregie fauentis beneuolentiam profus singularem consequeretur. Inque ista apud Britannos mora occasionem nactus est amicitiae familiaritatem cum Isaaco Casaubono ineundi. Redux ex Anglia Grotius patriae statum

p) Apologet. p. 29. Conf. Epp. Remonstrant. p. 340. seqq. ex quo loco constare potest, quanta familiaritate hoc theologo Grotius usus fuerit.

q) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. III. c. 15. §. 4. p. 640.

r) Grot. vind. p. 18.

s) Ita vero assessor quoque ordinum Hollandiae, et postea foederatorum delegatorum factus est.

t) Respondit Grotio Io. SELDENVS, Grotio valde aemulus, in mari clauso, siue de dominio maris libris duobus, Lond. 1635. pro Grotio con-

tra hunc pugnantibus Theodoro Graswinckelio, Isaaco Pontano, aliisque, vid. Bibl. iur. imperant. c. 3. pos. 1. §. 3. 4. p. 233. Inter Lusitanos quoque NICOLAUS FERNATIUS ei opposuit, Mare non liberum, seu demonstrationem iuris Lusitanici ad Oceanum et commercium Indicum; quod tamen ineditum mansit, itemque SERAPHINVS DE FREITAS, de iusto imperio Lusitanorum Astatico aduersus Grotii Mare liberum, vid. STREVII Bibl. philos. c. 8. §. 10. Bibl. Grotiana in Grot. vind. p. 727.

statum profus immutatum et periculis plenum deprehendit. Cooperant enim latentes hactenus controuersiarum Arminianarum igniculi in apertam flammam indies magis erumpere; eo vero loco inque eo munere positus erat Grotius, quo huic incendio restinguendo subtrahere se non posset. Non est huius loci, acerbis lites et insignes turbas, quae non ecclesias modo sed rempublicam quoque Belgii foederati tum repleuerunt, et haud parum calamitatum excitarunt, enarrare, quaeque inter Remonstrantes siue Arminianos et Contra-Remonstrantes, siue Gomaristas eo tempore magnis animorum diffidiis et minime laetis ciuium tumultibus acta sunt exponere, ea enim ex annalibus ecclesiasticis illisque fontibus, quibus notitia Arminianismi nascentis et adolescentis enarrari solet, dicenda, et scripta BRANTII ^u, LIMBORCHII ^v, HALESII ^w, GROTTII ^x, itemque *Epistolae Remonstrantium*, quaeque contra illos eo tempore edita fuerunt, consulenda sunt ^y: sufficit enim ob narrationis seriem annotauisse, ita reipublicae rebus se immiscuisse turbas has ecclesiasticas, ut magni inde in ciuitate motus orirentur. Mauritius enim princeps, qui videbat plebem, maxime Gomari factioni acerbae et inquietae, adhaerere, has sibi partes eligendas firmandasque esse censuit, quod ita auctoritatem et potentiam suam mire sustentari posse intelligeret, Oldenbarneeldius autem, qui funestas has lites fore reipublicae praesenserat, temperandum feruorem Gomaristarum, et iuuandam causam Remonstrantium, conciliata tolerantia ratus, plurimum mouerat, ut violentia omnis abesset, pertraxeratque alios summos in ciuitate viros in has partes, ut cauteri, ne quid detrimenti respublica et libertas ciuium caperet, Arminii partes tuerentur. Eandem itaque rationem sibi tenendam esse ratus Grotius, consilia pacifica, et extinguendo incendio, quod iam iam mire ardebat, apta suggerere, iram tantis animis conceptam frangere, paci, tranquillitati libertati publicae adesse, et rempublicam a periculis, quae ex infelici hac controuersia imminebant, defendere omnibus viribus satagit. Magno id Grotii malo euenit, cui patriae libertatis amor libertatem patriamque abstulit. Valde irritauerat Grotius iam ante Gomarum impotentis animi virum scripto eleganti carmine in mortem Iacobi Arminii ^z. Mauritiū autem indignationem, partes Oldenbarneeldii secutus, meruerat. Qui princeps cum auctoritate sua praepotentes Belgii foederati ordines permouisset, ut factionem illam vi extinguere constituerent, rebus omnibus ad tumultum spectantibus, potentissima Arminianae partis capita capi, Oldenbarneeldio capitis sententiam dici, Grotio carceris ad dies vitae poenam irrogari, placuit, et Arminiana factio in synodo Dordracena valde oppressa est. Qua mire fracta, Olden-

Zz zz 3

barne-

u) In Vita Iac. Arminii cum notis I. L. Mos-
HEMII recusa Brunsv. 1725. 8.

v) In Historia vitae Simonis Episcopi, Amst.
1701. 8. edita, libro rarissimo.

w) In Historia conc. Dordrac. cum Obs. Mos-
HEMII, Hamb. 1724. 8.

x) In Apologetico.
y) Acta publica huc pertinentia enarrat bibli.
Grot. l. c. p. 702. z) Vid. BRANT. l. c. p. 205.

barneueldius capite plexus, Grotio lis mota et iniquis rationibus promotus est. Quamuis autem et ordines Hollandiae se violentiae huic opponerent, et legatus Galliae Benedictus Auberius Maurerius regis sui nomine intercederet, euitare tamen sententiam Grotius non potuit, eo quod veniam deprecari, nullius sibi sceleris conscius detrectaret. In arcem itaque Lupensteniensem captiuus anno MDCXIX abductus, carceribus perpetuis damnatus est, bona fisco publico addicta sunt*. Multa et grauius in eo carcere contra ius fasque pertulit Grotius, et fortunae iniquitatem non sine graui calamitate sensit. Ast cum iustam sibi causam esse intelligeret, et tum pietatis tum philosophiae praeceptis pectus muniuisset, vere philosophum et Christianum in hac aduersitate se praestitit. Tempus enim non irae et vindictae cogitatione, sed cogitationibus piis et meditationibus sanctis, tum literarum studiis, in quibus iam tum egregie erat versatus, sefellit, cuius specimen dedit non modo *Eclogis Stobaeanis*† elegantiori Latino habitu donatus, sed et staminibus aurei libelli de veritate religionis Christianae tum inceptis. Cum enim ista rerum suarum aduersitate mire ad religionis Christianae praestantiam agnoscendam perduceretur, rem otio suo et argumenti diuinitate dignam reputauit, si eius veritatem demonstrare suscipere. Nobilissimum itaque argumentum primo versiculis Belgicis comprehendit, ut haberent nautae ad infidelium terras discedentes, quod et facile memoria tenerent, et ad capiendos infidelium animos feliciter adhiberent: postea vero cum Parisiis degeret, Latino carmine expressit, et tandem refectum, prosaque expressum ac annotationibus illustratum in vulgus exire passus est. Quae meditationes carcerales tanto omnium bene reipublicae Christianae cupientium applausu exceptae sunt, ut in Gallicam, Germanicam, Anglicam, Danicam, Suevicam, Belgicam, Graecam, Arabicam^a, Persicam, Indicam et Sinensem linguam conuerterentur. Cuius tamen praestantissimi libelli historiam prolixiorum hoc loco tradere non licet: unde rogamus lectorem ut ven. KOECHERI^b, cui elegantem praestantissimae tractationis editionem debemus, historiam huius libelli adeat, in qua cuncta pulchre prolixique enarrata sunt. His intentus totusque diuinorum oraculorum et philosophiae studiis immerfus dum de libertate tantum non desperat, prouidentia diuina de eius liberatione sollicita pietatem uxoris Mariae Reigersbergiae excitauit, ut ausu plus quam virili, et pietate aeternam nominis gloriam promittente, de liberando marito cogitaret. Postquam enim ultra sesquiannum in carceris squalore delituerat, agitatis consiliis variis, tandem

*) Historia carceris Grotiani discenda ex Apologetico, ЛУМВОРСКИО l. c. p. 116. Grotio vindicato P. I. p. 25. 128. seqq. 173. 193. ex epistolis Grotii aliisque l. c. laudatis.

†) Vid. Biblioth. Grot. l. c. p. 659.

a) Ex hac versione a РОССОКТО facta enata Iacobo Sponio et Georgio Whelero, qui eam in

Oriente viderunt, occasio Grotium accusandi, quod ex Arabico libellum descripsisset. Conf. FABRIC. Syllab. de V. R. C. c. 30. p. 551. seqq.

b) In Anal. sive Diss. Epist. historiam libelli Grotiani de V. R. C. complectente conf. Grotian. bibl. p. 800. FABRIC. l. c. p. 549. Cat. Reimann. p. 1065. Hist. bibl. Fabric. P. I. p. 294.

tandem arcae, quae ad deportandam suppellectilem hactenus multoties adhibita fuerat, inclusus ab vxore, sicque ex carceris latibulis, velut librorum farrago quaedam exportatus, vxore in carcere remanente, Gorichemum vicinam delatus est, anno MDCXXI, XI. Cal. April. Vbi aperta arca prodiens Grotius induto coemeterii cuiusdam habitu apprehensa- que manibus trulla oppido elabatur, et Valouicum primum in Brabantia, deinde Antwerpiam dilapsus est, quo tamen loco occultus quoque vixit ^e. Dicitur fati non potest, quantum ex hac mirabili liberatione gaudium conceperint, non modo Arminianae factionis affectae, sed et viri passim docti, qui certatim et epistolis et carminibus disciplinarum fortunae gratulati sunt, quod tantum illis decus esset conseruatum, vt ex iis, quae luserunt in Grotium ^d eiusque coniugem Erycius Puteanus, Caspar Barlaeus, Petrus Ianninus alique non sine iucunditate intelligi potest. Ita liberatus memorabili coniugis fide, quae maritum aegrotare sinxerat, et in custodia remanserat, libera tamen postea non sine ingenti editi facinoris gloria dimissa est, commendatus a Maurerio Lutetiam per deuia tendit Grotius, postquam de diuina liberatione epistola ad Ordines Belgii foederati data perferipisset, et ne sic quoque ex amore patriae quicquam sibi decedere se passurum esse, significauisset. Lutetiam delatus de sede tuta sibi, vxori et liberis dispiciens, a cancellario regni Guilelmo du Vair ad regem perductus et ab eo beneuole exceptus et annuo donatio honoratus est. Nicolaus Peirescius autem, quem non Moecenatem modo, sed parentem eruditi tum nacti erant, in deuinciendo sibi Grotio beneficiis certauit: ipse insigni gaudio vxorem lectissimam liberosque et suppellectilem tandem recepit. In Gallia iam sede fixa ad pristina literarum studia se recepit, neque erga ciues suos atque patriam quicquam ex pietate studioque remissit, consilioque et auxilio administratorum quorundam regis vsus, eum pro partis oppressae auxilio et solatio est deprecatus. Id quod tamen tanta animi continentia fecit, vt dixisse feratur rex Galliae: mirari se virtutem hominis, qui tam male in patria habitus, non desineret tamen ei subditisque eius bene velle, immo quocunq; etiam posset modo, benefacere. Et illi quidem, qui res foederati Belgii in aula regis curabant, nihil intentatum reliquere, quo infestum ei regis animum redderent: ast, et fati nota erat persecutio, quam Grotius perpeffus erat, et ita rem omnem edito *Apologetico* ^e manifestam fecerat, vt, qui non omni rerum sensu destituebantur, facile intelligerent, quam iniquis modis ille habitus fuisset. Quamuis autem in Gallia securus latibulum inuenisset, non defuerunt tamen

c) Historiam liberationis suae ipse narrat in *Apologetico* c. 18. p. 302. cuncta eleganter enarrantur in *Grotio vindicato* p. 207.

d) Vid. *Epp. Remonstrantium* 387. seqq. pag. 653. seqq.

e) *Apologeticus* eorum, qui Hollandiae, West-

Frisiaeque et vicinis quibusdam nationibus ex legibus praefuerunt ante mutationem anni 1618. quo ea referuntur, quae aduersus H. Grotium et alios facta iudicatae fuerunt, Paris 1622. 8. et saepius. conf. *Bibl. Grot.* p. 714. seqq. Etiam Belgice liber prodiit, qui proceres Belgii foederati valde irritauit.

tamen, quae animum deprimerent. Nam et fama, quod veniam ordines Belgiae foederati deprecatus esset, eum mordebat, ad quam ne in carcere quidem, ut libertatem redimeret, induci potuerat; cui dicto Apologetico occurrere statuit, quod ita vulneravit partem aduersam, ut edicto publico vendi prohiberetur: et infidiati illi sunt aduersarii certatim, in id coniurantes, ut molestiis eum afficerent: et uxoris ac liberorum morbi in aere peregrino valde eum affligerunt, et congiarium regium, inuidorum calumniis et Richelii cardinalis indignatione illi subtractum est, et synodus Charentonenfis eum communione ecclesiae reformatae exclusit, eo quod Arminianos secutus Dordracenae synodi decretis subscribere noluisse. Ast qui carceris molestiam et infamiae publicae contemptum magna patientia tolerauerat, in his quoque ferendis non philosophum modo, sed Christianum quoque se demonstravit, et legendo atque scribendo fortunae iniquitatem et vicissitudines leuauit, immo fregit. Tum enim uersiculos de V. R. C. Latinos fecit, et in aliis, quae ad philosophiam et elegantiores literas iuuandas spectabant, laboribus fuit diligentissimus.

Historia libri de iure B. et P.

§. VII. Et huic quidem morae immortale Grotii opus debemus, quod *de Iure belli et pacis* inscripsit, quodque aeternam auctori suo inter philosophos nominis gloriam peperit. Quod cum rationem nobis suppeditauerit, cur in historiae philosophicae theatro Grotium comparere uoluerimus, paulo curatius enarrandum est ^f. Operis autem huius condendi auctorem et suaforem primum Grotius habuit Peirescium; qui cum uideret nobilissimum, quod de iure gentium praecipere debet, argumentum, incertissimis haecenus scholasticorum philosophorum nonnullorum disputationibus corruptum magis quam illustratum, a plerisque autem miro contemptu et ignorantia neglectum esse, nosset autem et eius dignitatem atque necessitatem, et lumina Grotii per uniuersae philosophiae angulos perreptantis; auctor ei extitit, ut derelictam ab aliis prouinciam occuparet, nobilissimam disciplinam ex puluere et squalore scholasticarum ineptiarum protraheret, controuersias ad ius naturae et gentium legibus ciuilibus non circumscriptum respicientes extricaret, et ita doctrinae moralis partem nobilissimam emendaret, auget, vel, si dicendum, quod res est, restitueret, ciuiliu quaestionum autem fundamenta alia et meliora quam quae haecenus suppetebant, poneret ^g. Paruit tam salubri consilio Grotius, cumque et otio tum polleret et doctrina, Peirescius autem omnem, qua desiderabat supellectilem librariam suppeditaret, ad eiusmodi opus pariendum ingenii vires applicuit, tandemque laudatissimum librum, quem commendationis gratia maluit de iure belli et pacis, quam de iure naturae

^f) Conf. BORCLER. et BARBAVRAC. in proleg. ad h. l. BAYLE l. c. not. O. Obs. Hal. T. VII. Obs. 15. Obs. misc. T. I. p. 953. FABRICIUS Hist. bibl. suae T. IV. p. 125. et Scriptores historiae

I. N. Thomaeus, Buddeus, Ludouicus, Grotius vindicatus P. I. p. 266. seqq.

^g) Vid. GROTII Ep. ad Gallos Ep. LXXVII. p. 177.

et gentium inscribere, libertate vsus eclectica perfecit, et quodcunque in vasta scriptorum veterum et recentiorum lectione occurrerat, ad hoc argumentum spectans eleganti ordine iustaque methodo digessit. Egit autem in praestantissimo opere id potissimum Grotius, vt ius naturae, quatenus ad societatem ciuilem spectat, quae maiestate imperantium regitur, ex principiis purioribus et rectoribus, quam hucusque factum erat, deduceret, vnde non errant, qui in eo institutiones iuris naturae et gentium tradi asserunt, id enim ipse haud obscure significat ^b. *De iure belli et pacis* autem, suspendendae vino vendibili hederæ caussa appellauit, quod controuersias illustres, eas praecipue, quae de belli et pacis iure inter gentes integras earumque imperantes agitantur, simul tetigerit, ratus ita auidius a viris politicis et in republica administranda versantibus lectum iri. Toti autem, quod ingenio maximo exstruere coepit, aedificio fundamentum, quod a Stoicis transfumit, supponit, societatis custodiam humano intellectui conuenientem, exque hoc principio morali iuris naturae praecepta deriuat, tum ab eo ius gentium distinguit, idque ex consensu omnium vel plerarumque ciuitatum hauriendum esse statuit, quamobrem officia naturalia ab iis, quae ex constituto peragi solent, distinguit. Et libro quidem primo de iuris origine disputans, quid ad legitimum bellum, quid ad imperium requiratur, quid sint subditi, disquirat, libro autem secundo explorat causas belli, quid res communes, quid propriae sint, quid ius sibi velit, itemque dominium, obligatio, pactum, contractus, foedus, iusiurandum, damnum, legatio. Libro tertio de eo quod in bello licet tractans, pacem simul et conuentiones belli considerat. Et haec quidem omnia ex principiis certis, et axiomatibus ab omnibus concessis, notionibusque et definitionibus iustis ita deducit, vt ex omni antiquitate testes adducat, et philosophorum consensum in partes vocet, inter quos primum quidem locum Aristoteli cedit, dolet autem inepta eius adoratione veritatem esse suppressam. Vnde animo se esse eclectico haud obscure prodit, fassus inter alia: *se et hic et alibi veterum Christianorum sequi libertatem, qui in nullam sectam iurauerint, non quod eis assentirentur, qui nihil percipi posse dicebant, quo nihil est stultius; sed quod nullam esse sectam putarent, quae omne verum vidisset, et nullam, quae non aliquid ex vero: itaque veritatem sparsam per singulos per sectasque diffusam in corpus colligere, id vero existimauerint nihil esse aliud, quam vere Christianam tradere disciplinam.* Et eodem quoque animo affectus veteris ecclesiae doctores in partes vocat, quin et Scholasticos admittit, quibus ingenii sublimitatem concedit, eorumque modestiam laudat, et raro errare, vbi omnes consentiant, statuit, dolet autem, quod in infelicia tempora inciderint. Quae scripsit sine dubio vir re et nomine magnus, partim

p. 177. conf. GASSENDVS in Vita Peirescii L. IV. Opp. T. V. p. 294. f.

b) Vid. Prolegom. et Epist. ad Gallos 66. pag. 178.

partim quod a pueritia in eorum notitia esset versatus, partim quod crabrones eo tempore, quo periculosum id erat, irritare nollet. Cumque in Romano iure esset versatissimus, ex eo quoque tractationi suae lucem petit, et historiarum annales in partes vocat, quae causa est, cur lectorem liber eruditissimus postulet non nudius tertius in disciplinis versatum, sed veteris literaturae probe gnarum. Insigni vero plausu et approbatione doctissimorum virorum liber ille exceptus est, quorum laudes immortalis operis cum editores et commentatores eius, alique supra nominati, itemque POPE-BLOUNTIVS collegerint, eos lectorem consulere iubemus. Notamus tantum, ut de insigni pretio constet, quod ei positum est, ex fide BOECLERI ⁱ, „in plerisque aulis et curiis numerari viros dignatione generis, munerum meritorumque inter praefidia et ornamenta seculi praedicandos, qui huius operis abstrusas opes familiariter norint, eiusque doctrinam non capiant modo, sed ubi res poscat, inter instrumenta tractandae reipublicae expediant, denique obrectatores tam bonarum rerum in bonis viris, certe doctis, nunquam habendos esse, arbitrentur.“ Neque hoc tacendum, reges summosque principes insigni pretium nobilissimo operi posuisse. Lectum enim est studiose a duobus Sueciae regibus Gustavo Adolpho et Carolo Gustavo, illisque iussu in Suevicam linguam est conuersum. Carolo Ludouico autem, electori Palatino, ita placuit, ut condendae nouae iuris naturae professionis in academia Heidelbergensi consilium inde caperet. Testes quoque esse possunt innumerae editiones, post primam Parisiensem anno MDCXXV, et eam anno sequente in Germania Francofurti ad Moenum repetitam excusae, quot lectores, etiam summae dignitatis viros liber habuerit. Hinc emendatum opus et annotationibus auctum iterata vice Grotius anno MDCXLII edidit, cui suas obseruationes postea adiecit Io. FRIDERICVS GRONOVIVS, emissas in vulgus anno MDCLXXX. Hoc autem seculo vir elegantissimae doctrinae Io. BARBAYRACIVS opus recognouit, cuncta ordine digessit, emendauit, sicque nitidam editionem anno MDCCXX exire iussit. Lectus autem et quaesitus tanta auiditate est commentarius hic iuris naturae et gentium, ut neceffe esset, eum in linguas Belgicam, Suevicam, Anglicam, Gallicam et Germanicam vertere ^k; et Gallicas quidem versiones duas orbis literatus accepit, vnam a COVRTINO ^l, alteram a BARBAYRACIO, qui obseruationes suas adiecit, et anno MDCCXXIV *Amstelodami* edidit; vtramque vero non inutiliter posse cum altera adhiberi, non nemo monuit ^m. Germanicam fecit SCHVZIVS, praefante CHRIST. THOMASIO, editam *Lipsiae* anno MDCCVII. Et hoc quidem incomparabili opere gloriam emendatae iurisprudentiae naturalis primam Grotius iure suo meruit: quamuis nec omnia, (ut in reformandis dogmatibus fieri solet, quae non nisi successiuis conatibus perficiuntur) sustulerit, et emendauerit, quae emendatione opus habebant, et haud paucos oblocutores

i) loc. cit.

k) Vid. Biblioth. Grot. I. c. p. 745.

l) Paris 1687. 4.

m) Biblioth. iuris imperant. c. I. pof. 2. §. 6. p. 15.

toreſ et aduerſarios habuerit. Et Romae quidem nigrum illi theta ab inquisitionis officio praefixum fuiſſe, nemo magnopere mirabitur; aſt inuentum fuiſſe iureconſultum Helmſtadienſem, qui errores enormes ſingulis ſe paginis oſtendere poſſe gloriatus eſt, et innumera reprehendiſſe commentatorum gregem, Grotio multis modis inferiore, contentumque fuiſſe librum proſus egregium, id ſane aequo lectori mirum certe iniquum videbitur. Quo commotus IOANNES ARNDIVS Roſtochii *Prodromum maioris operis de Hugone Grotio, a commentatoribus iuris belli et pacis aliisque immerito vapulante* n, exire in vulgus paſſus eſt. Non negamus tamen, extare in opere Grotiano naeuos quosdam, vt ſupra humanam conditionem eſt, in via ab aliis nondum calcata, vno operis conamine argumentum nouum et innumeris difficultatibus ſeptum, abſoluere et perficere. Vnde enata occaſio illuſtri THOMASIO °, in eo re-
 „prehendi, obſcuritatem, quae ſubinde interpretibus occaſionem de-
 „derit, multa cum cura in verborum Grotii ſenſum genuinum inquiren-
 „di: tum, quod ipſe Grotius in fundamentalem propoſitionem iuris natu-
 „rae non inquiſiuerit cum debita diligentia, ſed nimis ſuperficiarie hoc
 „thema tractauerit: forte, ne Scholaſticos irritaret. Saepe etiam nimis
 „ſollicitus fit, in conquirendis Graecorum et Latinorum Scriptorum testi-
 „moniis, dum aliquid iuris naturae vel gentium eſſe voluerit; nec legis
 „homonymiam ſuſtulerit, lumen vero reuelatum et naturale vbique fere
 „miſceat, ac in explicatione textuum ſcripturae, Rabbinorum et Socinia-
 „norum traditiones et interpretationes nimis aeſtinet, vnde occaſionem
 „ſumferint theologi, variis ſtriſturis doctrinam Grotii notandi. Tandem
 „quod ius gentium non debita diligentia expoſuerit, ſupponendo ſaltem,
 „ius gentium eſſe ſpeciem iuris voluntarii.“ Quae et alia, tum ab illo °,
 tum ab aliis viris doctis culpata, non tamen obſtant, quo minus pulcherrime de hac diſciplina iuris naturae, tum quidem in puluere et ſqualore iacente meruiſſe dici poſſit, et gloria vindicatae et emendatae iurisprudentiae naturalis, ei debeatur. Quanquam enim ante Grotium nonnulli fuerunt, qui de reſtituenda hac diſciplina, cuius partem olim tetigerant Stoici de officiis diſputantes, cogitarunt, quod praeter Scholaſticos nonnullos ° primus fere conatus eſt NICOLAUS HEMMINGIVS, edita *Apodictica metodo de lege naturae* °, decennio quoque ante Grotium BENEDICTVS WINCKLERVS, Soltquellendiſ, *Libros quinque principiorum iuris* edidit, in quorum primo de lege omnium primo mouente ac gubernante, in ſecundo de iure primo et proprie dicto, in tertio de iure naturali, in quarto de iure gentium, in quinto de iure poſituo ſeu ciuili egit, obſeruatam tamen viris doctis, qui hiftoriam iuris naturalis

Aaa aa 2 enarra-

n) Conf. Hiſt. bibl. Fabric. P. IV. p. 124.

o) Hiſt. iur. natur. c. VI. §. 2. p. 69. conf. REIMMANN. I. c. p. 31.

p) Conf. Progr. Iurispr. diu. praefix. p. 76.

q) Conf. nominatos in Vind. Grot. P. II. p. 619.

r) Viteberg. 1562. BAYLE Dict. Tom. II. art. Hemmingius. STOLL. Hiſt. lit. P. III. c. 2. §. 4. p. 629.

enarrarunt, tentasse eos magis aliquid, quam perfecisse, et tam obscure et confuse in hoc argumento versatos esse, vt parum vel nihil plane ad restituendam vtilissimam disciplinam attulisse censendi sint. Hemmingius enim decalogum cum principiis iuris naturae confudit, Wincklerus in generalibus versatus Platonem quam rationem consulere maluit. Recte itaque reformationem et restitutionem iurisprudentiae naturalis Grotio deberi asserimus.

Commentatores et epitomatores operis Grotiani de I.B. et P.

§. VIII. Fecit operis noui praestantia et eruditio, vt philosophi pariter atque iureconsulti certatim illud sibi hodegi instar eligerent, secundum cuius ductum et iuuentuti studia literarum aemulanti ius naturae traderent, et disciplinam nobilissimam commentariis illustrarent, et, quae diffusa et difficili tractatione Grotius disseruerat, in compendium mitterent. Hinc enatus magnus commentatorum et epitomatorum numerus, quos omnes hoc loco recensere, limitibus arctioribus constrictis non licet, discei autem ab historiae iuris naturalis enarratoribus, maxime vero a cel. BARBAYRACIO possunt, qui de singulis accurate iudicauit. Nobis illi tantum hoc loco memorandi sunt, qui nominis famam aliquam in eo argumento sunt consecuti. Primus autem, qui annotationes in Grotium scripsit, fuit IOANNES A FELDEN, iureconsultus Helmstadiensis, cuius alio quoque loco mentionem fecimus. Is cum insigni Peripateticae philosophiae cognitione gauderet, ferre autem non posset, Grotium, licet magnis encomiis Aristotelem cumulasset, ab eo in haud paucis discessisse, castigare Grotium, et ad disciplinam Peripateticam emendare constituit. Hunc enim sibi scopum in *Annotationibus in Grotium Amstelodami anno MDCLIII* editis constituit, quae stricturas et vindicias Aristotelicas continent. A cuius censura liberare Grotium voluit THEODORVS GRASWINCKELIUS, iureconsultus Delphicus editis *stricturis ad censuram Ioannis a Felden ad libros Grotii de iure belli et pacis*, ast inuita Minerua in eis vindiciis est versatus. Habebat enim aduersarium non philosophiae quidem eclecticae, ast disciplinae tamen Peripateticae exacte peritum, dubiisque serendis et disputationi acriori aptissimum, cuius ictus excipere et retundere satis Granswinckelius non nouerat, unde Feldenius in iterata scripti sui editione, qui responsiones ad stricturas Graswinckelii inseruit, ita eum depexum dedit, vt respondere amplius nollet. Post hunc Frater Hugonis, GVILELMVS GROTIVS prodiit, qui *Enchiridion de principiis iuris naturae* edidit, aliquoties recusum, qui tamen ideo scripsisse iudicari potest, vt constaret, quid inter vtrumque fratrem recti et sinistri, docti et vulgaris atque inepti interfit, adeo fra-

s) Conf. BETERI Notit. auct. iurid. Spec. I. n. 2. THOMAS. l. c. p. 68.
t) In Praef. Grot. vindic. p. 626. Bibl. Grot. p. 749. Bibl. iuris imp. l. c. Io. GROENINGII Bibl. iur. gent. Europ. p. 231.

u) Conf. de eo bibl. iuris imperant. t. I. pos. 3. §. 1. 2. p. 16. x) Lugd. Bat. 1654. 12.
y) Ienae 1663. 12. Conf. Grot. vind. P. II. p. 631. THOMAS. l. c. p. 70. Bibl. iur. imper. l. c. p. 17.
z) Hag. Com. 1667. Ienae 1669.

tris elegantiam et doctrinam non attigit. Meliori fortuna hoc stadium ingressus est Io. HENRICVS BOECLERVS, is cum primus esset, qui in Academiis Grotii librum praelegere iuuentuti coepisset, licet haud leui inuidia professorum academiae Argentoratensis ideo premeretur^a; commentationes suas tandem cum viris doctis communicare statuit. Prodiit itaque *Commentarius eius ad Grotium Argentorati anno MDCLXIII*, saepius postea recusus. Qui Grotii commentator, cum vltra nugas Scholasticorum sapere, raro eius aetatis exemplo auderet, doctrinae autem philologicae elegantia emineret, et in Graecorum atque Latinorum auctorum lectione esset versatissimus, non illotis manibus ad haec sacra tractanda accessisse tum visus est, licet caput tantum septimum *Libri secundi* commentando attigisset: valdeque se viris doctis; maxime illustrissimo Boineburgio, qui ad hunc laborem suscipiendum cum Forstnero eum ex-tauerat, commendauit. Insurrexit tamen postea in eum ficto Sarcasmii nomine SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, qui primo quidem stili elegantiam et historiarum, praecipue Romanarum notitiam, et antiquitatum studium in eo laudauit, sed magis ex commentariis, quam ex ingenio sapere, frigide de rebus moralibus scribere, iuris naturalis et gentium controuersias perplexe definire, ac dubitanter decidere obseruauit: postea vero, cum censuram hanc aegre Boeclerus tulisset, stili quoque asperitatem, orationis tumorem et inaequalitatem, antiquitatum Germanicarum ignorantiam, iudicium frigidum, praeeptis, ieiunum, loquentiae plurimum, sapientiae parum, hiatus, compilationes, et in iure publico infantiam iracundo ei calamo obiecit. Quae licet negari pertinaciter nequeant, parcius tamen exprobrari poterant, nisi Boeclerus acre et praefertim Schurzfleischii ingenium prouocauisset. Nempe imparatus erat Boeclerus a philosophiae et iuris prudentiae cognitione intimiore, et in philologia profana tantum excellebat; mirum itaque haud est, impares huic oneri ferendo humeros illum supposuisse. His autem praefidiis rite instructus, ad scribendas in Grotii *librum de I. B. et P. Animaduersiones*^b accessit CASPAR ZIEGLERVS, Ictus Vitebergensis, vir suae aetatis longe doctissimus. Is breuibus quidem annotationibus multam tamen lucem libro Grotiano obscuro in haud paucis et difficili intulit, et modeste multa, praefertim quae ad doctrinam sacram pertinent, reprehendit, emendauitque: vnde factum, vt haud pauci animaduersiones has Zieglerianas laudarent commendarentque: Displicuit autem Boeclerianae disciplinae alumnis, praefertim SCHVRZFLEISCHIO Zieglerum Boeclero, neruosa scribendi breuitate, insigni et prope admirabili diuinarum humanarumque rerum notitia, vnde non frigide modo ea, quae in theologicis annotauit Zieglerus laudarunt, sed intra paucos dies talia a

Aaa aa 3 medio-

a) Multis id narrat THOMAS, l. c. p. 72. Specim. iurisp. iud. c. 6. §. 4. p. 62. Bibl. iur. imp. p. 18. Grot. vindic. P. II. p. 627.

b) Viteb. 1666. 8.

c) THOMAS, l. c. p. 76.

mediocri eruditionis homine scribi posse iudicarunt, eo quod antiquae literaturae supellectilem a Zieglero perspicuitati litanti, non afferri viderent. Qui licet exasciatam se operam praestitisse ipse non gloriaretur, ostendit tamen, quid facere potuisset, si secundis curis praemeditata perficere potuisset. Effecit autem istis annotationibus Zieglerus, ut ordinis iureconsultorum apud Vitebergenses membra, aequius de iure naturae cogitare inciperent, quibus ideo Moralistarum nomen haesisse obseruat CHR. THOMASIVS ^d. Tertius his ex iurisperitorum numero accessit vir illustris HENRICVS DE HENNINGES; tum quidem adhuc iuuenis, postea vero summis in aula Berolinensi muneribus admotus. Is enim lecto aliquoties opere Grotiano, *Observationes politicas et morales*, tentandi ingenii causa adiecit, easque postea Solisbaci anno MDCLXXIII exire in publicum passus est. *Inueniri in iis*, pronuntiat THOMASIVS ^e *quemlibet, ab affectu vacuum, quae multum faciunt ad intelligendum aut etiam emendandum Grotium, et quae variam viri lectionem, diligentiam et iudicium spirent, ut vix concipere liceat, quomodo illo tempore iuuenis, qui Ienae et Altdorffii, ubi tum Icti iurisprudentiam naturalem negligebant, studiis incubuerat, ad lectionem optimorum auctorum et iudicium ferendum de sententiis communiter receptis, et auctoritate famigeratissimorum Ictorum munitis peruenire potuerit.* At hoc non obstante non neglectus modo liber est, quamuis libere satis, nec sine stili acrimonia quadam a receptis sententiis, discederet, sed fuerunt quoque ^f, qui iudicarent, *in philosophia morali non videri admodum fuisse versatum, indeque titubanter illos attingere locos, qui explicandi essent e philosophia practica, et ubi digressionem facere possit, id non intermittere, quaestionesque politicas infercire, quibus opus haud sit, annotationes eius nihil habere utilitatis, tractare etiam multa aliena et ad interpretationem Grotii nihil facientia, et voluisse sua dicta velut oracula venditare.* In quo virorum doctorum dissensu arbitrii partes lectori relinquimus, id modo monentes, iuuenem has annotationes scripsisse, at ingenio praeclaro et ad res magnas nato praeditum. Adici his posset IO. ADAM OSIANDER, theologus Tubingensis, qui et ipse *Observationes in Grotium* ^g edidit, nisi is hunc sibi scopum constitisset, ut Scholasticorum placita contra Grotium vindicaret, et theologiae puritatem a Grotio interdum turbatam assereret. Inde factum, ut in illo Scholasticum ageret, in hoc Zieglerum plerumque sequeretur. Ex quo de meritis eius in iurisprudentiam naturalem, quam etiam edito *Typo legis naturalis contra Hobbesium* ^h ornare studuit, statuendum, et quid in eo excusari possit, dispiciendum est. Addi his potest haud exigua caterua commentatorum, inter quos innotuerunt nomina Ioannis Georgii Simonis, Ioannis Tesmari, Valentini Velthemii, Vlrici Obrechti, God. Spinaei, Io. Wolfgangi Jaegeri, Christfridi Waechterli, Cyriaci Lentuli,

d) l. c.

g) Tub, 1671.

e) l. c. p. 77.

h) Tub, 1673.

f) Vind. Grot. p. 634. Bibl. iur. imp. f. 5. p. 18.

Iusti Christophori Boehmeri, et qui omnium prolixissimus fuit Gerardi van der Muelen, de quibus tamen prolixiora cupientibus historiae iuris naturalis, vel etiam Grotianae scriptores adeundi sunt. Inter epitomatores Grotii autem eminent Io. GEORGII KVLPIII ⁱ, Io. REINHARDI VITRIARI ^k, Io. SCHEFFERI ^l, scripta, vt tabulas a Io. PAVLINO OLIVEKRANZIO in hoc opus de I. B. et P. confectas taceamus ^m.

§. IX. Patet ex haecenus dictis, quid philosophia moralis Grotio debeat, et quae noua ab eius aetate et labore ab eo suscepto periodus iurisprudentiae naturalis inchoanda sit. Nisi enim Grotius viam aperuisset, non haberemus forte, quod Pufendorfio, Thomasio reliquisque iuris naturalis restauratoribus deberemus. Iam ad eius historiam redeundum, et quo pacto reliquum vitae curriculum absoluerit, paucis enarrandum est. Nempe coegerunt fata, et inimicitiae in Belgio foederato durantes, quibus Remonstrantium partes mire premebantur, Grotium vndecim annorum moram in Gallia facere, quo tempore maximorum in republica viro- rum fauore et amicitia vsus est, qui eius in iurisprudentia rebusque ge- rendis experientiam haud raro in consilium vocauerunt. Sed et ipsi Arau- sionensium principi Henrico acceptissimus, virisque eruditionis gloria ce- leberrimis familiaris et longe gratissimus fuit, id quod ex *Epistolis ad Gal- los* constat; in quibus leguntur nomina, Iacobi Augusti Thuani, Nicolai Fabri, Petri Ianini, Beniamini Auberii Maurerii, Ioannis Hotmanni, Vil- leri, Puteanorum fratrum, Nicolai Peirescii, Guilelmi Vairii, Claudii Sarraui, Hieronymi Bignonii, Petri Gassendi, Io. Cordesii, Ludouici Cap- pelli, Claudii Salmasii aliorumque. Quorum vel conuersatione vel com- mercio literario plurimum recreatus longiorem sine dubio in eo regno mor- am fecisset, nisi congiarium, quod a rege haecenus acceperat, anno MDCXXXI a cardinale Richelio ei iterum fuisset subtractum, vt supra iam monuimus. Cepit ideo consilium reuertendi in patriam, quam licet haecenus ingrata esset expertus, odia tamen et persecutiones, quas nil tale meritis haecenus pertulerat, eius amorem extinguere non potuerunt. Praeterea spem alebat fore, vt principe Arausionensium Henrico Friderico, summae rerum praefecto, qui ipsi amplissime fauebat, mitiora fata subire possit. Vxor quoque patriae desiderio vehementer eum instigabat. Media igitur hieme anni MDCXXXI Amstelodamum cum familia successit; quo loco expertus est, non carere se quidem Roterodami, Delphis et Amste- lodami amicis et fautoribus, at potentiorum tamen maioremque esse ad- uersariorum numerum. Quibus non quiescentibus omnemque la- pidem mouentibus perpetuo exilio multatus patria excedere iussus est, non dissentiente ob rationes ciuiles principe, certe non impe- diente. Ita patria eiectus, cum nosset Suecos eius ministerium cu- pere, Hamburgum se contulit, hospitem ibi nactus mercatorem quendam

*Reliqua vi-
tae Grotia-
nae.*

i) In Collegio Grotiano.

k) In Instit. I. N. et G. ad methodum H. G.
Hal. 1695. g.

l) In Grotio enucleato.

m) Conf. Stoll. l. c. P. III. c. 2. §. 6. p. 631.

quendam haud illiteratum. Qua in vrbe exilium ei leuauit et loci amoenitas atque frequentia, et popularium suorum veterum atque nouorum turba, qua circumfluebat. Mansit itaque in ea vrbe vsque ad mensem Maium anni MDCXXXIV, tanta animi tranquillitate, vt cum semel iterumque ad munia splendida obeunda a rege Daniae, duce Holsatiae, rege Poloniarum, et rege Hispaniae inuitatus esset, dubitaret, annon toties fortunae reflantis procellis iactato tutius esset, in hoc portu latentem quiescere? certe diu deliberandum sibi esse vidit de eo, quod semel tantum statui posse nouerat. Tandem vt certam familiae sedem deligeret, destinatus iam olim a Sueonum rege Gustauo Adolpho legationis obeundae muneri, eo quod mirifice illi opus de I. B. et P. placuisset, quod ob mortem regis successum tum non habuit, regni cancellario Oxenstiernae vocanti paruit, et legati vices ad regem Galliae regni Suecici nomine subiit. Quo axiomate auctus cum anno MDCXXXV, Lutetiam venisset, ingratus eius aduentus, summo rerum ministro Richelio cardinali fuit, qui, incassum tamen loco isto eum pellere conatus est. Omnem enim diligentiam atque fidem adhibuit Grotius, vt eo tempore, quo Galli Suecique praecipui factorum publicorum arbitri habebantur, in maximi momenti rebus vtilissimum se atque commodissimum Sueciae regno praestaret. De quo tamen, cum ad nostrum institutum id non pertineat, plura non addemus, sed commentarios publicos historiae ciuilis eius aetatis praecipue quos PVEENDORFIVS scripsit, lectorem consulere iubemus. Neque tamen ita publicis negotiis occupatus, Musarum consuetudini se subtraxit, sed virorum eruditione summorum confortio, commercioque literario, lectioni porro, et elaborationi scriptorum exasciatorum, quae aetatem tulerunt, et gloriae aeternitatem consecuta sunt, otia sua tribuit. Debemus enim huic apud Gallos morae Grotii secundae, praestantissimos libros, quorum catalogum elegantissimus *Vindiciarum Grotianarum* auctor suppeditat. Inter quos sunt imprimis eruditissimi Commentarii in Scripturam sacram, in quibus licet a typo sanorum verborum discessisse haud raro iudicatus sit, virilem tamen eruditionem in interpretatione veterum scriptorum ad miraculum versatam prodidit. Quae vero omnia hoc loco, vbi historiam literariam non scribimus, omittenda, et alibi enarranda sunt. Ast ita museo magis, quam aulae curiaeque se tradere, et negotia publica negligentius tractare videri coepit, id quod ex epistolis, de rebus ad rempublicam pertinentibus, pauca quae momentum habebant, ad senatores regni et imprimis ad cancellarium referentibus haud obscure constabat. Ex eo enim satis colligi poterat, legatum viuentium commercio sese subtraxisse, integrosque dies, et noctium partem quandam libris scribendis impendere. Id quod ipse haud obscure praefigiuit, scribens ad Guilelmum Luffonium, curiae monetariae apud Parisienses praesidem primum: *Suecici regni cancellarium*

n) In Bibliotheca Grotiana, in fine adiecta.

cellarium se in umbra literaria delitescens in lucem resque magnas velle protrahere, se vero nihil magis metuere, quam ne opera sua tanti viri conceptae de se spei minus respondeat. Oxenstierna itaque alium in Galliam mittebat, qui aulae negotiis susceptis, nihil cum Grotio communicavit, contemtimque eum habuit. Quam indignitatem, cum Grotius legati axiomatico ornatus pati amplius non posset, missionem honestam petiit, et haud difficulter obtinuit, reuocatus in Sueciam, a Christina, quae iam sceptrum paternum capeffere coeperat; ut rationem administrationis redderet, quamvis clementer illa sibi operam eius placere, declararet. Rediturus itaque in Sueciam, et per Hollandiam iter faciens praefectus Roterodami sedes inuifit, plaudentibus amicis inimicis freudentibus, et incassum laborantibus, ut transitus per Belgium foederatum illi interdiceretur. Tum Hamburgi, Lubecae, Vismariae, honorifice exceptus et ab architalasso Sueciae, Vrangelio comite Holmiam in nauis bellica deductus est. Ibi expositis reginae legationis suae rationibus, missionem denuo honestis precibus orauit, probe gnarus, multos se in ea aula inimicos habere, forte otii quoque literarii, quam lucis aulicae, tum quidem amantior. Fuerunt autem quidam, qui apud reginam minus eum gratiosum fuisse, contenderunt. Nihil tamen huius ex reginae voluntate Grotio declarata apparuit; collaudatus enim a regina impense duodecim mille imperialibus * donatus est. Quod non potuit non iucundissimum Grotio euenire, cum et valetudinis decrements in aere grauiori et coelo inclementiore sentiret, et magno desiderio teneretur, suos visendi. Soluit itaque ex portu Dalerensi Lubecam transfretaturus; ast tempestate subito oborta misere in mari iactatus et naufragio proximus ad oram Cassubiae in Pomerania vltiori reiectus est. Ibi rustico, quod aegre nactus erat, vehiculo, animo non minus quam corpore aeger, per ventos et imbres, continuato per octiduum itinere, cum viribus deficeret, Rostochium peruenit, et viribus exhaustus lecto affixus est. Aduocatus medicus ex spiritibus aegri corporis fractis summum imminere periculum ostendit, et sudore frigido instante, actum esse de vita pronuntiauit. Grotius itaque, qui maximum vitae momentum adesse videbat, praesentiam Ioannis Quistorpii, qui tunc cathedram theologicam in ea academia ornabat, et ecclesiae praeerat, expetiit. Qui cum illico comparuisset, de quaerenda peccatorum remissione per Dei filium, Iesum Christum apud Deum patrem serio Grotium cohortatus, ad preces se conuertit, Grotio submissa voce complicatis manibus illum verba praeceuntem sequente, et filio Dei Θεω-
Θεω animam commendante, nec multo post eam placide efflante, anno aetatis LXII, Christi MDCXLV, XV Cal. Septembr. Et varii quidem de morte eius rumusculi disseminati sunt †, parum memoriae
 Grotia-

*) Hoc de moneta Sueciae cuprea intelligendum est.

†) Vid. Menagiana T. I. p. 409. T. II. p. 322. Vind. Grot. p. 493. 503.

Grotianae honorifici, eo quod de religione eius haud pauci minus beneuole sentirent. Quamuis enim reformatae ecclesiae communionem esset secutus, Arminii partibus licet fauentissimus, Socinianis tamen, quos prius edito egregio libro *de Satisfactione Christi* fortiter prostrauerat, in commentariis biblicis frigidam suffundere uoluisse, uidebatur. Accedebat, quod ecclesia Carentonenfis in Gallia eum admittere noluerat, ipse quoque Petauio familiariter vsus in suspicionem uenerat, non abhorruisse ab ecclesiae Romanae confessione amplectenda; quodque pro tolerandis dissentientium sectis, edito *Voto pro pace ecclesiastica*, scripserat, ob quod cum Andrea Riuetio litem aluit. Nec negari potest, Grotium non in philosophia modo, sed quoque in religionis negotio eclectice fuisse uersatum, quamuis Lutetiae ecclesiam domesticam Reformatorum sacris adiectam fouisset. Et hinc factum, ut mox Pontificiis fauisse, mox Socinianis iuuisse, mox atheis se beneuolum praebuisse, hic inde narraretur, et fabellae atque rumusculi inanes de fine vitae eius disseminarentur. Qui tamen ex una *Epistola Quistorpii ad Calouium* ^o, ut plerique uolunt, scripta de ultimis Grotii horis, eueri possunt, cum is morienti Grotio adfuerit, et testis minime suspectus sit; is enim Grotium, et peccatorem se publicanum esse, et in solo Christo omnem spem suam habere repositam, factum esse sicque decessisse testatus est. Cadauer medicis traditum; intestina lebeti aeneo imposta et in templo primario loco honoratissimo condita sunt, cadauer Delphis maiorum tumulis illatum est, et qui uiuus exul patria uixerat, defunctus in patriae telluris gremio, cessante inuidia, quietem inuenit, relictis filiis tribus, filia uunica, famaue immortalis, quae etiam numis post mortem fuit conseruata.

*Charactere
Grotii.*

§. X. Fuit Grotius forma corporis satis eleganti et uenusta, animo supra communem hominum conditionem diuinis ingenii dotibus emergente. Intellectus acies tanta ei adfuit, ut in intimos ueritatis recessus, accurata ratiocinationis serie plerumque penetraret, vis imaginationis tanta tamque amoena, ut elegantissime tum prosa tum ligata oratione scriberet, et incomparabilem dicendi uirtutem ostenderet. Amplissimae autem doctrinae copia omnes fere scientiarum partes ita attigerat, ut cunctas non modo perfunctorie teneret, sed vim earum totam possideret. Linguis vsus est praeter uernaculam Anglicam, Gallicam, Etruscam, cum autem Latinae, Graecaeque et orientalium linguarum vsum sibi comparauerat, quo aliis exemplum commendari posset. Nihilque magis admirationem mereri aptum est, quam quod ab ineunte aetate per totam fere uitam negotiis reipublicae, implicatus, lectionem tamen immensam in ueterum et recentiorum scriptorum libris uersatam possederit, quae non rudem illi indigestamque molem suppeditauit, sed elegantissimae et recti vsus doctrinae materiam largissime exhibuit. Adiuuabat eum in his memoria

o) Epist. Remonstrant. p. m. 823. ed. rec. Vindic. Grot. P. II. p. 482. seqq.

moria fidissima, vt, quae semel legisset, eorum haud facile obliuisceretur. Tantam autem in studiorum contentione diligentiam adhibuit, vt ferream patientiam corpusque laboribus vix exhauriendum habuisse, suspicari quis possit. Praeterea eloquentiae, viribus instructus, perspicue et supra modum nitide atque castigata dicere scribereque consuevit, vnde euenit, vt quae Latina edidit, veterum elegantiam et castitatem mira arte referrent. His multorum tandem annorum exercitatio, in maximi momenti negotiis versata accessit, vnde amplissima illi experientia enata est. Mirandum itaque haud est, phoenicem Belgicum ob rarissimas ingenii diuini dotes eum appellatum, et inter illustrissima sui aevi sidera in coelo literario connumeratum, ab omnium regionum viris doctis vero velut commune oraculum aliquod fuisse consultum. His ingenii diuitis accesserunt virtutes animi praeclarissimae, et nunquam satis laudandae, humanitas et beneuolentia erga quoscumque, animus vindictae cupiditate superior, et in ingratis patriam ad vltimos vsque vitae anhelitus pius: tum inferuendi promptitudo, continentia animi a sorditie et *ασχηκεσθηδια* longissime remoti, tandem laudabilis zelus pro veritate religionis Christianae et pace ecclesiae. Quae omnia cum in Grotio manifestissimis speciminibus emicuerint, talia sunt, vt non nomine magis, quam re Magnum fuisse concedendum sit. Sunt tamen, qui eum reprehendunt, quod ciuilibus negotiis studia priuata et eruditionis cultum praeferendo, negligentius, quam par erat, in hac arena versatus sit, senio autem propior, diffidere amicis coeperit, incertus quoque in eligenda inter Christianos dissentientes sententia haeserit. De quibus, si vera sunt, moderate tamen iudicare, et humanae fragilitatis recordari fas est; cum magnis quoque et pulcherrimis corporibus naeui sui insint. Illud certissimum esse, nemo inficias ibitur, immortalibus meritis philosophantium choros sibi deuinxisse Grotium, quod disciplinam, ad tuendam societatis humanae felicitatem tot nominibus necessariam, et rerumpublicarum saluti destinatam, turpiterque tamen prius neglectam et contemtam insignibus conatibus in lucem protraxerit, iisque luminibus instruxerit, vt in vnius seculi decursu plus in ea praestare philosophi potuerint, quam per omnem orbis viuientis et philosophantis aetatem, non modo factum haud est, sed et fieri nequiuit. Quibus forte careremus, nisi Grotio vsa esset diuina prouidentia, ad id iter recludendum, quod post eum tot praestantissimi viri, magna felicitate ingressi sunt, coepta a Grotio feliciter perficientes.

§. XI. Nempe excitauit exemplum Grotii tanta felicitate in iurisprudentia naturali colenda versati viros alios, doctrinae laude non minus fulgentes, vt paria audere, et de hac gloria certare cum Grotio, vel eius quoque vestigia sequi auderent. Et prius quidem insigni eruditionis apparatu aggressus est IOANNES SELDENVS, magnum olim Angliae

*Ioannes
Seldenus.*

Bbb bb 2

orna-

ornamentum. Natus ^p ille est Salvingtoni in Suffexiae prouincia, VI cal. Ian. anni MDLXXXVII. Is cum praeclaris ingenii a natura concessi dotibus frueretur, in academia Oxoniensi, iurisprudentiae, philosophiae et antiquitatum, maxime orientalium studiis tanta industria, tantisque eruditionis stupendae profectibus se tradidit, vt inuidendum magni dictatoris doctrinae nationis Anglicae nomen consequeretur. Valde autem iuris Anglicani notitiam tenuit, cumque eloquentia valeret, magna eius in iudiciis auctoritas fuit. Ad *Historiam decimarum* praefatus ita clerum Anglicanum in se irritauit, vt coram iudicio delegatorum agnoscere culpam coactus sit, id quod implacabili eum odio in ordinem ecclesiasticum armavit. Vtebatur enim magna sentiendi dicendique libertate, maxime in comitiis procerum regni, qua anno MDCXVIII carceris animaduersionem meruit. Doctrinae autem incomparabilis praestantia, iudicio acerrimo iuncta, maximis eum regni muneribus admoit; anno MDCXLIII enim tabularii regni, quod in arce Londinensi est, summa ei cura et biennio post, rerum maritimarum cognitio demandata est. Vnde opibus affluens librorum, etiam msc. copiam sibi praefantissimam et abundantissimam comparauit, maiorem eruditionis partem autem in philologiae orientalis studio demonstrauit, in cuius monumentis ad miraculum erat versatus. Cuius specimina per ciuiatem eruditam immortalis gloria conspicua sunt, *liber de diis Syris, origines ecclesiae Alexandrinae; marmora Arundelliana, libri de successionibus in bona defuncti, et de successione in pontificatu secundum leges Hebraeorum: vxor Hebraea, siue de nuptiis et diuortiis; de anno ciuili et calendario Iudaico*, quae maximis laudibus cumulare viri docti solent ^q. Quibus ingenii monumentis, iuuantisque etiam aliorum studiis ^r, intentus prid. cal. Dec. anno MDCLIV mortalium fato concessit. Locum autem hic maxime postulat ob *Ius naturae et gentium secundum disciplinam Hebraeorum*; de quo dubium non est, quin gloriae Grotii aemulus hoc argumentum tractandum elegerit. In eo septem praecepta Noachitica, quibus nihil celebrius est in historia iuris Iudaici, fundamenti loco elegit, et ad ea omnia retulit, quae uasta et exercitata in orientalium scriptis lectio illi suppeditabat adeo, vt nimia literaturae orientalis copia grauata tractatio, systema illud quod de iure naturae sibi auctor construxerat, recondat magis, quam in apicum producat. Id quod permouit B. IO. FR. BVDDEVM, vt omis-
sis iis, quae ex abundantissimae eruditionis penu ad hoc argumentum illustrandum auctor attulerat, *Synopsin iuris naturae et gentium iuxta disciplinam Hebraeorum ex Seldeno extractam* ederet, repetita vice cum VITRIARI *Institutionibus iuris naturae et gentium* ^s editam. Et copiam

p) Vitam illustri viri Operibus eius anno 1726. inuicem editis praefixit DAVID. WILKINSIVS, conf. Act. Erud. 1726. Nou. art. 1.
q) Conf. POFF-BLOUNT. Conf. cel. audt. pag. 990. seq. Bibl. iur. imp. c. 1. pof. VII. p. 66.

r) Pocockio haud exiguum partem Msc. Arabicorum tradidit, quae is edidit, de quo praef. eius in EUTYCHII Annales meretur conferri.
s) Halae Sax. 1695. 8. 1701. Lugd. Bat. 1705. 8. Francof. 1717. 8.

piam quidem lectionis atque antiquitatum Iudaicarum de hoc argumento collectarum laude sua dignam et prorsus in hoc libro admirabilem esse, eruditi tantum non omnes confessi sunt, doluerunt autem, quod de iure naturali ad vniuersum humanum genus spectante disputaturus, ad traditiones Hebraeorum parum philosophice confugere, quam rem ex domesticis principiis haurire maluerit. „Recteque obseruatum SAMVELI PVFENDORFIO^{t)}, opus hoc cetera eruditissimum et quantiuis pretii vocanti, obstare momenta haud pauca, cur attemperati ad captum omnium populorum systematis in iure naturali vicem subire nequeat. Nempe ibi „non satis exposita esse ea, quae ad paediam iuris naturalis pertineant, „velut illa praecognita, quae ad praeccepta legis naturalis, earumque rationes plene et distincte intelligendas requirantur, et quidem quae velut „domestica sint huic iuri, nec ex aliis disciplinis mutuo sumantur. Deinde „de Seldenum legem naturalem non deducere ex tali aliquo principio aut „hypothesi, cuius euidetiam omnes nationes agnoscant; aut ad quam „agnoscendam argumentis ex rationis lumine petitis, adduci queant. Nam „fundamenti loco substernere septem illa praeccepta Noachidarum, de quorum auctoritate non constat, an ex diuina informatione vel propria ratiocinatione innotuerint; praecipue cum nec *au Serriay* earum probauerit, nec ex conuenientia cum natura humana deriuauerit. Denique et „illud tantum agere Seldenum, vt quid doctores Hebraeorum senserint, „exponat; quam accurate autem istorum sententia cum sana ratione congruat. parum examinet &c.“ Quae rectissime moneri, ostendit CHR. THOMASIVS^{u)} praeclare addens, librum hunc magis ad historiam iuris diuini positui vniuersalis pertinere. Et hoc quidem nomine in philosophiae Iudaicae historia utilem operam praestat, ita tamen, vt lectore accurato et iudicii lima instructo opus habeat, ad quam ea exigenda sunt, quae cumulauit magis, quam digessit Seldenus. Reliqua, quae de *Mari clauso* cum Grotio disputauit, supra tetigimus, quibus valde se in aula Britanniae regis commendauit, oppugnatus autem est a Petro Baptista Burgo, cui *Vindicias existimationis suae de scripto mari clauso* opposuit. Secuti vestigia Grotii et Seldeni sunt, sed impari gressu Io. Ioachimus Zentgrauius, Io. Wolfgangus Textor, David Meuius alique, quorum tamen opera nihil iurisprudencia naturalis promotam est. Eos igitur non moramur, sed lectorem ad historiae I. N. scriptores ablegamus.

§. XII. Relicta itaque gloria, ea quae in condendo iurisprudenciae naturalis aedificio Grotius inchoauerat, absoluendi, et ad iustam maturitatem perduendi, fuit SAMVELI PVFENDORFIO, viro non nominis modo dignitate, sed et immortalibus de iure N. et G. meritis et
Samuelis
Pufendorfi
vita.

Bbb bb 3 elegan-

t) Erid. Scand. p. 200. conf. GROENINGII Bibl. iuris gent. Europ. L. III. c. 8. p. 267.
 u) Hist. I. N. c. 6. §. 13. p. 88.

elegantissimis commentariis historicis illustri, cuius historiam ea, quam meretur diligentia nondum conscriptam fuisse dolemus. Quamvis enim eiusmodi biographiam * anonymus quidam adiecerit libro Pufendorfit, quem sub Monzambani nomine, vulgavit, multa tamen ei narrationi deesse *avēndora* et aliunde supplenda, recte observatum cel. HEVMANNO †. Vnde laudanda illustris THOMASII industria, qui plerasque arcanas circumstantias ad controuersias Pufendorfianas pertinentes collegit, et non sine acri iudicio in *Historia iuris naturae* ‡ adduxit. Nostro nos hoc loco modulo et pede metiemur, et quantum licet, memorabilia omnia strictim complectemur. Vidit prima vice lucem Samuel Pufendorfius, cum fratre Esaia ingenii quoque operibus celeberrimo non confundendus, in vico Fleh, vno tantum miliari Chemnitio distante anno MDCXXXI, genitus patre Elia Pufendorffio, qui sacro in eo loco munere, a maioribus accepto fungebatur. Qui cum opibus parum afflueret, coactus est filius Samuel, iactis in schola Grimmenfi disciplinarum fundamentis, panem sibi institutione puerorum, parare. Absoluto studiorum scholasticorum curriculo, academicum apud Lipsienses stadium ingressus, Hulfemannum sibi ductorem doctoremque praecipuum elegit, et philosophiae atque literis sanctioribus se tradidit. Tum ad Musas Salanas conuersus, in aedes Erhardi Weigeliū, quem philosophiae et mathematicarum artium peritia tum extulerat, receptus, celeberrimi viri disciplinae se tradidit, qui cum igneam vim animi, et ingenii excelsi vires in eo obseruauisset, amare eum vehementer, atque literarum arcanis innutrire coepit, et ad capiendum in philosophia excolenda animum vehementer cohortatus est. Ipse cum philosophiam certiori methodo tractari posse crederet, et imprimis moralem doctrinam mathematici ordinis accuratione atque legibus tradere tentauisset, edita *Delineatione arithmetica philosophiae moralis*; secundum methodum ab Euclide adhibitam adornare ethicae institutiones aggressus est, quas *Ethicam Euclidean* inscripsit, affectam autem perficere non potuit. Is cum alacrem et ad meliora audenda promptissimum videret Pufendorffii animum, auctor ei extitit, vt in hoc argumento aliquid conaretur, quem in finem ethicam istam Euclidean illi concessit, vt cogitata inde perficeret. Vnde ad hunc consiliorum suorum de emendanda hac doctrinae moralis parte auctorem ipse PUFENDORFFIUS § prouocat. In hac ergo disciplina Weigeliana, duo capita didicit, quae in scientiarum circulo maximi momenti esse recte censentur, quaeque fundamentum fuere, cui noui aedificii moralis summam Pufendorfius inaedificauit. Nempe praestantissimum esse eum, qui seueritate laudabili adhibetur, geometricarum ordinem atque demonstrandi leges, etiam in argumento philosophico,

*) Denckwürdige Lebens-Memoire des Herrn Samuels von Pufendorf. Conf. Bibl. iur. imp. c. 1. pos. V. §. 2. p. 31.

†) Act. phil. Vol. III. p. 642.

‡) l. c. §. 15. seqq. p. 90. seqq.

§) Praef. Element. iurisprud. vniuers. conf. THOMASII l. c. p. 91.

phico, et hanc methodum ad id adhibendam esse, ut ex definitionibus certis et perspicuis, exque axiomatibus atque principiis a nemine in dubium vocandis, consequentiae deducantur actionumque humanarum moralitas hoc pacto exploretur, et quae natura sit atque indoles entium moralium, inde certissima luce pateat. Deinde didicit quoque a Weigelio, detestabilem esse errorem scholae Peripateticae, moralia non cadere sub demonstrationem. Quem tamen iam ante Pufendorium vidit et detexit HERMANNVS CONRINGIVS ^b, locumque esse etiam in morali argumento demonstrationi euicit, ut illustri CHR. THOMASIO ^c obseruatum. Qui recte aliquoties monuit, plurimum nocuisse hunc errorem scientiae morali, ipsique veritati, fontem autem eius verum esse putauit, emolumentum cleri, ut ita laici adigerentur determinationem actionum iustarum et iniustarum ab ipso clero et scholasticis petere. In quo se felicit virum summum suspicio, clero iniquior, et errores cunctos ad eorum ambitionem et dominationem tantum referens. Longe enim antiquior est, et incrementa doctrinae moralis maturius retardauit, quam aetas scholasticorum, et barbaries, quae literis, moribus, ipsique conscientiae pessimis artibus aeuo medio imperauit, inualuerunt. Origines enim huius dogmatis ex Pythagorica et Platonica philosophia petendae sunt; quas hoc loco verbo tangere et velut in transitu, ideo non abs re erit, ut quid Pufendorium aliosque viros doctos permouerit, ut ad demonstrationes in morali philosophia quaerendas, relictis nugis Graecanicis et Scholasticis, digrederentur, intelligatur. Scholae scilicet Italicae et Platonicae ex veteri et barbarica philosophia decretum certum atque fixum erat, materiam nihil reale et per se subsistens esse, sed fluere eam semper, neque vel momento eandem manere, ut alio loco demonstraui. Ast scientiae locum non esse posse statuentes, nisi de subiecto certo, aeterno et immutabili, entia immutabilia, aeterna, per se subsistentia, numerosa, ideas, formas, archetypa excogitauerunt, inque his solis scientiam versari circa τὰ ὄντως ὄντα dixerunt, ut alibi ex instituto dictum ^d. Haec principia aeterna cum iungi materiae dicerent, ad ea sola scientiam respicere posse putauerunt. Vnde de rebus physicis et metaphysicis maximam sibi scientiae certitudinem arrogauit schola Platonica. Vidit Aristoteles risitque entia eiusmodi extra materiae finem excogitari, quae non constare tamen possent sine materia, vnde emendaturus systema praeceptoris formas rerum materiae esse immensas statuit. Ex quo errore semel admissio necesse erat fluere: de rebus physicis dari scientiam, cumque principia materiae infini, locum quoque esse posse demonstrationi. In moralibus autem cum formas eiusmodi immutabiles rebus non inesse Aristoteles cerneret, de scientiae atque demonstrationis subiecto desperans,

moralis

Origo opinionis, moralia non cadere sub demonstrationem.

^b) Vid. eius epistola praemissa VIOTTI libro de demonstratione, aliaque de opere Pufendorii, quae extat in THOMASII J. C. p. 176.

^c) pag. 91.
^d) In Hist. phil. de ideis sect. I. §. 27.

moralis disciplinae demonstrationis certitudinem denegauit, ratus principia moralia ex hominum populorumque indole, legum statutis, morum varietate valde variare, nec ad certitudinem physicam posse reuocari. Ideo virtutem definiuit, esse medium vitiorum et vtrinque reductum, et decori rationem mire inter homines moratiores diuersam et dissentientem ad virtutum definitionem respicere iussit. Quo pacto omnino verum erat, in moralibus, sc. Peripateticis, non dari demonstrationem. Acceperunt hoc assertum cum reliquis scholastici, qui cum inepto formarum dogmate essent toti occupati, videre certitudinem in disciplina morali, isto praeiudicio occaecati non potuerunt. Neque multum illis desudandum visum est, inquirendo, vtrum recte se haec omnia haberent, cum et sacrosancta Aristotelis auctoritas illis esset, et prona consequentia ex hoc errore flueret, ad tenendam rerum moralium certitudinem alio auctore et iudice opus esse, qui *θεοπνευστος* quadam instructus, quid rectum, ini- quum, bonum malum sit, auctoritate summa discernere possit. Quem cum in Romano pontifice se inuenisse crederent, infinitis quidem disputa- tionum anfractibus incertitudinem moralem confirmarunt, vt autem aliam certitudinis moralis normam suis consiliis conuenienter haberent, ius canonicum, velut mirum dogmatum moralium chaos conflarunt, et hoc pacto de recti honestique regula atque ratione se solos discernere posse commenti sunt. Vidit id, vt acerrimo iudicio utebatur, Lutherus, et quam pestem in moralem doctrinam intulisset ethica Aristotelica atque ius canonicum magnis vocibus denunciauit. Ast comitius et placidius tra- ctaturus Melanchthon, locum tamen esse posse ethicae Aristotelicae ad honestatem morum ciuilem, sed ex aliis simul fontibus emendandae au- gendaeque, censuit. Cuius auctoritas cum inter innumeros discipulos maxima in philosophia esset, expurgari error turpis et ineptus non potuit. Donec seculo XVII pauci viri docti perspicerent, demonstrationis certi- tudinem et necessitatem non ex subiecti certitudine physica, sed ex prin- cipiorum et axiomatum veritate necessaria et aeterna originem habere. Quod cum ad morales notiones siue entia, quae vocat, adhibuisset Pu- fendorfius, ex emendata hac demonstrationis moralis indole certius moralis doctrinae systema condere aggressus est.

Studium Pu- fendorfii iu- rispruden- tiam natu- ralem emen- dandi.

§. XIII. Sed vt ab hoc diuerticulo in viam et ad Pufendorffii histo- riam redeamus, fundamentis moralibus certioribus ita positis ad docendam philosophiam animum is adiecit, eiusque facultatem, acceptis iuribus et honoribus in philosophia summis ab ordine philosophico academiae Ienen- sis nactus est. Id quod ineptissimo scommate ei obiecit Becmannus *f* eo quod iurisprudentiae honores non suscepisset, cum ad tradendam iurisprudenti- am naturalem istis quidem philosophiae iuribus et priuilegiis fatis esset or- natus

e) Conf. quae luculenter differit NELDDELIVS de vsu Org. Arist. P. III. c. 4. p. 75.

f) Vid. A. S. phil. Vol. III. p. 650. vbi extra epistola Pufendorffii ad Klingerum.

natus et instructus. Ostendit autem more in academiis recepto, speciminibus publicis, quantum in doctrina solidiori ipsaque philolophia castius seruanda colendaque profecisset. Idque etiam Lipsiam redux demonstra-uit, ex qua Musarum sede ad legatum Suecicum Coyetum in aula Hafni-ensi commorantem vocatus est, vt filiis eius disciplinarum elementa tra-deret ^g. Vix autem mensem vnum atque alterum eo in loco atque statio-ne commoratus, fortunae infidias valde timendas expertus est. Oborto enim inter Suecos Danosque bello, cum legatus Sueciae, in cuius familia Pufendorsius tum viuebat, patriam repeteret, successori Stenoni Bielkio Pufendorfium reliquit. Hafnia autem a Suecis obsessa captus est cum ali-is Suecorum ministris Pufendorfius, vna cum fratre Esaia, durauitque ista captiuitas octo menses, quibus praeter reliqua vitae incommoda et erudi-torum societate atque conuersatione, et libris omnibus caruit. Cum ita-que lectione tempus fallere non posset, ad meditationem confugit, cum-que Hobbesii et Grotii cogitata subinde animo recoleret, quid in illis re-ctum, quid falsum vel suspectum esset, expendere coepit. Attentus au-tem ad ea, quae a Weigelio didicerat, repetensque memoria, demonstra-tiuam dari moralis doctrinae methodum, eamque haud infeliciter Weige-lium in ethica Euclidea iniisse, abiicere incerta Scholasticae et Peripateti-cae ethicae principia et ineptias varias relinquere, nouamque atque certio-rem viam sternere constituit, qua ad ipsam rerum moralium naturam at-que indolem attento indubitata ac euidentia philosophiae moralis princi-pia patefcere possent. His cogitationibus intentus pestilenti febre, quam petechialem vocant, corripitur, et ancipiti duplicique malo premitur. Ve-rum et sanitatem ei restituit, et ex custodia Danorum liberum eduxit di-uina prouidentia. Dimissus itaque in Sueciam vicinam anno MDC LIX, cum fratre transfretauit, et Soranam academiam paucos dies inuisit ^h. Postea cum heri sui filiis Hagam Comitum abiit, quo loco prima futu-rae promotionis fundamenta Pufendorfius posuit. Frater enim Esaias eo tempore in ministerio Ottonis Guilelmi comitis Koenigsmarckii erat, et comes ei in itinere Anglicano adhaerebat, cum per biennium studiis eius formandis in Germania esset adhibitus. Qui cum plurimum in aula Hol-miensi valeret, illi Lugduni Batauorum commoratus Pufendorfius Io. MEVRSII *Miscellanea Laconica* dedicauit. Acceperat enim non hunc modo libellum posthumum, sed et alios, *Themidem Atticam*, *Cerami-cum geminum*, *Cretam*, *Rhodum*, *Cyprum*, *Thessea*, itemque LAV-RENBURGII *Graeciam veterem* a Petro iulio Coyeto, et has optimae no-tae scriptiunculas in Belgio versatus edere coeperat, reliqua iam ministe-rio Suecico addictus Io. Georgio Graeuio edenda postea commisit ⁱ. Et hoc quidem pacto cum prima tentandae inter eruditos famae conamina fecisset, ea quae de iurisprudencia naturali certiori fundamento et metho-
do

g) Erid. Scand. p. 126.

h) Ibid. p. 127.

i) Vid. Praef. miscell. Lacon.

do veriori demonstranda meditatus erat in chartam coniecit, sicque Hagae Comitum anno MDCLX *Elementa iurisprudentiae vniuersalis* edidit, recusa postea Ienae MDCLXIX ^k, et *Sphaera morali* aucta. In quo opusculo geometrarum morem imitatus, libro primo definitiones viginti et vnam rerum moralium affert, iisque libro secundo axiomata duo et obseruationes quinque subiungit. Quia tamen ἀνομήτως prodiit, nonnulli eum foetum Pufendorffio tribuerunt, sed perperam. Placuit quidem liber ob accuratorem nonnullis, plerique autem eo quod mathematice scriptus esset, contempserunt, et hinc forte ratio deriuanda est, quod, licet iam in eo noua iurisprudentiae naturalis principia Pufendorffius attulisset, nemo tamen illi controuersiam mouerit. Patuitque anno MDCLXIII demum, quod de hoc opusculo virorum doctorum iudicium esset. Cum enim illustris Boineburgius, iuuandis augendisque literis valde intentus, viris in scientia ciuili excellentibus Forstnero, Conringio, Boeclero et Pufendorffio auctor esset, vt ad scribendam historiam recessuum imperii, corpusque legum naturalium conficiendum animum adiicerent, Pufendorffius suam de doctrina iuris naturae et gentium sententiam libere aperuit; qua epistola communicata, opinionem quoque suam dicere de ea re Conringium et Boeclerum Boineburgius iussit. Ille igitur, vt erat ἀντιβείας iudex haud contemnendus pleraque sibi, maxime demonstrationem mathematicae aemulam perplacere, professus est, cumque luculenter Pufendorffius in ea epistola ^l, qua ratione doctrina moralis iuuari possit, ostendisset, Boineburgium Conringius excitauit, vt illum vrgeret, quo pergeret spretis vulgi vocibus, et a tam praeclaro instituto ne desisteret, se enim non dubitare, ab illo nihil non eximium expectari, non in morali tantum, sed in politica etiam philosophia, vbi ad illam animum aliquando appulerit. Boeclerus autem valde abiecte de Pufendorffio iudicauit, et ingenium quidem habile, promptum ad magna iturum, si magistrum modestiam asciuerit, se amare in eo et aestimare fassus est, ast iactantiam illi, Grotium exscriptum, veteris philosophiae ignorantiam; dubitationes relictas et similia alia exprobrauit: nempe cathedrario fastu nihil ferens, quod non ex sua disciplina processisset, quo nomine recte censuram THOMASII meruit. Aliter autem visum magno literarum ea aetate statori, Carolo Ludouico, electori Palatino, cui literis praeclare fauenti, virosque doctos ad eas iuuandas auctoritate et praemiis excitanti libellum illum Pufendorffius inscripserat. Epistola itaque sua manu scripta ^m, princeps humanissimus ei gratias egit, et quam mire sibi disciplinae vtilissimae cultura placuisset, testatus de beneuolentia sua certum eum esse iussit. Commendauisse se vero Pufendorffium laudato et in partes suas pertracto, Hobbessio, auctor est LEIB-

NIZIUS,

k) Cantsbrig. 1672. 8. Francof. 1680. 1694. 8. Conf. Bibl. iuris imp. l. c. p. 30.

l) l. c. App. p. 156. vbi istae epistolae cum eius annotationibus ex HABERKORNII sole resplendescere iurisprud. Iustinianaeae repetitae sunt.

Extant quoque in Io. GROENINGII Bibliotheca iuris gent. Europ. l. III. c. 9. p. 276.

m) Extat apud GROENING. l. c. p. 307. et LVDOVICI Hist. I. N. p. 28.

NIZIVS ⁿ, at non immerito de eo dubitat Cl. STOLLIVS ^o. Certius autem et extra dubitationem positum videtur, principem optimum, et de disciplinis philosophicis magna accurate iudicantem, utilitatem et necessitatem huius disciplinae, et amorem philosophiae impulisse, ut tam egregio favore conatus Pufendorffii exciperet: simili enim desiderio instinctum Spinozam quoque ob philosophiae peritiam Heidelbergam vocare voluisse, ex supra dictis constat ^p. Sensit etiam Pufendorffius, non verbis tantum ipsi electorem favere: princeps enim sapientissimus, cum novam ei philosophiae moralis circa ius naturae et gentium versantis cathedram constituere placuisset, primum in ea novae disciplinae doctorem Pufendorffium esse iussit. Concessit itaque Heidelbergam, in qua schola, cum tanta industria in scientiis versaretur, ut obiicere Beckmanno ipsi insultanti potuerit: *Se vno anno Heidelbergae plures libros legisse, quam Becmannus per totam vitam inspexerit* ^q, non modo insignem literaturae veteris cognitionem adeptus est, qua postea opus *de I. N. et G.* ornavit, sed et magnum iuvenum, studiis inuigilantium aceruum ab ore suo pendente circa se habuit. Ipse quoque prodidit ^r, nobilem illam iuventutem, quae se disciplinae eius tradidit, tantam ei invidiam peperisse, ut eidem a se alienandae conspiratio iniretur. Nihil autem praeclare magis testatur, quo loco tunc Pufendorffius habitus sit, quam quod serenissimus Elector filium illi suum primigenitum doctrina philosophica imbuedum tradiderit, cumque iam de eo in Sueciam euocando decretum esset, filio huic suo certum aliquod pensum extra ordinem explicare eum iussit, quod intra tres menses aestivos fuit absolutum. Quod cum ab ipso electore, principe diuinarum atque humanarum rerum callentissimo ipsi iniunctum fuerit, recte ad testimonium vitae et doctrinae retulit Pufendorffius. Quem vehementer quidem electori displicuisse mentitus est Becmannus, contrarium autem ex insigni, quo eum honoravit elector, munere constat, qui etiam post illius ex Palatina aula discessum gratiae ei testimonia, et verbis et re ipsa haud vna vice testatus est ^s. Factum id anno MDCLXVII, quo fama Pufendorffii et praeclara de literis merita valde augeri et ad exteris perferri coeperunt. Cuius luculentum specimen est, quod regni Suecici cancellarius ad fratrem Pufendorffii, tunc Parisiis residentem scripserit, eumque rogauerit, ut ipsi persuaderet, ne vocationem Suecicam renueret. Cuius suafu tandem professionem iuris naturae in academia Londinensi, in Scania, honestissimo stipendio, concessoque loco primario accepit, illuc anno MDCLXVIII profectus. Quam spartam ut in schola recens excitata rite ornaret, post iacta disciplinae eius, quam tradendam acceperat, fundamenta, ius naturae, iusto tandem systemate complectendum esse, seruatoque ordine accurato abiecta taediosa *παιδείας*

Ccc cc 2

mathe-

n) Leibniziana, p. 181.

o) Hist. lie. P. III. c. 2. §. II. p. 637.

p) Vtebatur autem elector erga Pufendorffium

quoque interprete Io. Lud. Fabricio, vid. Er. Scand. p. 122.

q) Act. phil. Vol. III. p. 656. Er. Scand. l. c.

r) l. c. s) ll. cc.

mathematicae aemulatione, iuris naturalis praecepta explicanda statuit. Quamquam enim doctrinae ciuili quoque se tradiderat, eiusque arcana mira animi sagacitate erat affecutus, cuius specimen potest elegantissimum, quem adfcitio SEVERINI DE MONZAMBANO nomine Heidelbergae in vulgus emisit tractatus, *de Statu imperii Germanici**, (quem miris contradictionibus, refutationibus fiscique publici vexationibus presum, summorum tamen virorum KVLPIII et THOMASII commentationibus dignum visum esse, in historia critica et literaria iuris publici Germanici exponendum est) nulla tamen in re magis vim ingenii diuinam, elegantissimae doctrinae innutritam demonstrauit, quam in nouo illo I. N. et G. opere, cuius historiam, ob instituti rationes paulo plenius trademus.

*Pufendorfi
ius naturae
et gentium.*

§. XIV. Sumfit Pufendorfius occasionem extruendi noui aedificii I. N. et G. partim ab adhortationibus illustrissimi Boineburgii, supra iam tactis, quibus eum ad formandam legum naturalium collectionem instigauerat, et quibus obsequi se velle, in luculenta, qua rationem modumque consilii sui exposuit, epistola promiserat; partim quod iuuenilem iurisprudentiae diuiniae laborem, emendare et maturiori aliquo scripto illius immaturitatem veluti publice deprecarari vellet. Accedebat, quod ab electore Palatino primus iuris naturae ac gentium professor constitutus, in eo sibi elaborandum esse crederet, vt ad eam disciplinam excolendam aliquid conferret, quae primo ipso interprete in cathedras ascendisset. Et quamuis Grotium, Hobbesium, Seldenum laude sua priuandos esse minime duceret, ratus tamen, esse haud pauca, quae adiici, nonnulla, quae mutari emendarique possent, manum ipse operi admouere, eoque, qui commodissimus ipsi visus fuerat ordine digerere, obseruationes suas ad ius naturae et gentium spectantes constituit, id laboraturus, vt omnia solidis et perspicuis rationibus, quantum fieri posset, confirmaret, et illa, in quibus ante eum alii impeggerant, declinaret, bona fide suum cuique restituens, neque tamen in eiusmodi materia, in qua suo iure ratio regnat, vllius hominis auctoritatem tanti faciens, quin id potius amplecteretur, quo grauiore rationes ducerent. Fundamentum itaque in principio aliquo communi, primo, certo atque perspicuo, ex quo hominum inter se officia et obligationem (de quibus solis sibi statuendum in hoc opere sumfit) luculenter deriuare possit, quaerens, studiose sibi cauendum existimauit, ne reuelationis et rationis lumina, misceret atque confunderet. Illud autem principium in socialitate hominis cum Stoicis, Grotio, Cumberlandioque inueniri credidit, quod nullum aliud principium deprehenderet, ad quod admittendum, ipsa mortalium conditione suffragante, adigi possent omnes homines, quamcunque demum persuasionem circa diuina haberent. Religionem vero, quae officia erga Deum praescribit, ita considerandam hoc loco putauit, quatenus illa societatibus hominum effica-

*) Conf. Biographia Pufendorfi laudata p. 740.

efficacissimum vinculum praebeat, eaque quae aduersus se ipsum homini obseruanda sunt, eandem utique societati commodiorem reddant. Huic itaque fundamento totum, quod magna industria condidit, iuris naturalis aedificium inaedificauit, ita in hoc labore versatus, ut definitiones primo iustas rerum notionumque moralium, quas entia moralia commode vocat, daret, videbat enim ex illis neglectis nebulas lectoribus haftenus esse offusas. Sunt autem entia moralia modi quidam, rebus aut motibus physicis superadditi ab entibus intelligentibus, ad dirigendam potissimum et temperandam libertatem actuum hominis voluntariorum, et ad ordinem aliquem ac decorem vitae humanae conciliandum. Horum autem entium moralium dari certam notitiam, maleque disciplinis moralibus certitudinem apodicticam abiudicari, ante omnia eleganter et perspicue demonstrat Pufendorfius, ratione a mathematicis petita, quos demonstrare nemo negat. Viditque recte vir acutissimus originem erroris potissimum inde oriri, quod subiectum demonstrationis necessarium requirendo, id de ente necessario existentem intellectum sit; cum subiectum demonstrationis non sit simplex aliquis terminus, sed integra enunciatio, cuius necessaria veritas ex certis principiis syllogistice deducatur; et sufficiat, si posita existentia certas ipsi affectiones necessario competere, ex indubitatis principiis ostendi queat. Nec indifferentes esse actus morales, recte obseruat, quia intrinsicam habeant vim ad socialitatem, licet respectu existentiae a libertate voluntatis dependentis dicantur contingentes. His suppositis ante omnia actionum moralium principia et affectiones, tum qua ratione per imputationem cum homine veluti moraliter connecti intelligantur, considerat, indeque quid intellectus, eiusque operatio circa moralia, quid conscientia, ignorantia errorque theoreticus et practicus sit, dispicit, et voluntatem, eiusque tendentiam in bonum, libertatem, et affectiones intuetur; et tum, quae ex harum facultatum natura atque indole exoriantur actiones morales, declarat, quidque ad actionem moralem, causamque ut imputari vel non imputari possit, requiratur, definit, et qua ratione imputatio se habeat, luculenter explicat. Deinde actionum moralium normam, seu legem, intuetur, describendo, quid consilium, pactum, ius, lex, obligatio sit, et quid ad obligationem legis requiratur etc. hisque subiungit actionum moralium qualitates, quidque actio necessaria, licita, bona, mala, iusta, iniusta, quid iustitia, quid iniuria sit, exponit, imputationis quoque et meriti naturam contemplatur. Ita actionibus moralibus in genere consideratis, libro secundo naturam hominis respectu ad legem expendit, demonstrans, hominis naturae non congruere, ut viuat exlex, nec tamen statum naturalem Hobbessii, naturae humanae conuenire, sed lege opus fuisse, ad quam creaturae rationales se componere tenerentur. Hinc de iure naturali disputationem exorsus, eius obiectum non esse necessarium ante legem contendit, nec niti consensu gentium vel utilitate, nec ex dictamine conscientiae colligi posse, sed genuinum fundamentum ex conditione hominis petere asserit. Quibus praesuppositis, quae

ex hac natura atque conditione hominis officia et praestationes erga se ipsum exoriantur, tradit, et defensionis naturam illustrat, quodque ius, quem fauorem necessitas habeat, eleganter delineat. Tertio autem libro leges naturales ad alios respicientes prolixè exponit, quae sunt: vt nemo laedatur, et, si quod damnum fuit datum, reparetur; vt omnes homines pro aequalibus habeantur, vt promiscua officia humanitatis ad promouenda alterius commoda exercentur, vt feruetur pactorum fides et obligatio, cuius naturam hoc loco describit, et quae indoles pactorum et promissorum in genere sit, qualis consensus circa promissa et pacta sit adhibendus, quae possint promitti vel pacto iniri, quae conditiones eorum adiici queant, quibus ministris ad ea vt liceat, copiose prosequitur. Libro quarto officia legumque obligationem circa sermonem considerat, et tum sermonis obligationem in genere, veritatem, eiusque opposita, mendacium, falsum, simulationem, ambiguitatem morali contemplatione impendit, tum in specie ad iusiurandum respicit. Sequitur facultas humani generis in res, dominii origo, obiectum, occupatio, acquisitiones accessionum, ius in res alienas, translatio dominii, testamentum, successio ab intestato, vsucapio, obligationes quae ex dominio rerum per se oriuntur. Libro quinto tractat de pretio, de contractibus, quae pretia rerum supponunt, de aequalitate in contractibus onerosis seruanda, de contractibus beneficis, de permutatione, emtione et venditione, de locatione et conductione, de societate, de pactis accessoriis, de modis soluendi obligationes ex pactis, de interpretatione, de modo litigandi in libertate naturali. Ita considerato toto statu naturali, ad rimandam originem et naturam imperii humani conuertitur libro sexto, hincque quid matrimonium sit, quae eius indoles moralis, quae leges et officia inde resultantia explicat, similique modo versatur circa potestatem patriam, herilemque; tum ad imperium ciuile libro septimo delatus, in causam impulsuam constituendae ciuitatis inquirit, et internam ciuitatis structuram, generationem summi imperii ciuile seu maiestatis, partes summi imperii earumque naturalem connexionem, formas rerumpublicarum, affectiones summi imperii, modum acquirendi imperii, imprimis monarchici, sanctitatem summi imperii ciuile, officia summorum imperantium, curioso et attento perlustrat oculo. In libro octauo, in euoluendis quaestionibus praecipuis, quae circa singulas partes summi imperii mouentur occupatus, in indolem legum ciuiliu inquirit, tum de potestate summi imperii in vitam ciuium ex occasione defendendae ciuitatis, et ex causa delicti, de potestate summi imperii circa definiendum valorem ciuium, circa bona tam publica, quam priuatorum, et in specie de iure belli, de pactis bellicis, de pactis pacem reducentibus, de foederibus, de pactis regum promiscuis, prolixè doctèque differit, et quibus modis ciuis esse quis definat, docet, mutationem quoque et interitum ciuitatum considerando, amplissima tractationi finem imponit. Non est huius loci, quid de his capitibus omnibus visum sit Pufendorfio, speciatim exponere, hoc enim ad specialem iuris naturae historiam pertinet, et paucis explica-

ri non potest, neque eo magnopere opus putamus, cum non tantum ipsum praestantissimum opus de I. N. et G. in plerorumque manibus sit, sed et elegans et luculentum eius compendium ipse Pufendorfius in libello *de Officio hominis et civis* dederit, qui cum in iuventutis quoque studiosae manibus vbique locorum versetur, facile ex eo pilosopemata Pufendoriana cognosci possunt. Id vnum notamus, Pufendorium a notionibus metaphysicis valde abhorrentem, veterem doctrinam de moralitate actionum antecederet ad legem, siue voluntatem imperantis adeoque ipsius Dei reiecisse, quamvis internam actionum honestatem, et habitum ad socialitatem non negaret: ratus, moralis actionis veram et nativam faciem, nisi a lege deriuetur, concipi non posse. Quo de argumento vehementer postea contra eum, et quem vestigia Pufendoriana secutum esse supra obseruauimus, Christianum Thomafium disputatum est, vt suo loco dictum. Valde placuit viris eruditis opus eruditione diffusum, ingenio iucundum, iudicio limatum, quod et nativa cogitandi series et facilitas quaedam, et ordo praestantissimus, et dictio luculenta atque castigata, et lectio in scriptis veterum et recentiorum haud perfunctorie versata, et imprimis ipsa systematis nouitas et vtilitas vehementer commendauit. Id quod ex iteratis editionibus, quae post primam Londinensem in Scania anno MDCLXXII editam comparuerunt, colligi potest. Repetita enim vice prodiit *Francofurti* anno MDCLXXXIV, MDCXCIV, MDCCVI cum Annotationibus IO. NICOLAI HERTII, nec non *ibid.* MDCCXLIII, cum eiusdem HERTII, IO. BARBAYRACII et illustris GOTTFRIDI MASCOVII Annotationibus. *Amstelodami* MDCCXV. Germanis legendum vernacula dedit IMMANUEL WEBERVS *Francofurti* MDCCXI, maxime vero versione Gallica compta et ornata, et eruditissima praefatione auctum edidit praestantissimus BARBAYRACIVS, *Amstelodami* MDCCVI, MDCCXII. Anglica quoque lingua aliquoties, nitidissime vero *Oxonii* MDCCX comparuit. Longum vero esset, testimonia virorum doctorum colligere, qui selectum, ordinem, perspicuitatem, soliditatem et elegantissimae eruditionis copiam in hoc opere laudauerunt, indicabunt potiora STOLLIVS ^u, FABRICIVS ^x, REIMMANNVS ^y, alii ^z, maxime historiae iuris naturae scriptores notissimi. Nobis Pufendorium Grotio in haud paucis praefendum esse, adeo manifestum videtur, vt dubitationi locus de eo non sit, quamvis nonnulla acutius viderit Grotius. Maxime mathematicorum leges et ordo cogitandi atque ratiocinandi Pufendorio plurimum profuit, cuncta enim nativa serie se sequuntur, nec vnquam ita dimittit ex oculis primum, quod stabilivit, principium, vt non consecutaria inde fluant apte et naturaliter cohaerentia, id quod non potuit non perspicuitatem tractationi huic admirabilem conciliare, quae tamen maior, et ipsa scriptio prolixitate minus molesta fuisset, si in cumulanda lectionis in veterum scriptis versatae copia parciore auctor

u) l. c. p. 638.

x) Hist. bibl. suae T. IV. p. 171.

y) Hist. lit. Germ. P. VI. p. 41.

z) Bibl. iuris imp. l. c. p. 32.

auctor fuisset. Quod tamen non Pufendorffio imputandum est, sed genio istius seculi, quod eruditionem ex lectione copiosa iudicabat, vnde cum aduersarii eius ignorantiam Pufendorffio obiicerent, monente Boineburgio istis deliciis dissertationem longissimam et maxime seriam conduiuit temperavitque. Quamuis autem viri eruditissimi et philosophi acutissimi performam in hoc opere sustineret Pufendorffius, dici tamen vix potest, quot et quantas contradictiones id passum sit, quot rixas excitauerit, quantis litibus ansam dederit, quas in sequentibus narrabimus. Hoc loco vnum modo notamus, ex quo de ceteris iudicium ferri potest, Iesuitas Viennenses, augustissimi imperatoris, theologos Lipsienses electoris Saxoniae auctoritatem imploratam interposuisse, effecisseque, vt vendi prohiberetur. Quod apud nonnullos librum quidem suspectum fecit, multo tamen suspectiores apud plerosque Pufendorffii aduersarios, quod his artibus auctorem aggredierentur, vnde factum, vt eo ardentius legeretur. Nec tacendum, viros etiam cordatos et cetera ingenuos Pufendorffii laudatores passim quaedam in eo reprehendisse. Non repetemus ea, quae censura Leibnizii in hoc opere notauit, cum iam supra diligenter eam depinxerimus, sed ad vnum CHRISTIANVM THOMASIVM^b prouocamus, quem inter *μεγίστους* Pufendorffii primo loco stetit, et maximum in hac arena puluerem excitasse supra narrauimus. „Is enim in Pufendorffio reprehendit testimonium scriptorum nimis cumulata, licet moneat, Pufendorffium necessitate coactum id fecisse, inuidis obiicientibus, quod veteres scriptores non legisset; nec placet, quod hominis naturam magis in aliorum opinionibus, quam propria experientia quaesiuerit, ideoque intellectui in voluntatem imperium concesserit, putaueritque homines aequae eiusdem esse naturae: culpatur etiam, quod in multis adhuc nimis opponat moralia naturalibus, et in definiendis entibus moralibus nimium impositioni tribuat, legisque homonymiam non satis secreuerit, et diuinam cum humana esse vniuocam crediderit. &c.“ Quae quem locum mereantur, ex comparatione I. N. Pufendorffiani et Thomafiani disci debet.

*Reliqua vitae
Pufendorffii.*

§. XV. Incredibile fere est, quantis inimicitis ob hoc praeclarum opus Pufendorffius petitus, quam molestis ab eo tempore litibus implicitus, quibus odiis et calumniis exagitatus fuerit. Quae omnia cum mire cohaereant, vna serie in sequentibus narrabimus. Hoc loco sufficit annotasse, vt acerbitas et ignominia istarum litium intelligatur, imprudensime aduersarios Pufendorffii in eius famam nomenque fuisse debacchatos. Traduxerunt enim eum velut iuuentutis seductorem, hominem gentilismo detestabilem, atheum, in summos principes, ipsiusque augustissimi imperatoris maiestatem iniurium, profani Epicureismi fautorem, scortatorem, adulterum, Machiaueli discipulum, sodomiae suspectum, magum, infami Fausto haud meliorem, et quae alia horrenda ei crimina obiiciebantur. Id quod ex famoso libello Becmanni intelligi potest,

a) Er. Scand. p. 208. Specim. controu. c. 1. b) Fundam. I. N. et G. p. 5. conf. REIMMANN. p. 41.

est, cuius historiam postea tangemus, quem tamen mascule et non sine fa-
 se nigro asperso retudit ipse Pufendorfius. Nec contenti calumniatores
 orbi literato eum velut pestem quandam et carcinoma ferro igneque rese-
 candum et extinguendum denuntiasse, apud summos quoque principes et
 in aulis famam eius aperte arrodere et mendaciis atque calumniis, inquina-
 re non erubuerunt. Sed dispulit has nubes, licet crassissimas et atra
 nocte cinctas, velut exortus aethereus sol, Pufendorffii innocentia et con-
 stantia, ita per vulgus nota, et vbique locorum agnita, vt et celebritate
 in ciuitate erudita nomen eius quotidie cresceret, et in aulis indies gratio-
 sum magis fieret. Cuius exemplum esse potest, quod Holmiae, quo se
 exorto bello inter Suecos Danosque, contulerat, axiomate regii consilia-
 rii, et historiographi auctus a secretioribus chartis regi regnoque, post
 Loccenii mortem, esse iussus sit. Cui muneri splendido, et industriae,
 quam illi rite ornando impendit Pufendorfius, debemus splendidos com-
 mentarios *de Rebus Suecicis sub Gustavo Adolpho vsque ad abdicationem
 reginae Christinae, et de Rebus a Carolo Gustavo gestis*. Qui fortunae
 fauores non retuderunt quidem inimicos Pufendorffii, quo minus pugna
 indecora eum subinde aggredierentur, et latratibus impugnarent, at addi-
 derunt ingentem Pufendorffio animum, eos contemnendi. Ita vero in
 historia Suecica versatus est, vt in aula quoque Brandenburgica magna ex
 ea diligentia, ipsius existimatio enasceretur; vnde factum, vt Berolinum
 ad scribendam magni principis, Friderici Guilelmi, electoris Brandenbur-
 gici historiam vocaretur, sanctiori consilio adscriptus. Quem laborem
 quoque suscepit, et, regnante Friderico I. Borussiae rege feliciter absol-
 uit, de quibus tamen eius operibus hoc loco plura dicere institutum ve-
 rat *. In illustri hoc theatro positus, cum haud raro consiliis aulae in-
 teresse iuberetur, litium pertaesus, cum hostibus, qui supererant, satis
 iam debellatis pacem iniit. Sentiens autem, in religionis negotio se su-
 spectum haberi scripsit *Ius feodiale diuinum*, quod tamen morte praeuen-
 tus edere non potuit, iussit autem vulgari ^e. Cuius libri elegantis, et
 de auctoris sui peritia in argumento quoque theologico testantis examen
 suscepit B. WOLFG. LAEGERVS, edito *Iure Dei foederali* ^d, cui satisfacere
 studuit I. B. ETTENHVSIVS in *Epistola ad Rechenbergium*, quo
 nomine illustrem iureconsultum Io. BALTHASAREM VON WERNHER
 latere dicunt ^e: qui ideo cum Laegero controuersiae ferram reciprocauit,
 de qua alibi ^f dicendum. Apud Suecos autem tanta eius nominis exi-
 stimatio perdurauit, vt non modo a Suecorum rege anno MDCXCIV, in
 baronum ordinem extolleretur, sed sint quoque, qui asserant, reuocan-
 dum

*) Conf. CHRIST. GRYPHIUS de Historicis
 Sec. XVII. p. 70. STRVVIJ Biblioth. hist. p. 542.
 VOGT. Cat. libr. rar. p. 484.
 c) Lubec. 1695. 8. d) Tubingae 1698. 8.

e) Bibl. iuris imperant. I. c. §. 16. p. 45.
 f) Conf. BYDDERVS Itag. Lib. II. c. 1. p. 429.
 PFAFF. Hist. lit. theol. T. II. L. III. p. 186. CLER-
 ICVS Bibl. choisie T. VII. art. II. p. 394.

dum fuisse in Sueciam, Historiam quoque belli Turcici describere ab aula Viennenſi iuſſum eſſe teſtatur CHRISTIANVS GRYPHIVS ^g, alii vitam Leopoldi magni conſcribendam illi commendatam fuiſſe aſſerunt. His autem omnibus interceptus eſt ab hora ſuprema, quae illum eo anno VI Cal. Nou. anno aetatis climacterico rebus mortalium ſubduxit. Statura erat breui, quod vitiligatori Becmanno occaſionem dedit, eum velut homuncionem traducendi, at ingenio magno, excelſo, ardente et cum iudicii acrimonia tum imaginandi virtute valde vigente. Quod, ſi alia ſpecimina deſſent, in eo vno potiffimum demonſtrauit, quod errores ſcriptorum eorumque cauſas profunde inſpexerit. Cuius exemplum eſſe poteſt, hiſtoria iuris naturae ab eo ſcripta, quae primo loco in *Specimine controuerſiarum* extat, et accurate pariter atque eleganter de ſcriptoribus iuris naturae iudicat. Iſtis vero naturae muneribus inſtructus, et doctrinae atque lectionis copia adiutus, mirum non eſt, plurimum eum in condendo nouo iuris naturae et gentium ſyſtemate profeciſſe, et qui ante eum ſcripſerunt, anteuertiſſe. Laudanda quoque in eo eſt dicendi ratio caſtigata quidem et ab elegantiā non deſtituta, at aperta tamen, ſimplex, et a ſuſcitatio aliena, et vigore quodam naturali ſe lectoris animo inſinuans. Plurimum vir ſummus legerat, et non modo innumera memoria recolebat, ſed et iudicio interpoſito excutiebat et examinabat, vnde deriuandum eſt, quod non nudae contemplationi libri eius deſtinati ſint, ſed formando iudicio practico ſcripti, et hoc quoque nomine quam maxime commendari mereantur. Cuius generis ſcripta eius hiſtorica ſunt, ſupra enumerata, quibus incomparabilis *Introductio in hiſtoriam*, variis ob praeſtantiam linguis expreſſa, itemque tractatio *de Sede Romana*, BASILII HYPERETAE nomine edita merito addi debet. Iſtum quoque opus *de I. B. et P.* non tam ſcholae quam vitae adaptatum eſſe, attentus lector facile deprehendet. Idem de eleganti, quod ex eo contraxit compendio, cui titulum *de Officio hominis et ciuis* praefixit, dicendum, quod Londini Scandiae MDCLXXIII. 8. prodiit, et tum ſaeppiſſime reuſum, Anglorum quoque lingua, et Gallorum a doctiſſimo BARBAYRACIO cum annotationibus ab IMMANVELE PROELEO autem Germanico idiomate expreſſum eſt. Tacemus editiones cum annotationibus WEBERI, TITII, WALDKIRCHII, TREVERI, KEMMERICHII, HOCHSTETTERI vulgatas. Quamuis enim mire diſplicere ſibi hunc libellum *ἐξωρεγμῶς* tantum ſcriptum teſtatus ſit peculiari epiſtola illuſtris Leibnizius, non deſuerunt tamen, qui ad eius cenſuram reſponderent, ſuo loco indicati. Ipſe quoque libellus multoties fundamenti loco in praelectionibus academicis adhibitus eſt, vnde commentationes nonnullae in eum enatae ſunt, de quibus videſis doctiſſimum STOLLIVM ^h. Commendauit quoque iudicii maturitatem Pufendorfius in tractatu *de Habitu religionis Chriſtianae ad rempublicam*, in qua eleganti diſſertatione euicit,

g) l. c. p. 72.

h) l. c. p. 641. ſeqq.

eucit, ecclesiam non esse statum in statu independentem, sed collegium aliquod, hancque veram iurium imperantium circa res ecclesiasticas originem fontemque esse ⁱ. Ceterum quae moribus eius obiecerunt aduersarii, calumnias esse, satis compertum est, et ab ipso indubitatis innocentiae et sanctitatis morum testimoniis euctum. Vnam scribendi respondendique aduersariis rationem acrem et subiratam forte reprehenderis, quam tamen furor hostium, nec famae nec vitae eius parcens facile excusat.

§. XVI. Et haec quidem magni viri, Samuelis Pufendorffii vitae historia est: quae tamen cum maxime litibus ob ius naturae et gentium editis valde memorabilem locum in historia doctrinae moralis occupet, paulo plenius harum quoque controuersiarum enarratio, rite cohaerens iam danda est. Cuius haut contemnenda pars ex *Eride Scandica* ab ipso Pufendorffio edita ^k disci potest, in ea enim scriptorum apologeticorum syllogen quandam exhibuit; optandum autem, vt etiam aduersariorum libelli eristici collecti extarent, vt comparari cum illis possent, plerique enim ob futilitatem suam tantum non interierunt. Vnde omnino grates referendae sunt cel. HEVMANNO ^l, qui monumenta nonnulla ad historiam controuersiarum Pufendorffianarum pertinentia vulgavit; tum illustri CHRISTIANO THOMASIO, quod loca in recentioribus *Eridis Scandicae* editionibus omiffa, ne viuientium famam laederent, indicauerit et suppleuerit ^m. Ex his actis et *αυτογράφαις* autem cum cura collectis et inter se collatis hanc historiae Pufendorffianae partem enarrauerunt scriptores historiae iuris naturae BVDDEVS, GROENINGIUS, LVDOVICVS, THOMASIVS, quorum vltimus omnium plenissime has lites exposuit. Quas iam strictim narratione perfequemur.

Controuersiarum Pufendorffianarum fontes historici.

§. XVII. Vocatum fuisse Pufendorffium ob nominis claritatem et doctrinae famam in academiam Carolinam, non ita pridem Londini Scandiae vrbe excitatam, supra diximus. Ea in schola cum iuris naturae explicandi munus accepisset, primo loco inter professores esse, et nonnullis praerogatiuis aliis gaudere ab aula Suecica, in qua fautores potentes habebat, iussus est. Ob quam auctoritatem, qua aliis praeponebatur, adussit nonnullos inuidia, vt cum hominem peregrinum sibi praeferrī indignarentur, eius euertendi consilia agitent. Cuius finis obtinendi medium aptius non videbatur, quam si haereticae prauitatis veneno infectum Pufendorffium suspecta dogmata erroresque pestilentes fouere disseminarent: subministravit infidiis materiam opus de iure naturae ac gentium, cuius adhuc folia typis madaebant. Coniurarunt inter se de exitio Pufendorffio contrahendo Nicolaus Becmannus, professor iuris Londinensis, Iosua

Litium Pufendorffianarum de I. N. et G. origines.

Ddd dd 2

Schwar-

i) Extat etiam eius politica inculcata, quae dissertationes politicas complectitur, Lond. Scan. 1679.

k) Francof. ad Moen. 1686. 4.

l) Act. phil. Vol. III. p. 641. 770. seqq.

m) In paulo pleniori historia I. N.

Schwarzzius, professor theologiae et Christianus Foffius, quamvis antea frigida illis amicitia vel simultas potius quaedam intercessisset, qui Petrum Winstrupium quoque in partes suas pertraxerunt. Hi aduersarii Pufendorffii quales fuerint, scire, historiae Pufendorffianae interest, ipse, quos se praebuissent, lectorem non ignorare voluit. Nicolaus Becmannus Heida apud Dithmarfos erat oriundus, studiorum rudimenta in academia Regiomontana posuit, et flagrante tum bello Polonico in familiam Gustaui comitis Oxenstiernae imperatoris exercitus Suecici receptus est, ut filio eius prima literarum elementa traderet. Ibi sex annos moratus, amore puellae cuiusdam lotricis non nimis bonae famae correptus, matrimonium ei promisit. Deinde Marpurgum abiit, et se ipso praeceptore iuris Romani studium aggressus est, eo successu, ut in Galliam postea delatus *Medullam Iustinianeam* ederet, quam tamen exsurrepto professori cuidam collegio msc. pandectarum doctrinam explicante eum descripsisse, eique interpolandi tantum laboris insumisse, ait Pufendorffius, ut iterum contraheret. Hoc se a studiosis Marpurgensibus accepisse refert. Aurelius gradum doctoris iuris praesente pecunia redemit, ex quo magni illi spiritus enati sunt. Commendatione comitis, cui seruiuerat, in academia Carolina professoris iuris spartam obtinuit. Animi autem impotentis homo, cum nullum Professorum aequae ferre posset, et turbas quotidie aleret, anno MDCLXX numero professorum, aula Suecica iubente, exclusus est. Inde Holmiam profectus, precibus tandem obtinuit, ut professoris honorarii titulum obtineret, sed sine stipendio. Is ferre non poterat, loco ordineque ipsi praeferrere Pufendorffium, ideoque prius omnem lapidem mouerat, ne in academiam istam vocaretur. Quod cum non effecisset, videretque stipendium illi sesquialterum a rege datum, et primum locum assignatum, qui tamen doctor iuris non esset, indignaretur autem, confluere ad Pufendorffium nobilem iuuentutem ipso neglecto, de eo loco callide mouendo consilia inuit. Et primo quidem, cum per sex septimanas eius domo usus esset Pufendorffius amicitiam simulans, aures ei obtudit, ut de largiori statione Holmiae sibi dispiceret; cumque hoc pacto nihil promouisset, tacite principia Pufendorffiana carpere coepit. Accessit inuidiae nutrimentum, cum Pufendorffianum de I. N. et G. opus carceribus tyothesiarum proxime liberandum esset, ipse vero commentario ad instituta, illud, prout optabat, praeuere haud posset. Totus igitur ira et inuidia aestuans, cum reliquis, quos diximus, conspirationis societatem in Pufendorffium inuit, et quae nouitatis suspecta videbantur, ab illis in indicem relata, de quo in sequentibus dicemus, clam subduxit Giesaeque imprimi curauit. Quod cum inquisitione facta, ab eo esse profectum comperisset Pufendorffius, Becmannus animaduertens se deprehensum Holmiam aduolauit, ut missionem suam obtineret, ratus ita eludendi fori praetextum se obtenturum. Sed dilatus, cum iam praesto essent lictores, qui

n) Erid. Scand. p. 111. seqq. A9, philos. I, c. p. 647.

qui eum comprehenderent, nocte concubla aufugit Holmia, in itinere comitis personam mentitus, vt equi eo citius praesto essent. Sicque licet ad regni portus fistendus ex mandato regis esset, attamen in Selandiam euasit: et inde Hafniae literis Pufendorhium ad *μονομαχίαν* prouocans, libellum illi famosum minatus est, aeterna persecutione iurata. Proceflu autem contra illum instituto cum citatus aliquoties non comparuisset, a senatu academico sententia dicitur, regique transmittitur. Is veniam daturum promittit, si culpam fatendo, apud Pufendorhium ea de re precibus egisset. Ast illo ferocius per epistolam instante, frustra renitentibus partibus eius fociis, sententia executioni data, et per praeconem in foro publice vulgata, index publice per carnificem combustus mense Aprili anni MDCLXXV Beckmannus cum infamia relegatus est, Pufendorsius in apologia edita vt hominem huius commatis decebat, depexum dedit. Quibus fatis in rabiem atque desperationem actus Becmannus, eiurata religione Lutherana Romanam in Stiria amplexus, et quod alii volunt, a cardinali Baadenfi aegre sustentatus est; infidias autem Pufendorfio struere et vindictam spirare perrexit; immisso in irruptione Danorum in Scandia milite, qui Pufendorfium sustulisset, nisi is prius Malmogiam se subduxisset, vnde ad calumniam conuersus, libellum *σηλυτευτικόν* in Pufendorfium, Veridici Constantis nomen mentitus emisit, de quo in sequentibus dicemus. Et haec quidem de Becmanno. Iosiam Schwarzium vero, qui proximus a Becmanno fabulae huius actor fuit, „Pufendorsius refert, statim post „absolutam pedibus peregrinationem, in patriam reuersum obtentu zeli „id turbarum dedisse, vt ni Gedanum profugisset, capitis supplicium subiturus fuisset, quod totum negotium in Pomerania electorali notum esse ait. „Deinde Holmiam petiisse, et Teutonici concionatoris munus frustra am- „biuisse, iussum tamen esse, cum de instituenda academia Carolina agita- „retur, vt importunum flagitatorem aliquo extruderent, concionatorem „Teutonicum Londini agere, adiuncto extraordinarii professoris titulo. „Sed postea cum qui vocatus erat, celebris theologus, accedere abnuisset, vi- „ro, qui tunc gratia quorundam regni procerum florebat, adulando adrepsis- „se, eoque procurante professoris theologiae vocabulo potitum, rixositate „famae acquisiuisse, in plerisque disciplinis sacris hospitem plane; et in- „super ingenio infelici, huncque ideo de macula ipsi inurenda cogitauis- „se, vt inde nomen praetextu zeli theologici acquireret. Sed et prius „cum Petro Winstrupio ^p, Scaniae episcopo, atrocissimis litibus collisum „fuisse, quae in eius exitium exire visae sint, nisi sua opera compositae „fuissent.“ Hoc itaque classicum canente turbae Pufendorfianae initium sumferunt, Schwarzio tum e suggestu sacro, tum ex cathedra theologica

Ddd dd 3

Pufen-

e) Ibid. p. 196. THOMAS. l. c. p. 108. Eibl. iur. imp. l. c. §. 4. p. 33. seqq.

p) Erat is episcopus Scandiae, et canonicus

Londinensis, nobilitatis iure donatus, vnde magna inter suos auctoritate vixit, denatus, feruentibus his litibus 1675. Quae ratio fuit, cur in hanc societatem pertractus sit.

Pufendorffium, dissimulato quidem nomine, saepius insultante. Is postea cum in bello inter Suecos Danosque oborto, Scandiae incolas esset hortatus, ut Daniae regi homagium praestarent, et vestigal soluerent, Suecia aufugere coactus, in Daniam concessit, inque ea rebus sacris et ecclesiarum Slesuicensium ephoriae praefectus est. Et haec quidem de aduersariis suis refert Pufendorffius, qui licet, irritatus et vehementer offensus ea scripserit, patet tamen ex conatibus aduersariorum, malo animo artibusque minime laudandis illos in eum coniurauisse, nihilque esse in hac narratione, quod magnopere a verisimilitudine abeat, et fidem non mereatur, nisi in circumstantiis nonnullis exagerandis aliquid affectui dedisse Pufendorffium contendere quis velit.

*Series con-
uersionum
Pufendorffia-
narum.*

§. XVIII. His actoribus scena hunc in modum instructa est. Non dum totum emerferat ex tenebris opus Pufendorffii, cum auide in foliorum quae nancisci poterant lectionem inuolarent, et clandestino consilio expendere, quid in iis notari posset. Libro autem integro prodeunte, quem censura regia iam roborauerat, scripserunt Holmiam, cum suspectum reddituri petentesque, ut periculis ex hoc libro enascendis prospiceretur, et censurae theologorum traderetur. Responsum ad haec leniter et humaniter, quiescerent, et rerum suarum satagerent, librum politicum enim ad theologos non spectare, et regis censuram passum iam esse. Quae cum illis non arriderent, loca quaedam suspecta cum literis Holmiam ad theologum quendam miserunt, ut ex illis aulae regnique proceres errorum Pufendorffianorum specimen caperent. Ea vero cum ne sic quidem euentum, quem cupiebant, sortita essent, de construendo errorum in opere de I. B. et P. occurrentium catalogo dispicere coeperunt; conscripsit ideo Schwarzzius indicem nouitatum, in quo per omnes compendiorum theologorum articulos eundo periculosas nouitates sparsisse Pufendorffium demonstrare voluit. Exhibet integrum indicem hunc ipse Pufendorffius, ex quo non sine admiratione et indignatione impudentiae lector colliget, quantis machinis verba viri celeberrimi torserit auctor, ut ex illis *ερεποδοξίαν* exculperet. Hunc indicem theologicae facultati exhibuit Schwarzzius, quae cum conuenisset, ut de ea re dispiceret, in partes itum, seniore cum Schwarzziio conspirante, reliquis dissentium testantibus. Intellexit id Pufendorffius; qui cum inter proceres regni et aulae potentes amicos haberet, inter quos emnuit Koenigsmarckius comes, ita in aula rem egit, ut literae regiae ad academiam mitterentur, quibus iniunctum, ut si quis contra Pufendorffii librum monendi aliquod ius habere crederet, priuatim cum eo conferret, eiusque sententiam et declarationem audiret; sique haec non sufficerent, ad senatum academicum referret, qui cognosce-

q) In Apol. Er. Scand. p. 71. seqq.

r) Obiecit id Pufendorffio Becmannus, vid. A.A. phil. l. c. p. 773. vbi Cneium Pompeium ei fauere

ait, quem Koenigsmarckium esse, ex dedicatione Miscellaneorum Laconicorum intelligi potest.

s) Apol. l. c. p. 68. seq.

ret, vtrum digna causa esset, quae ad illustrissimum academiae cancellarium remitteretur, omnia tamen placide et sine turbis agerentur. Accessit vicinae prouinciae praefes ad hoc incendium restinguendum, auditoque auctore indicis, quem scripto exhiberi iussit, Pufendorffium paucis respondere iubet. Vtrumque scriptum in aulam transmittitur, ex quo cum de vanitate querelarum istarum apertissime constaret, aliis regis literis silentium aduersariis Pufendorffii iniungitur, et ne quis litem ob eum librum porro auctori moueat, seuerè interdicitur, graui comminatione addita. Quae cum ferociam aduersariorum nondum compe-scuissent, tertiae adueniunt, quibus Schwarzio denuntiatur, meritum eum esse, vt seuerè in ipsum animaduertatur, hac tamen vice adhuc clementiae locum esse, ea lege, vt caueret ea in posterum abuti. Pufendorffio vero, vt actionem contra eum omittat iniungitur. Quam aulae fauorem erga Pufendorffium mirandum magnopere non esse, ex eo constat, quod non tantum potentibus, vti dictum fautoribus fruebatur, sed liber quoque eius regia censura et priuilegio munitus in vulgus exierat, Index nouitatum autem aperta inuidiae et calumniae specimina prae se ferebat, et intelligi facile poterat, quibus turbis excitandis eiusmodi lites inferuire possent. His itaque repressus Schwarzius a vulgando Indice nouitatum destitit. Eum autem, vt Schwarzius asseuerabat, ipsi subtraxit Becmannus, et Gieslae anno MDCLXXIII typis clam edi curauit. Quae scriptionis impudentis diuulgatio, non Pufendorffium modo, sed et regni Suecici senatores, qui priuilegio librum Pufendorffii munuerant, quique inscitiae hoc modo et negligentiae supinae accusabantur, pessime habuit. Actionem itaque contra Becmannum instituit Pufendorffius, qui cum inquisitione facta apud eum msc. illius indicis deprehendisset, post variam actionem, quam §. praecedente iam descripsimus, et fugam Becmanni, ita perucit, vt Index nouitatum carnificis manu in foro Lundinensi, nequicquam repugnante Winstrupio et Schwarzio, flammis deleretur, et Becmannus cum infamia Sueciae regno proscriberetur, vt in antecedentibus relatum. Schwarzius autem, ne ad hos ignes digitos adureret inuito sibi, et inscio nefarie istum indicem subtractum esse conquestus est, quin et interpolatum fuisse, est causatus; totus tamen quiescere non potuit, sed disputationibus duabus de *Notis veri falsique doctoris* arrodere Pufendorffium, et atro carbone notare, licet non nominatum perrexit. At Pufendorffius cum prius opponentis munus subire constituisset, re altius pensitata breuem refutationem imprimi, eamque inter disputationis auditores, illa finita distribui curauit, eam quoque dissertationi epistolicae ad Wildschuzium postea adiecit. Becmannus in furias actus, infami libello famam Pufendorffii aggressus est, cui qua ratione ille se opposuerit, postea narrabimus. Noua enim interim se fabulae huius Pufendorffianae scena aperuit, quae iam, vt cuncta ordine tradamus, porro est enarranda.

Controuer-
siae Pufen-
dorffii cum
eruditiss in
Saxonia.

§. XIX. Prodierat circa hoc tempus, quo Pufendorffii ius naturae et gentium comparuerat, in scenam controuersia de polygamia simultanea, cuius, antequam Pufendorffius opus suum edidisset, occasionem praebuit BALTHASARIS MENZERI *Epistola super diuortio*, quam ipso incio ecclesiastes quidam typis vulgauerat. Illi opposuit pseudonymus quidam adscito SINCERI WAHRENBERGII nomine, *Dialogum de polygamia*; qui cum valde παράδοξος esset, plurimos in republica literaria motus excitauit. Et variae quidem de auctore huius dialogi opiniones disseminatae sunt. Magna enim audacia et impudentia polygamiam simultaneam circa annum MDCLXXVI et sequentes defendere coeperat, infelix Ioannes Lyferus *, qui cum inter Suecos paradoxam opinionem magno suo malo patefacere coepisset, sub Wahrenbergii nomine iam tum latitasse nonnullis visus est, at exigua verisimilitudine; Wahrenbergii scriptum enim vetustius est, satisque certo ex collatione intelligi potest, Lyferum hunc pariter atque Pufendorffium exscripsisse. Ipse PUFENDORFFIUS, medicum quendam Suecicum auctorem esse, se comperisse ait †; si vero SEVERINO WALTHERO SLYTERO, theologo et ecclesiastae aulico regis Daniae credendum, qui id ex Leyseri ore hausit, quidam comiti Koenigsmarckio ab epistolis istum dialogum parturiuit, quem Balthasar Menzerus refutauerit. In tanta incertitudine de auctore scripti paradoxo, enata nonnullis suspicio, Pufendorffios, vel Esaiam, vel Samuelem eius parentes esse, cuius verisimilitudinem huius opinionis fautores hauserunt ex assertis Pufendorffii hominem in societate tantum statuque naturali considerantibus, et a reuelatione abstrahentibus. Quae coniectura mox disseminata fuit, vehementer indignante Pufendorffio, qui Ioannem Adamum Scherzerum, theologum Lipsiensem, primum fuisse semper suspicatus est, qui hunc rumorem de se sparsisset. Quem cum pro vero haberet Fridericus Gesenius, ecclesiae Garlebensis Ephorus, in refutatione Wahrenbergiani schediasmatis, quam adscito CHRISTIANI VIGILIS nomine polygamiae triumphatrici opposuit, haud obscuris verbis ea propter Pufendorffium petiit ‡. Is cum hac non minus scriptio quam

Indice

*) Famosa est infelicis hominis controuersia, de qua vid. Nouv. de la rep. des lettres 1685. Avr. p. 370. sq. BAYLE Dict. T. III. art. Lamech, not. A. p. 40. art. Lyferus p. 127. LVDOVICI Hist. iur. nat. p. 35. Bibl. iur. imp. p. 56. BVDDEVS Theol. mor. P. II. c. 3. f. 6. c. 9. p. 553. STRVVIUS Bibl. iurid. c. 13. §. 45. aliique multi. Habebat parentem magnum Vitebergensium theologum Guil. Lyferum, scholaeque Portensi erat praefectus. In Sueciam delatum, a comite Koenigsmarckio, coniugis suae Vrangelsiae pertaefo ad defendendam polygamiam inuitatum esse refert REIMANNVS Cat. crit. T. I. p. 696. Illud certum, edidisse eum vernacula apologiam polygamiae, titulo: *Das koenigliche Marck aller Loender*, Frib. 1676. vid. PLACCIVS Theatr. p. 471. et Pseud. p. 28. 88. Hunc inuenustum pullum post-

ea ornatiorem Latine edidit, titulo THEOPH. ALETHAEI Discursus politicus de Polygamia, Frib. 1674. et cum notis ATHAN. VINCENTII Londini Scan. 1682. 4. Qua scriptio ita vixit Holmiesis irritauit, vt facta turba coram sedibus eius eum ad necem postularent, cogereturque magistratus iubere libellum famosum eo in vinculis inspicente per carnificem comburi. Sed inter Danos quoque, vbi ecclesiastae castrensis munereungebatur, a Christiano V. proscriptus, et a multis theologis telis confossus est. Tandem ad Parisienses delatus summa paupertate et miseria enecatus 1685. obiit. Conf. LAVTERBACH. Hist. Socinism. c. 2. p. 148.

†) In Diss. epist. ad Seu. Wildschuzium.

‡) In Cog. theologicis de Polygamia adu. Lyferum, Rostochii 1677. 8. vernacula editis p. 65.

Indice nouitatum nomen suum suspectum et exosum per Germaniam fieri iudicaret, non tacendum ratus, ne innocentia a calumnia opprimeretur, apologiam anno MDCLXXIV edidit, in qua ad calumnias Becmanni fufe, Vigili perfonato, paucis atq; satis acerbè respondit. Regessit quaedam eodem anno Gesevius, edita: *Samuelis Pufendorffii contra I. N. iniquitate, inque illius scrutinio infelicitate*; quocum controuersiae feram reciprocandam haud esse ratus Pufendorffius, *Apologiam ad Ioannem Adamum Scherzerum* habitu epistolico exarauit ¹⁾, eo quod hunc illius rumoris auctorem esse crederet, et suspicaretur, eo instigante Gesenium contra ipsum in aciem processisse; nosset etiam Scherzerum male in ipsam affectum negotium ipsi Lipsiae et Dresdae facessuisse. Relatum enim erat Pufendorffio, Scherzerum Indicem nouitatum supremi senatus ecclesiastici Dresdensis praefidi ostendisse, monentem, cauere, ne respublica Christiana ex libro Pufendorffii detrimentum caperet, et studiosa iuuentus, quae aude eum legeret, a pestilentibus erroribus corrumpere: praefidem Dresdam reuersum, de eo in senatu ecclesiastico egisse, et tum facultatis theologiae in academia Lipsiensi sententiam fuisse requisitam, eam autem, in qua Scherzerus primum locum occupabat, responsionis loco Indicem nouitatum transmisisse, et Geierum quidem rem in medio relinquendam esse suasse, vrsisse vero reliquos, vt electoris nomine academia moneretur, cauere, ne iuuentus studiis inuigilans Pufendorffianis erroribus perderetur. Praeuidit Scherzerus cum aculeato hoste esse congregiendum, ideoque a disputatione abstinuit, quod vt honeste pugnam deprecari posset, a senatu ecclesiastico Dresdensi ipsi iniunctum erat. Ipse vero Christianus Vigil loco Scherzeri in scenam progressus, Pufendorffio *Christianam benedictionem aduersus impiam et immanem maledicentiam eius in epistola ad Scherzerum adhibitam opposuit*. In qua scriptiuncula, ex scripto Monzambani, cuius auctorem se esse tunc negabat Pufendorffius, ea omnia congeffit, quae inuidiam Pufendorffio conflare et suspectum eum facere poterant, poenitentiam ei et mentis emendationem precatus. Nouus autem in Ienensi academia surrexit Pufendorffii aduersarius, Valentinus Velthemius, qui concoquere non poterat, Pufendorffium principium moralitatis Scholasticorum, de actionibus bonis vel malis antecedenter ad voluntatem Dei, reiecisse, ideoque tum in oratione *de Laudibus Scholasticorum* Pufendorffium pupugerat, tum duabus disputationibus ²⁾ receptam Scholasticorum sententiam defenderat, in quibus, licet modestiam et placidam disquisitionem prae se ferret, amaris tamen subinde verbis Pufendorffium fugillauit. Aperta pugna cum hoste, quem contemnebat, non congregiendum ratus Pufendorffius, dissertationibus decem anno

MDCLXXVII,

1) Er. Scand. p. 77. seqq.

2) Titulus illis praefixus: Vera ac genuina

fundamenta I. N. contra Pufendorffium, Ienae 1674.

MDCLXXVII, iunctim editis appendicem adiecit, in qua ad obiectiones Velthemii paucis, more suo respondit, at doctrinam, de moralitate antecedenter ad legem, multa luce perfudit. Non est huius loci argumenta Pufendorffii omnia allegare, quibus Velthemianas acies profligauit, monendum autem esse putamus, valde perspicue Pufendorffium suam de moralitate actionum humanarum a voluntate diuina pendentium, eo loco explicuisse. Facto enim discrimine inter id quod in actione physicum, et quod morale est, itemque inter vocabula, quae nudum motum physicum notant, et quae integram actionem moralem, siue motum physicum moralitate iunctum exprimunt, obseruat, moralitatem actioni physicae inde superuenire, quod insit interna quaedam necessitas, seu obligatio, actionem certo modo et ad certam normam dirigendi. In ea norma constituenda ad Deum esse recurrendum, qui creaturam rationalem istis dotibus instruxerit, et legibus muniuerit, quae suae bonitati et sapientiae placuissent. Obligationem itaque ex eodem, quo homo, fonte deriuandam esse. Nec tamen fingendum esse, Deum potuisse hominem non socialem condere, etsi liberrime eum condiderit: sed ut quaelibet creatura a Deo habeat, quod talis condita sit, ita in homine obligationem ad obseruandam legem, et ipsam legem non ex diuerso principio esse deriuandas, quam ex beneplacito Dei cum sapientia et bonitate coniuncto. Nec hanc Dei voluntatem vagam et desultoriam cogitandam esse, sed ad quem finem semel eadem se determinauerit, ad eum assequendum pro eiusdem bonitate et sapientia constituta media, non minore, quam ipse finis, firmitate gaudere. Quae licet alias notiones de moralitate actionum suppeditent, quam quas Scholastici fouent, nisi tamen egregie fallimur, dum voluntatem Dei in sapientiae et bonitatis eius finibus fundatam supponunt, re ipsa non procul a pristina sententia abeunt, quae in intellectu diuino moralitatis origines quaerit, ut alio loco iam notauimus. Nam voluntatem Dei in bonitate et perfectione firmitatem habere, adeoque immutabilem esse, ipse Pufendorffius fatetur, et ambabus se manibus concedere ait, dari actus, qui per se Deo non conueniant, seu qui salua eius perfectione et citra contradictionem in eum cadere non possint, dari quoque actus per se honestos et turpes homini, id est, qui non possint non posita tali conditioni hominis congruere vel non congruere: sed ad beneplacitum Dei se ideo tantum referre, quia actus hominis voluntatem Dei, ut talis existeret, non anteuertant. Et hoc quidem primarium argumentum fuit, de quo inter Velthemium et Pufendorffium disputatum fuit, in quo haud parum contentions de verbis fuisse, supra iam obseruauimus. Quamuis autem in ista appendice satis clare mentem suam Pufendorffius declarauisset, non cedendum tamen acquiescendumque esse Velthemius ratus est, eo quod crederet, Pufendorffium in quaestionibus metaphysicis et scholasticis rudem esse, idque aut ignauiae aut fastidio delicatiori eius esse imputandum. Vnde iterum ad eius monita quaedam in *Introductione*

in *Grotium regeſſit*. Interim nouus contra Pufendorſium in ſcenam proceſſit antagoniſta, VALENTINVS ALBERTI, profeſſor Lipſienſis, cuius cum Chriſtiano Thomafio controuerſias ſupra enarrauimus. Is in *Compendio iuris naturae orthodoxae theologiae conformato* moralitatem quidem obiectionem, quam vocant, deferuerat, et eum in locum conuenientiam cum ſtatu integritatis ſurrogauerat, ſocialitatem autem a Pufendorſio pro fundamento admiſſam variis modis laceſſere et obiectionibus hypotheſes Pufendorſianas premere coeperat. Quae res nouam his litibus ſcenam aperuit, quae ad finem vsque fabulae totius miris viciffitudinibus durauit, quas in ſequentibus tangemus. Haec dum in Saxonia geruntur, alio loco furebat contra Pufendorſium Becmannus, iam tum ex Scania proſcriptus; vt enim minis ſuis pondus adderet, libellum famoſum contra eum emiſit hoc titulo: *De magiſtri Samuelis Pufendorſii, profeſſoris philoſophiae in Carolina Scanorum execrabili iuris doctrina, horrendo atheiſmi, peruerſis moribus et belluina vita breuiſſime ſed veriſſime ſcribit Seuerini de Monzambano et Tenebrionis Aſinii iuſtus cenſor* VERIDICVS CONSTANS, qui eo fine id facit, vt omnes literati ore, corde et calamo peſtiferam ſicti huius Seuerini ſiue Tenebrionis Aſinii, hoc eſt Pufendorſii doctrinam exſtirpare conentur. In academia Catoniana, calumniis et riſui Pufendorſio contraria. Dedit famoſi libelli ſpecimen cel. HEVMANNVS ^a, ex quo patet, quanta calumniarum atrocitate et impudentia Becmannus Pufendorſium aggreſſus ſit. Ait enim, ex infernalis genii ſchola eum prodiſſe, euertere decalogum, turbare S. R. imperium, profiteri religionem gentilem, negare reſurrectionem mortuorum, diabolum et ſpectra, aſſerere aeternitatem mundi, negligere cultum diuinum et traducere, vitam agere profanam, infamem eſſe Sodomiae criminis, adulteriis, ſcortationibus, comeſtationibus, electoris Palatini principi Machiaueli artes tradidiſſe, ideoque eiectionem eſſe, adeoque inter atheos illuſtres eſſe referendum. Apologiam Pufendorſii ſcriptum vocat, quo nihil turpius, nihil a pietate remotius, nihil ſcurra ac carnifice dignius ſcribi, typis mandari et vulgari potuerit, adeoque eum inter magos Fauſto famoſo loco non cedere contendit. Obiicit facinora horrenda alia, eaque vera omnia eſſe teſtatur, ſicut Deus viuic, et ipſe regni coelorum particeps fieri deſideret. Hunc libellum famoſum vna cum literis ad academiam Lipſienſem, Ieneniſem, et Vitebergenſem miſit; itemque ad Geſenium, quarum vltimae in manus Pufendorſii inciderunt: integras autem edidit cel. HEVMANNVS ^b. Tacere ad tam atroces calumnias Pufendorſius non potuit. Oppoſuit itaque nigerrimo ſcripto *Epistolam ad amicos* ^c, in qua Becmannum iis, quos ſupra retulimus, coloribus viuum depinxit, calumnias diſpultit, vitae innocentiam demonſtrauit, et quantis mendacijs Alaſtor, (hoc enim nomine Becmannum notat) mundo

Ecc ee 2

impo-

^a) loc. cit. p. 779.^b) Aſt. phil. l. c. p. 780.^c) Er. Scand. p. 111.

imponat, luculenter ostendit, Scherzerum quoque, qui in lectionibus academicis subinde Pufendorcium reprehendebat, passim pupugit. Quae tamen in Scherzerum dicta in editione secunda huius epistolae, quae in *Eride Scandinica* comparuit, omissa sunt, in quibus se alios ex Lipsiensium doctorum collegiis non petere, monuit. Ad hanc epistolam non filuisse furibundum et ardentem vindicta Becmanni calammum, magnopere mirandum haud est: eius enim intererat, videri veritatem dixisse, Pufendorcium fuisse mentitum. Nouam itaque eructauit apologiam hoc rubro, ex quo de genio totius scriptionis coniectura fieri potest, praefixo: *Legitima defensio contra M. Samuelis Pufendorffii execrabiles fictitias calumnias, quibus illum contra omnem veritatem et iustitiam, ut carnatus diabolus et singularis mendaciorum artifex, per futilia entia sua moralia (diabolica puto) toti honesto et erudito orbi malitiose ac ignominiose imponere voluit.* Quem libellum tot insulis ac ridiculis sui ipsius encomiis, tot horrendis calumniis in Pufendorcium a capite ad calcem repletum esse, testatur THOMASIVS ^e, ut nescias, an homini irasci, an vero ex misericordia ipsi helleborum et catenas commendare debeas. In tanta itaque controuersiae indignitate turpe sibi et indecorum ratus cum execrabili aduersario palam congregi Pufendorffius, adscita PETRI DVNAEI p. t. in academia Carolina pedelli secundarii persona, epistolam edidit ad virum famosissimum, Nicolaum Becmannum, totius Germaniae conuitiatorem et calumniatorem longe impudentissimum ^d: ipsum enim Pufendorffium auctorem esse, facile ex dicendi genere falso, acri, et satyram sapiente colligitur. In quo cateruam scelerum lippis et tonforibus Londini notorum ei obiicit, et inter alia addit: *metum carnificis eum Suecia expulisse, non defectum pietatis, cum ob frustum panis, et ut mentiendi theatrum haberet, religionem abiurauerit, nec defectum iustitiae, quam mox tergo fuisset sensurus.* Et his similia multa cumulat, quae res inter Becmannum et Pufendorffium Londini actas mire illustrant. Sed et alius Pufendorffii πρόμαχος in arenam tum processit, qui IOANNIS ROLLETI nomen effinxerat, quemque fuisse iuuenem quendam studiis iurisprudentiae addictum, nomine Godofredum Klingerum, eo tempore in academia Ienensi versatum, qui fratri Pufendorffii, Esaiiae, postea ab epistolis fuit, in eius familia tandem denatus, compertum est ^e. Is non modo diligenter, quae priuatis animorum motibus Ienae agebantur, ad Pufendorffium scripsit, vnde multa *ἀνέκδοτα* in huius libellis eristicis occurrunt, quae ex eius narratione hausta sunt, itemque Pufendorffii libellum *de Officio hominis et ciuis* iuuenibus explicuit, sed et pro Pufendorffio personatus edidit IO. ROLLETI Palatini *discussioem calumniarum, quas absurdissimas de illustri viro Samuele Pufendorffio relegatus ex Suecia nequam, Nicolaus Becmannus per causam defendendae famae non ita pridem in vulgus sparsit* ^f. In quo

e) l. c. f. 26, p. 104.

d) Er. Scand. p. 139. seqq.

e) Vid. Act. phil. l. c. p. 643. seqq.

f) Er. Scand. p. 154.

quo libello apologetico, non minus acriter, quam ipse Pufendorfius Becmanni calumnias retundit, adeo, ut hunc esse auctorem scripti pseudonymi haud pauci conicerent^g, eo quod phrasae, iis, quibus Pufendorfius usus erat, similes adhibuisset. Quod tamen inde deriuandum est, quia Pufendorfius rem omnem ad Klingerum perscripsit, ut ex eius epistolis a cel. HEVMANNO^h vulgatis patet. Quoniam autem in hoc scripto Velthemium quoque pupugerat, malam sibi rem suo iumento accerfuit: Furens enim Velthemius, quod iuuenis ausus esset, sacramento academiae violato in publicum doctorem inuehere, patres conscriptos eius academiae ita irritauit aduersus Klingerum, ut instituta inquisitione carceri mandaretur, in quo inclementer se habitum et iniquissime tractatum esse, in literis supplicibus ad duces Saxoniae conqueritur. Vixque manibus persecutorum implorato serenissimorum academiae nutritorum auxilio ereptus est. Vidit Pufendorfius, nullo plane modo scientiarum emolumentum istis litibus promoueri, et conuictis rem agi inauditis, multos ex ignorantia opinionum et hypotheseum suarum ipsi contradicere, nec bellorum finem ita futurum esse. Ut itaque tandem, quod exoptabat, pugnam ad exitum perduceret, edidit *Specimen controuersiarum circa ius naturale ipsi motarum*, cui apposite illud PROPERTII praefixit: *maxima de nihilo nascitur historia*ⁱ. Illud inscripsit Ioanni Baazio archiepiscopo Vpsalienti, ut causae fiduciam, ad eum velut arbitrum prouocando, ostenderet. Praemisit epistolam ad lectorem, in qua Nicolaum Becmannum obiter tangit, hoc modo narrans, eum in nupera Danorum in Scaniam irruptione affinem suum cohortis optionem subornasse, ut ipsum cum vxore et liberis trucidaret. Eumque sanguinem ipsius sitientem cum manipulo ficariorum Londinum aduolasse, et cum eum ibi non inuenisset: Malmogia capta facinus sese exsecuturum frenduisse; at scelus irritum Lundense praelium extinxisse. Schwarzium autem nigris coloribus depingit, nonnulla ad Scherzerum pertinentia, aculeata addit, quae tamen deinde in Eride Scandica omissa sunt^k. In hac ergo scriptione totam controuersiam ita exponere fategit, „ut se cordatum lectorem „nihil amplius desideratum esse sperare dicat, quod vel ad depellendas „aduersariorum criminationes, vel illustrandam suam sententiam faciat, „ita ut eo posthac minus sollicito sibi esse liceat, si quis nugari et calumniari desinere non velit; cum semel ita perspicue formato controuersiae statu, quae ex aduerso afferri possunt, vltro collabantur, et sibi parum decorum futurum sit, quibusuis ieiunis schedis peculiari scripto occurrere.“ Cuncta itaque breui quidem at neruis minime carente compendio complexus est, praemissaque historia disciplinae iuris naturalis, de nouitatibus philosophicis, de statu hominum naturali, de fundamentali propositione legis naturalis, de origine moralitatis et indifferentia motus physici in actione humana, de examine doctrinarum luculenter differit, et Schwarzii, Scherzeri, Alberti, Velthemii, Gefenii aliorumque obiectiones

Eee ee 3

nes

g) Aq. phil. l. c. p. 646.
h) loc. cit.

i) Er. Scand. p. 193. seqq.
k) Recusa ea dedit THOMASIVS l. c.

nes diluit, ratus ita certaminum finem se affectum esse. Ast vehementer eum fefellit spes ista atque opinio. Nouus enim post hanc responfionem enatus est Pufendorfio antagonista, Ioannes Ioachimus Zentgrauus, professor moralis doctrinae in academia Argentoratensi, qui cum iuris naturalis disciplinam eiusque historiam illustrare constituisset, aliquot dissertationes academicas de hoc argumento conscripsit, quae vno fasciculo Argentorati anno MDCLXXVIII prodierunt, ornatae hoc titulo ^l: *De origine, veritate, et immutabili rectitudine iuris naturalis secundum disciplinam Christianorum*. In quibus dissertationibus principia Pufendorfiana, maxime socialitatem, refutare aggressus est. Valentinus Alberti quoque lectis iis, quae Pufendorfius in *Specimine controuersiarum* regefferat, acquiescere se minime posse credens, *Specimen vindiciarum* anno MDCLXXVIII illis opposuit, de quo consulendus THOMASIVS ^m, quem tamen, Alberti indolem depingentem, ex eius aduersariis fuisse, cogitandum est. Accessit tertius antagonista anno sequente SAMUEL STRIMESIVS, qui cum in *Praxeologia apodictica seu philosophia morali demonstratiua, pythanologiae Hobbesianae opposita*, nonnulla in hypothesebus Pufendorfianis notauisset, ea quae dixerat in *Originibus moralibus* ⁿ roborare multis studuit. Vidit Pufendorfius, filere se, vti prius statuerat, non posse, ideo *Spicilegium controuersiarum edidit*, in quo difficultates a Zentgrauo, Alberti et Strimesio motas diluit. Qui tamen et ipsi nondum obmutuerunt: respondit enim primus, in *Vindiciis originum iuris naturalis*, secundus in *Paraenese ad studiosam iuuentutem*, tertius in *Epicrisi in spicilegium Pufendorfianum*, in quo Pufendorfium cum Cartesianis et Poireto eandem tibiam inflando asserere contendit, veritates rerum a sola Dei voluntate dependere ^o. Confugit iterum ad laruas Pufendorfius, vt liberius respondere posset, ediditque ficto IULII RONDINI nomine *dissertationem epistolicam*, in qua obiectionibus his satisfacere connititur. Ita vero respondit Pufendorfius, vt filere se posse Strimesius et Zentgrauus crederent, noua vero ex Alberti pharetra tela depromerentur. Quae non aliter retudit, quam in praefatione collectionis librorum eristicorum haectenus a se editorum, cui *Eridis Scandinicae* ^p nomen praefixit, paucis at stricte illi respondendo. Quoniam vero in *Statu reipublicae Christianae* nonnulla Pufendorfiana tetigerat vir illustris VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIUS, monens, *se methodum illam, quae a principiis reuelatis abstrahit, in se reicere nolle, nec Pufendorffii hypothesein eandem cum Hobbesiana iudicare, multo minus aculeatis disputationibus, quae inde surrexerunt, se ingerere cupere; se tamen pro modico ingenio suo tantam vtilitatem, e separatione principiorum naturalium a iure diuino reuelato, seu decalogo, perspicere non posse, quanta prima fronte videatur* ^q. Valde id displicuit Pufendorfio,

^l) Conf. Bibl. iur. imp. I. c. §. 30. p. 39. 40.
vbi etiam reliqua eius scripta nominantur.
^m) §. 31. p. 111. seq.
ⁿ) Eibl. iur. imp. §. 11. p. 40.

^o) THOMASIVS I. c. §. 32. p. 112. G. BIER.
Specim. bibl. iur. III. n. 7. ^p) Er. Scand. p. 331.
^q) In vernacula Delineatione iuris nat. vid.
THOMAS. Prooem. ad iurisprud. diu. p. 70. seqq.

rato ex hoc iudicio viri inter suos non exiguae auctoritatis Alberti ingenio non modicos spiritus accessuros, quapropter monitis Seckendorfianis in ista praefatione quoque satisfacere voluit. Nec a verisimili alienum est, Seckendorfium ideo quoque displicuisse Pufendorffio, quia prius socialitatis principium ipse admiserat, idque in gratiam Alberti abiecisse videbatur. Non constitit dissensus duorum magnorum virorum intra has paginas, in quibus satis dictum esse videri poterat, sed imitatus Alberti Pufendorffium, libellos eristicos a se et pro se editos iunctim edendo, titulumque: *Eros Lipsicus*, praefigendo, in praefatione pro Seckendorffio ad responsiones Pufendorffii regessit, idque imprimis illi exprobrauit, quod parum Christiane primum hominem miserrimum finisset. Indignationem Pufendorffii *Eros Lipsicus*, meruit, eo quod videret, Alberti cristas Seckendorffii fiducia altius erigi, audissetque ab amicis, Seckendorffium eum per literas instigauisse, ne litem hanc aliquando intermori pateretur, sed ipsi porro molestias crearet. Itaque vindicaturus se ab his insultibus anno MDCLXXXVIII prodire iussit, *Commentationem super inuenusto Veneris Lipsicae pullo, Valentini Alberti calumniis et ineptiis oppositam*, in qua acerba querimonia iniuriam sibi fieri, demonstrabat, quaedam autem dura et Seckendorffio indigna admiscebat, feruore, vt fieri solet, disputationis abreptus, et indignatione, quod impia ipsi praeter veritatem sententia tribuatur commotus. Praestat enim fateri, in his se hominem demonstrauisse Pufendorffium, quam hanc animi impotentiam cum THOMASIO probare. Ideo nonnemo, virulento, vt ait Thomafius, scripto Pufendorffium modestiae admonuit. Nec tacuit Alberti, sed edidit anno MDCLXXXVIII *Epistolam ad Seckendorffium, commentum Pufendorffii de inuenusto Veneris Lipsicae pullo refutantem*, in qua laudibus elato Seckendorffio in Pufendorffium velut apertum calumniatorem agit. Ita controuersis his in Saxonia feruentibus, dum de Suecia nemo cogitauit, prodierat inopinato Iosua Schwarzzius, iam Slesuicensi ephorae a Danorum rege praefectus, cum cathedram Londinensem deserere ob causam supra dictam esset coactus. Hoc enim loco positus, cum libere magis se scribere posse putaret, priuigni sui SEVERINI WILDSCHVZII nomine edidit *Discussionem calumniarum Samuelis Pufendorffii*, anno MDCLXXXI. In qua scriptione praeter ineptas sui laudes et aperta mendacia in Pufendorffium nihil reperiri testatur CHR. THOMASIVS ^r. Eum itaque, pro merito depexum dare constituit GERARDVS GOTTLIEB TITIVS ^s, sed ludrico et ad risum concitandum apto dicendi genere, epistola nempe gratulatoria Becmanni nomine ad Wildschuzium data; de deuicto et triumphato Pufendorffio, ita lepide, teste THOMASIO, genium Becmanni eiusque stilum exprimente, ita stultitiam scripti Wildschuziani aliud agendo delineante, et naeuos in academiis regnantes sale et pipere condita satyra exagitante, vt multi falsi sint, Erasmi encomium Moriae, et Hutteni epistolas obscurorum virorum nihil

^r) Tobiam de Sarragine esse, indicat TITIVS in Epist. grat. Becmanni ad Wildschuzium. Hoc vero nomine latet Tobias Pfannerus. ^s) l. c. p. 120. ^t) ib. §. 44.

hil esse ad istum Parmenontis suum. Ipse quoque Pufendorfius epifodium comoediae additurus adscito Iosuae Schwarzii nomine *Dissertationem epistolica ad eundem Wildschuzium* vulgavit, in qua multas circumstantias ad vitam Schwarzii et sociorum eius historiam pertinentes narravit, invita tamen Minerua aliam personam effinxit, et elegantiae gratiam nativumque colorem, qui in eius scriptis splendet, aliquantum amisit. Rogatur in hac epistola Seckendorffius, quem cum Pufendorffio reconciliare amici tentabant, ut certamine hoc exesse velit, Tobiae autem Pfannero, quem Sibotham Napferum vocat, ob modestiae admonitionem respondetur, et Sleuogtus Ienenis, qui in *Iudiciis sapientum ex Parnasso* Pufendorffium momorderat, retunditur, ut alia taceamus, aculeata fatyra aduersariis Pufendorffii obiecta. Vltimus in scena comparuit, Alberti foetus, anno MDCLXXXVIII, quo iudicium de nupero scripto Pufendorffiano, quod *dissertatio epistolica D. Iosuae Schwarzii ad priuignum suum, inscribitur, exhibetur*. Quod tamen scriptum valde displicuisse Seckendorffio, huncque illi esse indignatum, quod animaduersiones suas in Pufendorffii scriptum se inuito imprimi curasset, ideoque illi infensorem factum esse; gratum autem habuisse, quod amici communes litem hanc componere tentarent, ait THOMASIVS. Qui et hoc addit, Seckendorffio Halam vocato, ut academiae nouae cancellarius esset, amicos maiori effectu pacem et amnestiam inter vtrumque conciliaffe. Sed ex fragmento epistolae, quod produxit HEVMANNVS * patet, Pufendorffium ipsum, interuenientibus amicis amnestiam petiisse, facileque a Seckendorffio obtinuisse; sibi enim, scribit, licet maior irae causae subsit, quam Pufendorffio, facile tamen esse iniurias remittere et vlcersi, ut sibi ignoscere Deum cupiat. His tamen pacis conditionibus Alberti quoque reconciliatio conclusa est, quam longinquarum litium, et indecorae pugnae pertaesus, facile admittit Pufendorffius, quin rogatu Alberti carmen gratulatorium in nuptias filiarum eius scripsit, quod licet fatyricum esset, imprimi tamen is curauit, quod postea Christiano Thomasio occasionem dedit, eum deridendi, cum is hanc contentionis ferram cum eo reciprocare coepisset, ut supra narratum. Et hanc tandem catastrophem longa fabula Pufendorffiana habuit, quae memorabilibus speciminibus probat, quid valeant praeiudicia scholae, quid inuidia, quid artes malae et picta pietas, ad quam inhumanitatis et impudentiae audaciam excurrat humanus animus, ubi semel in praecipis vindictae cupiditate agitur. At docet etiam, viros prudentes et philosophiae praeceptis subactos, laesos et vlceratos interdum ad indignas philosophis fatyras delabi, sicque Iliacos intra muros peccari et extra. Successit Pufendorffio Thomasio, qui ius eius naturae et gentium auxit, poliuit, acerrime defendit, et contra Praschium quoque aliosque quibus Pufendorffiana principia displicuerunt, assertum iuit. Quae cum fufe in eius vita enarrauerimus, nihil his, quod addamus, habemus.

CAPVT

u) l. c. f. 47. p. 123.

x) l. c.

y) Cog. mensr. 1689. p. 1057, seqq.

 CAPVT QVINTVM.
 DE EMENDATA RECENTIORI AETATE
 PHILOSOPHIA CIVILI.

§. I.

Vidimus haec fata disciplinarum fere omnium, quibus philosophiae ambitus absoluitur, quaeque recentiori aetate auctae et emendatae sunt, restat vna pars, eaque ciuili, quae vitam hominis in societate tum ciuitatis tum familiae viuientis prudenter regere docet atque praecipit. Non neglecta fuit elegans haec philosophiae pars a veteribus, et imprimis a schola Aristotelis, quae in eo genere plurimum laborauit, ipso Aristotele praeclaram, si verum fatendum, operam in eo praestante. Educatus enim in aula Philippi Stagiritae, in qua eo tempore prudentia ciuili sedem fixerat, et facinoribus magnis et stupendis emicabat, non potuit non ad optima exempla formari, et regulis vtilissimis imbui. Vbi autem ipse philosophiam arripuerat, non in Lycei umbris otiosis speculationibus deditus, more Platonis, quem praeceptorem habuerat, imaginariam rempublicam, legesque in societate ciuili inutiles excogitauit, sed ipsam imperii et ciuitatis naturam experientia et exemplis intuitus est. Gratosus autem et intimae admissionis cum esset apud Philippum, Alexandrum M. Antipatrum et Antiochum, qui tunc, magni orbis habitabilis parti imperare coeperant, ea, qua utebatur, insigni animi perspicacia probe intellexit, quibus neruis prudentia ciuili staret, quibusque rationibus exerceri possit, et arcana imperiorum miro acumine inspexit. Huic itaque vitae ciuili, tum ethicam suam, vt suo loco iam obseruatum^{a)}, attemperauit, tum politicam inaedificauit, immo de societate quoque familiae, in oeconomicis praecepit. In quibus multa eum praeclara monuisse, quaeque reipublicae expediant, intellexisse, attendisse quoque ad imperantium sophismata et arcanas, quibus respublicas moderantur artes, suo loco monuimus. Et hinc factum, vt, qui recentiori aetate in Peripatetica Schola in Politica Aristotelis commentati sunt, (inter quos eminere Petrum Victorium, Hermannum Conringium, et Michaëlem Piccartum, suis locis indicauimus) multa egregia et laude digna ad scientiam politicam attulerint, hocque nomine non male de philosophia ciuili recentiori aetate meruerint. Quos tamen hoc loco enumerare nihil attinet, quia alia agimus. At, licet haec ita se habeant, negari tamen nequit, nec omnia vidisse Aristotelem, nec nostris temporibus omnia eius praecepta iuuare rempublicam posse.

De ciuili prudentia meruit schola Aristotelis, non tamen perfecit.

a) Tom. I. p. 804. 893.

posse. Quemadmodum enim institutiones suas ciuiles genio temporis, imperiorum in quibus uiuebat, et quorum arcana ipse ex parte consiliis suis moderabatur, indoli modoque, quam nationum inclinationi et circumstantiis aliis, quae maximi momenti in Imperandi prudentia et regenda ciuitate esse solent, accommodauit, ita historiae ciuilis non imperitus ignorare non potest, insignes mutationes respublikas esse passas, aliasque ignorare aliam prudentiam haud raro poscere. Et hinc vera causa deriuanda est, cur nulla philosophiae pars ab ipsis Peripateticis magis emendata, aucta, suppleta sit, quam quae de ciuili prudentia agit, curque infinitus fere scriptorum politicorum numerus extiterit, qui omnes fere artes regnandi variis modis explicuerunt. Inter hos nonnulli systematicum ordinem secuti sunt, plerique methodo liberiori prudentiae ciuilis regulas exposuerunt, et obseruationes, digressiones, disertationes, discursus, animaduersiones historico-politicas scripserunt. Quorum nomina excitare hoc loco nec libet nec licet, cum ad literariam huius scientiae partem id pertineat, quam diligenter excoluit recentior virorum doctorum industria. Inter quos primo loco nominandus GABRIEL NAUDAEVUS, vir castigatae eruditionis, cui debemus *Bibliographiam politicam*, aliquoties editam ^b, licet partium studio virum doctissimum interdum aliquid dedisse, dudum viris doctis ^c sit annotatum. Naudaeo merito iungimus IOANNEM ANDREAM BOSIVM, qui in disertatione *de Comparanda prudentia ciuili* bonae frugis plena scriptores quoque huc pertinentes adduxit. Proxiori commentatione in hoc stadio cucurrit CAROLVS ARNDIVS, cui debemus *Bibliothecam politico-heraldicam selectam*, et *Bibliothecam aulico-politicam*. Qui si tantum accurationis et attentionis in his indicibus construendis attulisset, quantum lectionis et diligentiae, non haberemus, quod in eo culpandum esset. At in hoc scribendi genere *angelus* ei deesse obseruauerunt alii ^d. Tacemus Ioannis Caluini, Iusti Gerardi Rinckii, Cornelii a Beughem, G. Io. Iochii aliorumque labores huc referendos, de quibus videndus est STOLLIVS ^e, qui ipse in hoc argumento pulchre versatus, et omnino consulendus est. Cui si iungatur STRVVII *Bibliotheca philosophica* ^f, virorum eruditorum cura insigniter aucta, vix omitteretur scriptor paulo memorabilis, qui de philosophia ciuili aliquid tradidit. Dolendum autem, plerosque de prudentia certo obiecto, maxime reipublicae affixa, praecepisse, de prudentia in genere autem considerata, plerosque filuisse. Vnde laudanda recentissimae aetatis industria est, quae huic defectui medendo, multa de prudentia in genere monuit. Qua in re THOMASIVM atque BVDEVM aliis exemplo suo lumina accendisse, ex iis, quae de his viris summis tradidimus, notum

Scriptores
historiae li-
terariae do-
ctrinae ciui-
lis.

b) Ediderunt libellum AVG. BVCHNERVS Witteb. 1640. H. CONRINGIVS in C. SCIOPTII Paedia politicae Fr. 1673. Batavi in scriptoribus de methodo p. 19. seqq. Coll. Elzeuir. CARNIVS in Script. meth. 1692.

c) BOSIVS de Comp. prud. ciu. §. 84. p. 37.
d) Biblioth. imperant. c. 2. pos. 3. §. 9. p. 104.
e) Hist. liter. P. III. c. 5. §. 5. p. 693.
f) c. 8. add. Bibliotheca imperantium.

notum est. Nos ex his fontibus recentiorum politicorum praecepta lectorem discere iubemus, et speciminis loco ex politicis recentioribus trigam tantum virorum celeberrimorum in medium adducemus, qui in hac arena magna cum laude defudarunt, Ioannem Bodinum, Balthafarem Gracianum et Traianum Boccalinum. Tum sectas politicorum duas explorabimus, Machiauellisticam et Monarchomachorum, quae vtraque in extrema cucurrisse, et corrupisse magis, quam emendauisse philosophiam politicam visa est.

§. II. Magnam inter eruditos seculi XVI nominis celebritatem, fama pariter et infamia nobilitatam consecutus est IOANNES BODINVS, systematicorum scriptorum, qui de republica egerunt, facile princeps: cuius res literarias praeter notissimos scriptores historiae literariae generales, Teiffierium, Popeblountium, Sammarthanos, Baylium, Niceronium, aliosque tetigere ex instituto POLYCARPVVS LYSERVS ^g, Io. DIECMANNVS ^h, et alii ⁱ, qui ab iis consulendi sunt, qui integram famosi scriptoris historiam scire cupiunt: eam enim strictim tantum, et per summa capita attingere nobis licet. Natus est Andegavi, parentibus, quod perique contendunt, Crypto-Iudaeis, cuius testis CAPELLANVS ^k produci solet, quo auctore additur, secundum decreta religionis Iudaeorum eum esse educatum. Quod tamen fatemur, melioribus testimoniis adhuc opus habet. Illud certum THVANI ^l testimonio, puerum fere in sodalitia Carmelitarum religionem fuisse professum: voto autem, quod rationis impotens inierat, solum, iurisprudentiae se in academia Tolosana tradidisse. Quamvis ingenio vasto et memoria valde capaci instructus, non in hoc solo stadio sibi currendum esse statuerit, sed linguarum notitiam admirabilem adeptus, omnium fere scientiarum campos perlustrandos ingressus sit. Accepta tiara doctoris iuris, ad causas in foro superiori Parisiensi, siue Curia prouinciae agendas traductus est, strepitum autem forensem et varias litigationes pertaesus, elegantiori literaturae industriam suam locauit, cui commentarium in OPPIANVM *de Venatione* debemus, oppido doctum, at quem exscripsisse nonnullis visus est. Maxime vero ad historiarum studium, earumque ad ciuilem prudentiam applicationem conuersus, quid in hoc genere valeat, edita *Methodo ad facilem historiarum cognitionem*, itemque *Libris sex de Republica*, plaudente orbe literato ostendit. Neque tamen reipublicae muniis se totum subtraxisse, inde intelligitur, quia ipso auctore constat, Pictauii quoque eum vixisse substitutum procuratori regio, conuentibus Galliae Narbonensis interfuisse, procurationem regis Caroli IX gessisse in causa agrorum publicorum contra

Ioannes
Bodinus.

Fff ff 2

pro-

g) Diff. de Vita et scriptis Bodini selecta exhibente, Witteb. 1715. et in Appar. liter. Coll. II. Spec. 16. p. 327.

h) Sched. de Naturalismo Bodini.

i) COLOMBES. Gall. Orient. p. 74. REIMMANN.

Hist. lit. Germ. Vol. V. p. 42. Bibl. imper. p. 95.

k) Ep. ad Conring. Appar. lit. Witteb. T. I. p. 66. seqq.

l) Ad ann. 1596. Conf. TEISSIER. Tom. IV. p. 265.

prouinciã Normannorum, a Francisco Alenzonum duce libellorum magistrum et consiliorum participem factum, interfuisse comitiis Blefensibus nomine Veromanduorum praefecturae, delegatum pro plebeio ordine, inque iis magna auctoritate eminuisse: porro legationis ergo pro Francisco Andium duce susceptae in Angliam traiecisse, apud Laodunenses aduocatum fisci fuisse, vt ex THVANI relatione, et locis a LYSERO ex ipsis Bodini scriptis adductis constat. Plurimum auctoritatis ei tribuit Henricus II. rex Galliarum, literarum amantissimus, quem aliquoties colloquutum cum Bodino esse, eo euentu, vt illustris appareret eius eruditio, praecleara rerum memorabilium cognitione instructa, testatur Thuanus. Inde factum, vt Io. Serranus scripto acri Bodinum arrosurus a rege edere illud prohiberetur. Tandem regis gratia excidens ad Franciscum Alenzonum ducem transit, ab eo muneribus, vt dictum, admotus, et in Angliam traductus. In qua cum libros de Republica legi cerneret, eos Latinos fecit. Tandem anno MDXCVI peste correptus obiit, relicta dubia de vita atque pietate sua fama, quae CUIACIVM^m permouit, vt ex nomine eius Ioannes Bodinus, literarum transpositione efformaret: *Audius sine bono*. Nonnullis enim Iudaicam incredulitatem, cum lacte matris haustram per omnem vitam seruauisse dicitur, id quod peculiari obseruatione demonstrare aggressus est WOLDEBRANDVS VOGTIVSⁿ. Hi ad vitae eius finem prouocant, in quo constitutus, ne verbulum quidem de IESV mundi seruatore protulerit; maxime vero famosissimum eius *Colloquium heptaplomeris*, siue *Dialogum de abditis rerum sublimium arcanis*, qui hodiernum in msc. delitescit, in partes vocant, in quo instituta religionum in orbe obtinentium comparatione semper vincitur Christiana religio, vincit vel Naturalissimus vel Iudaismus de quo tamen dialogo nihil quod valde admirandum vel magnopere metuendum sit, praeter raritatem habente alibi dicendum^o. Aliis nulli religioni addictus sine vero Dei cultu vixisse atque obiisse, et inter Naturalistas numerandus visus est^p. Patet id ex ANTONII POSSEVINI *Iudicio de la Noue militis Galli, Ioannis Bodini, Mornaei et Machiaueli quibusdam scriptis*, quod ex mandato Innocentii IX, P. M. Romae MDXCII edidit, et magnam postea partem *Apparatus sacro inseruit*: in quo plurimi illi errores tribuuntur. Et hinc enata occasio eruditissimo DIECMANNO *de Naturalismo Bodini* docte commentandi. Quidam magiae pactique cum malis geniis expliciti suspectum habuerunt^q: cuius occasio enata est ex *Daemonomania* eius, quae Gallice primum, postea Latine et Germanice prodiit, et in qua miris rationibus pro stupendis magiae operationibus, sagarum incantationibus, lycanthropia et similibus

m) Obs. Lib. XVIII. c. 33. Erat autem is ex infensissimis Bodini aduersariis.

n) App. lit. T. I. l. c.

o) Vid. STRVV. Introd. in Hist. lit. c. 9. §. 4. Obs. miscell. T. III. p. 271. alii.

p) DIECMANN. l. c.

q) TEISSIER. l. c. p. 265. PATINIANA p. 7. WAGNER. Diss. de Eruditis colloqui cum spiritibus familiaribus falso postulatis f. 6. NAV. DAEVVS de Magiae accusatis c. 7. p. 83.

milibus pugnat; merito ideo MARTINO DEL RIONI ^r, GABRIELI NAVDAEO ^s aliisque ^t notatus, et ideo indici librorum prohibitorum adscriptus; quamvis laudari meruerit ab HENR. MORO ^u. Plagii autem conuinci posse post Scaligerum, monuerunt COLOMESIVS ^v, BAILLETVS ^w, THOMASIVS ^x. Quae singula hoc loco excutere, non licet, et facile ex inspectis Bodini libris ab ipso Lectore paulo curiosiori et attentato cognosci possunt. Scripsit etiam *Theatrum vniuersae naturae*, in quo eruditio et lectionis copia cum superstitione pugnat ^a. Ex quibus recte colligitur, in argumento physico et pneumatologico Bodinum parum valuisse. Ast aliter de scriptis eius ad historiam, maxime vero ad ciuilem philosophiam spectantibus pronuntiandum esse, viri docti censuerunt. Non enarrabimus historiam libri *de Republica*, quod factum ab aliis ^b; sed obseruamus, maxime se eum commendauisse viris in ciuili prudentia versatissimis, GABR. NAVDAEO ^c, IO. CASELIO ^d, IAC. BONGARSIO ^e aliisque laudatis a THOMA POPEBLOVNTIO ^f, POLYC. LYSE-RO, COLOMESIO ^g. Nam licet esse in hoc opere haud pauca obelo digna falsi sint, digressiones quoque inutiles et molestae merito displiceant; recte tamen obseruauerunt, varia illud multiplicique eruditione et stupenda exemplorum varietate refertum esse, THVANVS quoque, qui tamen non omnino ab ostentationis innato gentis vitio vacuum eum se probauisse ait, monuit, in illo omni scientiarum genere non tincti sed imbuti ingenii fidem Bodinum fecisse. Tacemus Naudaei iudicium, qui regnorum quotquot in mundo constituta fuerunt, species, leges, instituta, arcana denique et virtutes ac vitia in ordinem reduxisse Bodinum affirmat, opusque hoc elaboratum ingenio, expoliturum industria, perfectum iudicio et ita numeris omnibus absolutum vocat, vt qui ab ipso discesserit, errasse et incerta secutus fuisse dicendus sit. Quae sententia quidem nimia videri potest, cum nec ordinem satis obseruauerit, nec *naudaeas* curiosus satis sit, verum tamen est, innumera eum collegisse, quae amplam satis lucem prudentiae ciuili accendere possunt, quamvis rerum eum quam verborum studiosiorem fuisse, et in historiis ac testimoniis citandis a vero interdum abire, neglectu magis quam dolo, concedi GROTIIO ^h possit. Ex his vero iudicari potest, quid de turba eorum statuendum sit, qui libros de republica hostilibus armis aggressi sunt, quod fecerunt Augerius Ferrerius, Fabius Albergatus, Antonius Possuinus, Dominicus Arumaeus, alii, quorum loca copiosa adduxit POLYC. LYSERVS ⁱ. Ipse enim contra Renatum Herpinum apologiam pro republica scripsit, inque ea Serrano, Ostato Vasconi, Andreae Franckenbergero, Petro Ostatio, Ferrerioque

Fff ff 3

respon-

r) Disq. Mag. T. I. p. 38.

s) l. c.

t) Vossivs de Orig. idol. p. 489.

u) In Antidoto adu. Atheismum L. III. c. 9.

Opp. T. II. p. 122.

x) l. c.

y) Jugement des savans T. II. P. II. p. 475.

z) De Plag. lit. n. 373. p. 164.

a) COLOMES. l. c. LYSER. l. c. p. 345. et quos laudat.

b) Bibl. iur. imperant. p. 96.

c) l. c. p. 23.

d) In Aristot. de Optimo reip. statu prooem.

e) Vid. COLOMES. l. c. f) p. 744. *) ll. cc.

ff) Ep. ad Gallos Ep. 1. g) l. c.

respondit. Certe non minus peccant, qui, cum errores in hoc opere vident, illud omne reiiciunt, pulchraque innumera negligunt, quam qui cum Naudaeo, iaculum nunquam extra metam expediuisse Bodinum statuunt^b.

Balthasar
Gratianus.

§. III. Alter, qui inter scriptores politicos acumen ingenii non systematico quidem ordine, at observationibus elegantissimis demonstrando magnam nominis famam meruit, BALTHASAR GRATIANVS est, societatis Iesu theologus, et collegii Tarafonenfis rector, in quo anno MDCLVIII, annos natus LIV obiit, de cuius vita ALEGAMBIVSⁱ consulendus. Is cum ingenii supra modum sublimis et acuti elegantia innumeras observationes pulcherrimas ad prudentiam pertinentes meditatione et lectione collegisset, eas tandem libellis aliquot, cum orbe literario et politico, vsus tamen nomine fratris Laurentii, communicauit. Legitur enim eius *Oraculum manuale; Heros; Criticon; Discretus*, aliaque lingua Hispanica scripta, sed Gallis quoque, Italis et Germanis legenda suo idiomate exhibita, quarum versionum historiam alibi tetigimus^k. Et in primo quidem hominem aulicum regulis instruit, in Heroë hominis magni animum format, in Critico vitia hominum reprehendit et emendat, in Discreto virum in omni genere perfectum et aptum depingit. In quibus licet quendam scribendi tumorem ex innato gentis vitio^l, et meteora orationis deprehendere liceat, quae ad ipsa quoque morum viuendique praecepta et prudentiam interdum extenduntur, quaeque ostentationem magis subtilissimi ingenii, et verborum delectum atque affectatam obscuritatem, quam rerum curam et pondera exacta produunt^m, falsi tamen sunt viri summi, et accurati in hoc argumento arbitriⁿ, prudentiae viuendi summam, et animam quasi acutissimum scriptorem exhibuisse, nec facile tantum acumen, tantam sententiarum elegantiam, tantam morum animi humani notitiam, tantam meditationum sublimitatem scriptorem vllum demonstrauisse. Poscit autem lectorem et cothurnato sermoni adfuetum, et meditationis profundioris atque lectionis cum attentione iteratae molestiam non pertaesum, cunctaque ad circumstantias praesentes ita traducentem, vt si non omnia accurate tetigisse videri possit, quod ab homine, verborum sublimitate a recta cogitationum et ratiociniorum semita interdum in deuia abrepto expectari non potest, insolita tamen felicitate vberimos fontes aperuisse censendus sit, ex quibus, qui iudicio, attentione atque vsu non caret, iucundissimos in vita prudenter instruenda fructus haurire possit.

§. IV.

h) Plura de Bodino scientibus haurienda dabit P. BAYLE Dict. T. I. art. Bodin. p. 388. seqq. qui multa erudite et curiose cumulauit.

i) In Bibl. Societatis Iesu h. n.

k) In Praef. Verf. Germanicae Discreti, siue potius, hominis perfecti, quam emendatiorem dare, fauente occasione animus est.

l) Conf. IO. BARCLAY Icon. animorum, c. 7. p. m. 480.

m) Vid. Bibl. Franc. 1726. M. Nou. art. 10. STOLL. Hist. lit. P. III. c. 5. §. 17.

n) BAYLE Rep. des Lettr. 1684. Jul. art. 7. RVDIGER. Instit. erudit.

§. IV. Tertium nominavimus TRAIANVM BOCCALINVM Romanum, cuius ingenium, mores, eruditionem eleganter depinxit IANVS NICIVS ERYTHRAEVS ^o. Is elegans atque amoenus cum ingenio esset, et acri atque perspicaci iudicio vteretur, ad iocandum cum aliquo maledicto facetus, omnique doctrinae pulchritudine ornatus, ad scribendam satyram se transtulit, ad quam natus videri poterat. Inde festivo et ingenioso eius calamo *Relationes ex Parnasso* debemus, opus iucundum, doctrinae varietate, grauique morum censura, dicendi vero ornatu commendatissimum, in quibus sententiis Apollinis fictis, vitia designantur, quibus flagrabat eo tempore ciuitas, supplicia poenaeque fraudis et improbitatis, praemia virtutis explicantur, mores seculi perditissimi in contemptum adducuntur. In qua satyra tamen Boccalinum adiutores fociosque nobilissimos habuisse auctor est ERYTHRAEVS. Vnde nonnulli ad Caietanum cardinalem, Boccalini persona et opera vtemem eas relationes retulerunt ^p. Qui si in reprehendis in genere hominum moribus ridendisque vitiis constitisset, et tectis illis ac iucundis ambagibus libertatem in illos modo exercuisset, quos carpere impune licet, quorumque mores exagitare minus nefas habetur, melius sibi consulisset. Ast commouit eum ingenii acies, vt ad imperiorum reprehensiones, et vitia regnantium respiceret, et imprimis regni Hispanici errores, infirmitates, et arcaea detegendo, acumen ingenii ad verberandam magni regis maiestatem conuerteret, edito *Lapide Lydio politico* ^q. Quo libello quidem meruit, vt inter optimae notae scriptores politicos numeraretur, isque in alias quoque linguas conuersus auideque lectus plerorumque admirationem mereretur: at exitialis auctori suo fuit. Cum enim aegerrime aula Hispanica ferret, scripsisse audacissimum scriptorem, regis opes ac vires non esse ita magnas, vt hominum ferret opinio, sed facile deleri posse, si quis alius rex ad eas infringendas accedat, rationem quoque eius aperuisse: Venetiis die quodam ab aliquot militibus circumuentus, sacculis arena plenis ita contusus est, vt ex ea verberatione diem supremum obiret. Excelluisse eum in ea arte, scribit ERYTHRAEVS, quae in rebus publicis et ciuitatibus recte administrandis tota versatur, et in quadam ad Scipionem Cardinalem Burghesium scripta epistola spondere, se commentarios in Cornelium Tacitum editurum, quos pro singulari hominis ingenio omni elegantia doctrinaque refertissimos fuisse, se non ambigere ait; nondum enim tum apparuerant. Verum vbi, post multas latebras, quas per manus virorum principum quaesierunt, tandem Geneuae in publicam lucem proreperunt, expectationi nonnullorum eruditorum minime respondere visi sunt ^r. Maculam autem inurit dicaci satyrico, quod ERYTHRAEVS

Traianus
Boccalinus.

o) Pinac. I. p. 272. III. p. 223. CRASSO Elog. P. I. p. 160. seq. BAYLE Dict. T. I. art. Boccalino.
p) Conf. MOERHOF. Polyhist. T. I. L. I. c. 9. §. 11. p. 80.

q) Pietro del paragone politico, Venet. 1615.
r) Vid. quos laudat POPP-BLOUNTIVS L. C. p. 927. seq. Conf. tamen Journ. des SAVANS T. VII. p. 24. vbi laude sua non priuantur.

THRAEVUS refert, eum, qui se aliis reipublicae bene gerendae ducem ac magistrum professus sit, in iis oppidis, quorum illi administratio commissa fuerit regendis suis ipsum praeceptis non paruisse, sed multa commisisse, quae ab illorum rationibus essent aliena, ideoque factum esse, ut Romae crebrae de eius iniuriis querimoniae perferrentur, ac locus proverbio fieret. Quae licet parum nomini eius faueant, ex politicorum scriptorum tamen, qui excelluerunt numero non eximunt.

Scriptores de Machiauello.

§. V. Machiauellistarum secta a Nicolao Machiauello, nomen habet, viro ob artes politicas easque improbandas, quas vel commendavit, vel propalavit, lippis et tonsoribus noto. Cum enim principum potestatem, quibus posset mediis extolleret, eaque siue licita sint siue illicita suis praeceptis infereret, artes quoque tyrannorum vivis coloribus depingeret, effecit, ut, quaecumque insidiae artesque in rebuspublicis tuendis firmandaque potestate suprema a nefariis prudentiae falsae et detestabilis consultatoribus adhibentur, Machiauellismi nomen tueantur. Vitam eius suo modo descriptam versioni Gallicae eius Principis praemisit IACOBUS GOHORY: nec ea plena sunt, quae recentiores historiae literariae scriptores afferunt, qui tamen de eo consulendi sunt, maxime vero PAVLVS IOVIVS ^s audiendus est, quem descripsit PAVL. FREHERVS ^f. Multa quoque notatu digna de eo dabunt P. BAYLE ^{ff}, H. CONRINGIVS [†], I. FR. REIMMANNVS ^{*}. Anno MDCCXXXI vero V. cl. IO. FRID. CHRISTIVS, libris tribus *de Nicolai Machiaueli vita, scriptis et secta eius, atque in uniuersum de politica nostrorum post instauratas literas temporum, ex parte auctius cussis, ex parte primum editis*, Machiaueli res enarravit, et quae pro eo excusando afferri possunt, attulit. Nos instituti memores paucis eius res tangemus.

Nicolai Machiaueli vita et philosophandi ratio.

§. VI. Edidit NICOLAVM MACHIAVELLVM Florentia magnorum virorum genetrix atque altrix. Ingenio a natura adeo praestanti donatus est, ut, quod IOVIVS ^s tradit, tantum valeret, ut in nulla vel mediocri Latinarum literarum cognitione ad iustam recte scribendi facultatem peruenire potuerit. Cuius quidem contrarium ex locis scriptorum veterum Graecis et Latinis conici debet: est, si verum est, quod ab ipso se accepisse tradit Iouius, Graecae atque Latinae linguae flores, quos scriptis suis infereret, accepit a Marcello Virgilio ^u, qui in eunte Seculo XV Florentinae reipublicae ab epistolis fuit, vnde eius notarius et affecta publici muneris a Iouio dicitur. Quamuis autem concedi forte possit, non tam disciplina et institutione literarum, quam naturae bonitate et iudicii maturitate ingenium Machiauellum excoluisse, magis

s) Elog. c. 87.

f) Theatr. p. 1440.

ff) Diſt. T. III. p. 244.

†) Diſſ. prael. ad principem Machiaueli.

*) Intr. in Hiſt. lit. German. P. V. p. 32. Add.

Bibl. imper. c. 2. pof. 3. p. 109. STOLLIVS Hiſt. lit. P. III. c. 5. p. 714.

t) l. c.

u) Graece Latineque doctiſſimum fuiſſe ex verſione et Commentariis in Dioſcoridem conſtat. Conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. III. p. 97.

magis tamen mirandum esse videtur, quod eo peruenerit, quo pauci contingunt, et in scriptis acumen et habilitatem tantam demonstrauerit, ut certatim eius eruditionem viri docti laudauerint. Cuius si non aliud specimen dedisset, imitationes comoediae veteris a Machiauello magna felicitate susceptae satis superque probarent. Tacemus testimonium Iouii, eloquentiam et doctrinam eius ingeniosa elegancia se proidentem valde commendantis. Recte itaque INNOCENTIVS GENTILLETVS, cui *Antimachiauellum* deberi in sequentibus dicemus, ab HERM. CONRINGIO * desertus est, asserens, iudicii solidi ne vnciam quidem Machiauellum possedisse. Aliud enim scripta eius loquuntur, et inter magna illi ingenia locum tribuunt. Neque audiendi videntur, obtretractores Machiaueli ἀπαίδευσιαν ei obiicientes, quae si scriptorem acutum occupauisset, non potuisset in eiusmodi argumento versari, quod sine veterum scriptorum lectione, et rerum veterum historia expendi tractarique non potest. Aristophanem autem et Plautum in comoediis, ut diximus, imitatus, scriptorem facetissimorum vneres iocosque tanta felicitate non expressisset, ut Leonis X. P. M. summi et acerrimi eius rei arbitri plausum laudesque mereretur, nisi veteris disciplinae castigatione ingenium emendauisset. Maxime autem diligentia eius in versandis annalibus historicis summopere enituit, quos non quidem more seculi XVI grammaticis subtilitatibus excussit, at philosophiam moralem ciuilemque duces fecutus, ita explorauit, ut philosophum decebat. Quamuis ergo, qui antiquitatum, linguarum criticaeque artis amore tenebantur, parum in hoc scriptore inuenirent, quod placeret, vnde fabulam de eius in literis ignorantia natam esse conicere licet, fatendum tamen, magna attentione acutissimum virum ad arcanas imperantium artes, rerumpublicarum vicissitudines, causasque mutationum, et quae alia ciuilibus prudentiae mysteria sunt, attendisse, et perspexisse, quibus semitis incedere illi soleant, qui aliorum libertati insidiantur. Id quod non quidem grammaticum, at philosophum demonstrat, quem in Machiauello, de veterum rebus differente recte obseruauit Albericus Gentilis. Itaque iniquus iterum in Machiauellum recte censetur Gentilletus, qui exiguum tantum historiarum notitiam ei tribuit. Ita reipublicae, quam vehementer deperibat, fauentissimus monarchiae vero infensor, aptissimus visus est qui patriae ab epistolis esset, quo loco positus eum rerum magnarum occasio ipsi suppeteret, vsu quoque et exercitatione acumen ingenii perficere potuit, frustra id negante, qui totus eum deprimit, Gentiletus. Plurimum autem apud Caesarem Borgiam quoque valuit, cuius artes ex schola Machia-

v) Vid. Elogia doctorum de Machiauello apud MAGIRVM in Eponymol. crit. p. 545.

x) In Ep. praelim. ad MACHIAVELLI Principem.

y) Conf. IOVIVS l. c. p. 205. VARILLAS A-necdotes de Florence p. 248. BAYLE Dict. T. III, art. Machiavel not. B. p. 244.

chiauelli fuisse enatas, plerique contendunt, sunt tamen qui negent. Mediceorum potentiae infensus ^z, et reipublicae quam imperii amantior, illorum odia et persecuciones meruit. Factionem enim Soderinam adiuuasse suspectus factus, perduellionis iudicium incurrit, quae res eum carceri primum inclusit deinde tormentis subiecit ^a. Ast magna fortitudine superato equuleo, perfidiae criminis conuinci non potuit. Liber itaque dimissus, et postea dignus habitus est, cui annuo stipendio designato patriae historiae scribendae labor commendaretur. Quo tamen loco iterum eum excussit fortunae inuidia, et familiae Mediceae suspicio. Nempe cum opprimere libertatem patriae potentissima illa gens haud paucis videretur, in eius perniciem nonnulli coniurauerant, in id consentientes, ut Iulium cardinalem Mediceum, qui postea Clementis VII nomine sedem Romanam tenuit, vita tollerent. Quae coniuratio cum detegeretur, nonnullis mortis, quibusdam exilii causa exitit. His cum amicum se praebuisse Machiauellus crederetur, et suspicio esset, laudatis tum voce tum scriptis Bruto et Cassio, qui maximas res pro republica contra dominatum moliti sunt, accendisse eum ciuium animos, ut pro reipublicae libertate contra potentiam eorum, qui supremam potestatem affectabant, aliquid auderent, conuinci quidem eius rei non potuit, at munus tamen et stipendium amisit: quae res eum in miseriam atque inopiam detrusit. Quacum aliquot annos conflictatus, paulo ante subiecta iterum Caesarianis armis iugo Mediceo colla Florentina, veteresque dominos receptos ex accepto temere pharmaco, quo se aduersus morbos praemuniret, vitae suae, quod scribit Iouius, iocabundus illudens, anno, quod nonnulli volunt M D X X X, vel quod alii contendunt, certioribus rationibus nixi M D X X V I I, fato functus est, aetatis XL V I I I, relicto filio Luca Machiauello. Parum autem pie obiisse, rumor eo tempore sparferat, narrantibus nonnullis ^b, dixisse eum morti vicinum, malle se cum viris magnis in inferno confidere, quam cum hominibus simplicibus, Petro, Paulo et mendicis aliis in coelo triumphare. Alii sacramentis ecclesiae illuisse tradunt, alii alia profana eius memoriae affricant. In quibus narratiunculis merito fidem desideres: non enim alio talo constant, quam opinione de Principe eius pessima; nec ornari suspicio et difficilis de Machiauello fama potuisset, nisi, vitae exitum fuisse impium, illi fuisset assutum ^c. Verisimile autem non est, si tantae impietatis reus fuisset Machiauellus, passurum fuisse inquisitionis officium, ut libri eius sine censura in Italia omnium manibus versarentur. Scripsit multa Machiauellus vno fasce vernacula, tum Latina, Anglica, Gallica lingua edita, inter quae praeter scriptiones

mino-

z) Eorum tamen fauorem, maxime vbi in curia Romana eminebat vir callidissimus tempore inseruiturus magna cura ambiuit, quod nonnullis persuasit, ut crederent, eum in Principe aduulando consilia erigendae tyrannidis illis suppeditare voluisse.

a) VARILLAS l. c. p. 249. BAYLE l. c. not. C.
b) Rumusculos Hotomanni, H. Wolfii, Spizellii enarra. P. BAYLE l. c. not. C.
c) Conf. STOLLIVS Hist. lit. P. III. c. 5. §. 45. p. 715.

minores eminent: *Dissertationes in Liuium*, siue *Disputationum de re publica libri tres ad decadem Liuii primam*, quae dissertationes *Venetis* MDXXX prodierunt, postea saepius ^d. Latine quoque Gallice et Anglice editae: in quibus testius eadem axiomata tradidisse visus est, quae apertius postea in Principe disseminauit. Tum *Historia Florentina*, diuersis virorum doctorum iudiciis excepta ^f. Maxime autem, fama dicam, an infamia? illustre nomen nactus est, edito, *Principe*; hic enim libri Italico sermone conscripti et *Venetis* MDXXXII. 4. editi titulus est, quem Syluester Telius non satis feliciter Latinum fecit, et multoties recusum vidit orbis literarius. Emendatiorem autem editionem debemus πολιτικω-τάτης CONRINGII industriae: is enim lectionum politicarum indicem hunc librum esse voluit, eiusque versionem Latinam emendatam, *Helmstadtii* MDCLXIII vulgavit, repetitam anno MDCLXXXVI. Praemisit vir eruditissimus, epistolam introductoriā, in qua de Machiauello praeclare iudicauit, adiectis iudiciis Iouii et Possuini, vitaeque Castrucci, a Machiauello scripta aliisque. Aliam post hanc versionem Latinam anno MDCXCIX exire in vulgus iussit CASPAR. LANGENHERT, Anglicam ED. DAKES, Londini MDCXL. Gallicam AMELOT DE LA HOUSAYE, MDCLXXXVI. Sed Germanice quoque lucem vidit Francofurti MDLXXX ^g. Incredibile fere est, quam diuersa fuerint virorum doctorum de famosissimo libello iudicia, eo quod tyrannorum artes viuus coloribus et apertissimis rationibus in eo explicantur, eaque praecepta suggeruntur, quae neque religionis repagula, neque aequitatis et iustitiae honestatem, neque pactorum, legumque vincula considerare principem iubent, si eius emolumenta aliud postulent. Hinc enim pseudo-politiarum omnium, pessimarumque quae in aulis regnare solent, artium magister nequissimus, imperantium pestis, et tyrannorum adulator a plerisque habitus est. Maxime vero displicuere *Caput decimum quintum et vigesimum quintum*, in illo enim virtutem infamasse, concedendo principi, scire, qua ratione possit esse non bonus, in hoc prouidentiam diuinam labefactasse, asserendo dari casum cuius causa dari nequeat, quae tamen fati ferocia frangi ferueritate et constantia possit versus est. Inde innumera conuicia in Machiauello iacta sunt, Bodino enim homo audit leuissimus, et nequissimus, Iacobo Thomasio infame Hetruriae monstrum, aliis aliud, quorum opprobria collegit ARNDIVS ^h, qui, si plura quis cupiat, adeundus est. Maxime autem POSSEVINI iudicium, quod iubente Innocentio IX. de quatuor scriptoribus eum tulisse supra diximus, infamiam eius, impietatem et detestandas artes detegere nititur. Mirum itaque non est, atheismi notam illi a plerisque, qui haec principia Machiauellistica improbauerunt,

Ggg gg 2

fuisse

d) Italice Geneu. 1550. 4. Bon. 1680. 4. Latine Gen. 1650. 4. Gallice 1654. Anglice 1675. 1695. Gallice iterum per Henricum Desbordes Amit. 1691. 12. VI. Voll. conf. BAYLE l. c. not. H. itemque Geneuae 1726. U. Voll. 8. conf. LOTTER. ad

STREVII Bibl. phil. c. 7. §. 9. p. 283.
e) Conf. Bibl. imperant. l. c. §. 5. p. 113.
f) Vid. BAYLE l. c. not. K.
g) Editiones allegat Bibl. imper. l. c.
h) l. c. p. 111.

fuisse iniustam. Romae quoque et si Princeps Machiaueli diu sine offenculo lectus, et non vernacula tantum, sed et in Latina lingua frequenter, nulloque indignante manibus eruditorum versatus est, tandem circa finem seculi condemnationis notam meruit. Fuerunt etiam haud pauci, qui adulando adrepfisse Machiauellum familiae Mediceorum, eorumque tyrannidem scriptis fulcire voluisse contenderunt. Alii vero in contraria prorsus abeunt, nec tam malum scriptorem Machiauellum esse, et si argumento malo scripserit asserunt. Et artes quidem imperantium malas et tyrannidis consilia non nudius tertius nata, diu ante Machiauellum obtinuisse, ideamque principis Machiauellisticam innumeris per totum terrarum orbem exemplis expressam esse, nemo historiae adeo ignarus est, ut nescire possit. Ex quo enata scriptoribus nonnullis occasio est, de Machiauellismo ante Machiauellum commentandi ¹⁾. Recte quoque obseruatum viris doctis est, haud pauca obseruata a Machiauello annotauisse iam ARISTOTELEM in politicis ²⁾, exemplisque memorabilibus descripsisse Tacitum. Quod occasionem dedit Gentiletto et, post eum IAC. THOMASIO ³⁾ aliisque Machiauellum plagii reum agendi: perperam quidem, si quid iudicamus. Quamuis enim multa, instituta attentae lectione veterum historicorum, et fortasse Aristotelis quoque, obseruasse Machiauellum negare nolimus, supra tamen iam a nobis monitum est, eum meditationibus philosophicis et examine politico adhibito veterum lectionem in partes vocauisse, adeoque quae alii negligunt, diligentius considerando, in perspiciendis malis his imperantium artibus suis oculis acute vidisse. Tot itaque veterum exempla intuito, cum nec acumen ingenii, nec attentio curiosa, nec latebrarum animi humani exploratio deesset, eo autem, quo viuebat tempore in hoc ille doctrinae genere viro- rum magnorum consuetudine vteretur, intelligi sine labore potest, quomodo sine plagii crimine ad similia veterum obseruationibus praecepta delatus sit; licet fatendum sit, nihil scripsisse Machiauellum, quod non conditis inter homines imperiis semper exercuerit infrunita ambitio imperandique cupiditas. Haec vero obseruata viris doctis ansam illis dedere de Machiauello iudicandi, produxisse eum tantum ex umbris conclauium et in aperta luce collocauisse malas dominantium artes, nec docere voluisse, ut obseruatum WIQVEFORTIO ⁴⁾, quid principi agendum sit, quam quid agat reapse tyrannus, ut nosci et vitari possit. Vnde candidè magnus VERVLAMIUS ⁵⁾: *Est quod gratias agamus Machiauello, et huiusmodi scriptoribus, qui aperte et indissimulanter proferunt, quod homines facere soleant, non quod debeant.* Aliorum hac de re iudicia, ne nimii

1) CHRISTIAN. HOFMANNVS Diff. Machiauellus ante Machiauellum ex historia Lacedaemoniorum productus Ienae 1668. et Machiauellus sine Machiauello ex historia Sinesi productus, ib. HERM. SAM. REIMMARS in Sciagraphia tr. de Machiauellismo ante Machiauellum, Witteb. 1619. CONRING. L.G. k) L. V.

1) De Plagio n. 502. PASCH. de Inu. Nou. Antiqu. c. 4. §. 7. Bibl. imp. p. 110.

m) Conf. MARVILLE Mel. T. II. p. 140. DE LA HOVSAYE Praef. Princ. BAYLE l. c. not. E.

n) De Augm. scient. L. VII. c. 2.

nimii finis, praeterimus ^o, legenda autem est erudita CL. CHRISTII dissertatio, qui multa hanc observationem luce perfudit. Quod ubi supponitur, tantum abesse pergunt, qui pro Machiauello apologiam dicunt, ut culpari possit, ut potius inter testes veritatis cautos et sagaces referendus videatur, eo quod prudentiam civilem non virginea castitate illibatam, sed aularum furore vitiatam atque prostitutam in apricum produxerit, ut habeant animae candidiores, quod perhorrescant, amici principum autem rerumque administri pulchrius sapere cupientes, quod vitandum esse hero suo ostendant. Id quod pondus insigne pro Machiauello accipit, si verum esse statuatur, virum acutissimum reipublicae fauentissimum, magno, licet clandestino, odio oppressae a Medicea domo libertatis flagravisse, cumque alia ratione non posset, his ambagibus adscitaque hac larua, natiuos tyrannorum vultus viuis coloribus depingendo ciuibus suis oculos aperire, et hortari voluisse, ut discerent tandem aliquando, quam mala res sit amissa libertate iis dominis parere, qui contemptis legibus, iustitia, aequitate, honestate et sanctissimis quibuscunque ciuitatum vinculis etiam minime boni esse non recusent, si potentiae suae expediat, et fulcire tyrannis hoc pacto possit. Et magnum, si fatendum quod res est, pondus haec observatio in historia Machiaueli habere videtur. Vti enim non insolens est eiusmodi fictis institutionibus malarum artium praecepta et exempla in apertissima luce constituentibus satyram scribere, et oculos rerum intelligentibus aperire, ut sapere tandem aliquando discant ^r: ita falli eos, dubium non est, qui Mediceae familiae assentiri isto libro Machiauellum voluisse coniiciunt. Hoc enim si facere constituisset, non in foro et turba, sed in conclavi et adyto haec praecepta politica infusurasset. Aliter autem animo affectum fuisse Machiauellum ea, quae ex illius vitae historia supra adduximus, satis probant, et tota historiae Florentinae ratio suadet. Ea enim narrante, artes istas, quas tam natiuis coloribus scriptor Florentinus describit, isto tempore mira calliditate exercuit, gemente et exspirante Florentinae reipublicae libertate, Medicea familia ^q quas detestatum fuisse Machiauellum, ideoque ciues hac satyra monere voluisse, vel sola iterata suspicio, quod in exitium eius domus coniurauerit, euincere videtur. Nec vllam verisimilitudinis speciem habet, eum, qui Bruti et Cassii exempla ciuibus tantopere praedicauit, sicque reipublicae liberae amorem mire in iis sustentauit, seria commendatione tyrannidis medio tam palpabili institutionum compendia suppeditare voluisse, quibus ciuitatis libertas euerteretur. Aliquoties etiam in dissertationibus in Liuium ^r prodidit, valde se Aristocratiae fauere, et monarchiam

Ggg gg 3

atque

^o) Vid. ALB. GENTILIS de Leg. L. III. c. 4. SCIOPIVS in Paedia polit. IO. CHR. BECMANN. Med. polit. c. I. §. 6. p. 7.

^p) Simili instituto scriptus est Homo politicus f. Compendium politices nouum, quod serie rem egisse ratus CHR. PELLERVS in Politico scelera-

to impugnato, refutauit. Eandem nuper scenam ingeniose instruxit cel. CROVSZIVS editis Regulis educationis, quae multis displicerunt, cum non obseruassent, satyram virum eruditissimum scripsisse.

^q) Conf. VARILLAS L. c.

^r) Maxime L. I. c. 10.

atque imprimis tyrannidem perhorrescere. Quamuis autem non sine veri specie obiiciatur, Machiauellum, etiam in aliis libris has artes pseudo-politicas inculcauisse, opponi tamen his potest, virum sagacissimum quaerendo exempla eorum, quae tam aperte in principe effuderat, colorem, quo excusaretur, obseruationibus suis addidisse, vt de veteri magis aeuo, quam suo tempore loquutus fuisse videri possit. Quae vero de atheismo eius obiiciuntur, infirma esse, recte vidit eruditissimus REIMMANNVS ^{s)}, qui eos nominat, qui in hac macula illi inurenda industriam suam exercuerunt. Monet enim, scripta eius per integrum fere seculum esse lecta in republica literaria sine atheismi suspitione: id quod verum esse ex historia librorum Machiauellisticorum patet. Erat enim Alexander VI commendatus et librum hunc quoque Leonis X fratris filio dedicauerat, minime indignante Leone, sed eam potius de illo fiduciam nutriente, vt eum arcanam dissertationem de reformatione reipublicae Florentinae scribere iuberet. Clemente VII quoque iubente historiam Florentinam edidit, beneuole ab eo acceptam, Machiauello autem mortuo typographo Angelo Bladio decennii priuilegium in opera Machiaueli iunctim edita a pontifice concessum est. Idem fecerunt Paulus III, Iulius III, Marcellus II, Paulus IV, hisque auctoritatibus munita scripta Machiaueli, in omnibus fere Europae regionibus diu sine suspitione atheismi lecta sunt. Primus anno MDLII in Machiauellum inuectus est Ambrosius Catharinus, exigua tamen vel curiae Romanae vel ciuitatis literatae attentione. Tandem Antonii Posseuini et Thomae Bozii instigatione et clamoribus permotus Clemens VIII, demum scripta Machiaueli, velut impietatis suspecta prohiberi iussit ^{t)}. Addit huic argumento porro Reimmannus, nusquam in scriptis Machiaueli vel directe vel indirecte oppugnari numinis existentiam: viros quosdam doctissimos eos excusasse, et interdum laudasse; iis, a quibus primum atheismi stigmatem notata sunt Machiaueli opera, ne quidem lecta esse, ne dum ea, qua fas est diligentia excussa: reprehensione quoque ecclesiae Romanae satis acerba hanc dicam eum meruisse etc. Quae omnia in vnam summam collecta id euincere putant viri illi docti, qui pro Machiauello verba fecerunt, non alia in re eum peccauisse, quam quod, monente SCHVPPPIO ^{u)} *sagacissimus nequitiae humanae obseruator, apertissimus testis, et nimis ingenuus recitator fuerit, et candide ea elocutus fuerit, quae multi alii politici non modo sentiant, et firmiter credant, sed et in vniuersa vita faciant.*

Iudicium de Machiauello.

§. VII. Difficile est in tam ambiguo argumento arbitrium sumere, et de Machiauello ita statuere, vt verisimilitudinis gradus rite definiantur, habeatque pondus suum opinio. Quis enim aperta certitudine de intentione animi scriptoris huius definiet? Et verum quidem est, suspectum valde videri Machiauellum, non modo quod artes malas nimia perspicuitate

s) Hist. Atheismi S. III. c. 4. §. 14. p. 356. f. t) Conf. CONRING. l. c. u) In Orat. de Opinione.

tate denudauerit, verum etiam, quod in aliis quoque scriptis eas insperferit, ubi scopus iste satyricus locum habere non potest. Quoniam tamen ea, quae de eius erga rempublicam amore relata supra sunt, iustam causam praebent credendi, noluisse eum, contra principia regulasque ex animo sibi descriptas agere et scribere, hincque illa loca ideo ab eo allata putanda esse, ut exemplis fidem principi suo faceret: ideo iustae ratiocinationis pondera et momenta maiora eos habere existimamus, qui principem Machiaueli pro satyra habent, larvam tyrannis detrahente, et libertatis amantibus exofum imperium atque dominatum reddente: facileque persuaderi nobis patimur, Mediceos eum clam petiisse, quamuis ad occultandum hunc scopum, inscriptionem libri Mediceae domui sacram esse voluerit. Hac quaestione facti supposita, adeo male, quam plerique clamant, Machiauellus egisse censendus non esse videtur. Vti enim magna et praestantissima tacticorum pars est, ostendere stratagemata, eorumque rationes apertas detegere, sophismata quoque et fallaces strophas delineant artis rationalis scriptores, ita in morali quoque et politico argumento utilitate minime caret, et haud exigua pars civilis prudentiae est, scire quibus modis faueat pseudo-politica, peccent artes aulicorum, opprimatur libertas, quaeque pestes ciuitatis eiurandae vitandaeque sint. Quem usum hunc Machiaueli librum praestare, recte viderunt H. CONRINGIVS * et DAN. CLASENIVS †. Quamuis autem haud immerito quis obiiciat, plus proficere vitiorum ignoracionem, quam cognitionem virtutis, quod eleganti Scytharum exemplo illustrat IVSTINVS ‡: putandum tamen haud est, Machiauellissimum, quem vocant, siue artes pseudo-politicas ex hoc demum Machiaueli libro exortas esse, cum experientia teste constet, millies eas sine Machiauello exerceri, regnareque in aulis, in curiis, in conclauibus, quin et inter priuatos in foro, in museo, in tabernis, ubi Machiaueli princeps nunquam lectus est †. Id vero, nostro quidem iudicio excusari in Machiauello non potest, quod non antidotum veneno valde praesenti adiecerit, inque iis ingeniose exponendis et pingendis industriam suam demonstraauerit, quae exponi sine detestatione non debent, ut alia taceamus, quae profanam in eo mentem, Dei reuerentia non fatis munitam prodere videntur. Vnde laudanda est Conringii industria, qui in ea, quam curauit editione medicinam attulit, et remedium locis, quae offensionem esse possunt, parauit.

§. VIII. Ex his autem intelligi potest, non defraudandos illos esse sua laude, vel inutiliter operam suam collocasse censendos, qui in refutando Machiauello desudarunt. Tanta enim multorum infirmitas est, ut non moniti et aere triplici circa pectus muniti, facile exemplorum huiusmodi

Anti-Machiauellisticae.

x) loc. cit.

y) De Relig. polit. c. IX. §. 98.

z) L. II. c. 2.

§) Hinc enata est occasio cel. B. VALENTINI

differendi de Machiauellismo medico Franc. 1711.

LILIENTHALIO de Machiauellismo literario.

EDZARDO de Machiauellismo pietistico, CHR.

WEISTO de Machiauellismo rustico etc.

modi pictura decipiantur, et quae cautos reddere debent, incautos faciant et seducant. Causa haec est, cur tot viri docti in confodiendis illis axiomatibus quibus Princeps Machiaueli regitur, industriam exercuerint suam. Quorum indicem satis longum texere liceret, si Bibliotheca philosophica scribenda esset, a qua prolixitate institutum nostrum abhorret. Nominant autem plerosque STRUVIUS ^b, REINHARDVS ^c, ARNDIUS ^d, BVDDIUS ^e, alii ^f, qui videndi. Nos ex multis, quae haec inferi possent, obseruationibus paucas feligimus. Et I. quidem ex refutantium ordine, nemo maiori infamia cumulasse Machiauellum censendus est, quam Possuinus et Thomas Bozius; ille, in *Iudicio de quatuor scriptoribus*, supra iam memorato, hic in variis scriptis, contra Machiauellum editis, maxime vero in tractatu *de Imperio virtutis, Coloniae Agrippinae anno MDXCV* edito. Ex quo simul tempus patet, quo Machiauellus suspectus fieri, et infamia laborare coepit. II. Maximus vero, qui Machiauello obtigit aduersarius a plerisque iudicatus est, anonymus quidam, cui debentur: *Commentariorum de regno aut quouis principatu rite et tranquille administrando libri tres, de consilio, religione et politica, quas princeps in ditione sua tueri debet aduersus Nic. Machiauellum Lausannae MDLXXVI* editi, et aliquoties editione repetiti, etiam Germanice vulgati ^g. Suppressit auctor nomen suum, nec aliud de se prodidit, quam esse se ex exulum reformatorum Galliae numero, quod occasionem dedit nonnullis coniecturis suis in auctorem inquirendi. Vixit autem eo tempore apud Lausonienses exul Franciscus Hotomannus: quem in hoc scripto euulgando ideo desudasse nonnulli coniecerunt. Ast nec genium nec scribendi rationem ab Hotomanno seruata prodit scriptum illud. Vnde maiori verisimilitudine VINCENTIO GENTILETO ICTO ex Delphinatu Galliae oriundo tribuitur ^h. III. Exscripserunt hunc Anti-Machiauellum non Possuinus modo, sed alii quoque, qui contra eum in arenam descenderunt, ast IV. iniquis armis, falsis imputationibus, et commentis ita aggressus est auctor Machiauellum, vt sincerum ex hoc libro iudicium de eo haurire minime liceat ⁱ. Quem cum ita exscripserint, Anti-Machiauelistae, vt ne quidem comparare eum cum Machiaueli scriptis opus esse iudicauerint, factum inde, vt pueriliter in haud paucis lapsi sint. V. Omnes autem eos, qui Machiauellum refutare aggressi sunt, et augusti, quo fulgere creditur axiomatis splendore, et cogitationum subtilitate, et principiorum atque regularum veritate et nobilitate, et digno auctore suo virtutis habitu longe post se reliquisse, consentiente et plaudente orbe literato iudicatus est, qui nuper *Antimachiauellum* Gallico sermone edidit anony-

b) Bibl. philos. c. 7.

c) In Theatro prudentiae civilis.

d) I. c. p. 47.

e) *Magog. Hist. theol.* p. 320. Annot. in *Hist. phil.* p. 504.

f) *Biblioth. imperant.* I. c. §. 6. p. 113. seqq.

g) Anti-Machiauellus, das ist. Regenten-Spiegel. Argent. 1624. 8. perperam enim hunc librum quidam ab altero distinguunt.

h) BAYLE I. c. not. E. *Bibl. imper.* I. c. p. 114. DECKER. de *Script. adeip.* p. 106.

i) Conf. CONRINGIUS et CHRISTIVS II. cc.

anonymus, curante editionem elegantissimo VOLTAIRIO ^k. Quem librum immortalis rarissimi exempli gloria dignum hic recensere, institutum vetat, adeundi autem Ephemeridum scriptores, qui suo merito extulerunt. Supponit is, Machiauellum verisimiliter principem suum ad Caesaris Borgiae exemplum effictum, serio orbi imitandum proposuisse, eumque ideo validissimis arietibus contudit, eiusque quassat moenia: iam luculenter autem in eo argumento versatur, vt, recte Platonem pronunciaffe dicendum sit, beatam tunc fore rempublicam, si aut philosophi imperent, aut reges philosophentur.

§. IX. Ab hoc scriptore politico enata est in nonnullorum commentariis de philosophiae historia, secta Machiauellistica. Somnium hoc fuit GEORGII HORNII ^l, ita tradentis: „Exorta quoque est secta politicorum Machiauellistarum, qui statuunt, philosophiam theoreticam, homines reddere ineptos ad prudentiam politicam, trahentes ad se illud „Neoptolemi apud Ciceronem philosophandum, sed paucis.“ In quibus adeo pueriliter potuisse labi Hornium, vt certum sit, ne paginam quidem vnam Machiaueli se legisse merito miramur. Aliis secta Machiauellistica audit, quicquid iniquas principum artes inculcat suadetque, quo pacto innumeras asseclas habere Machiauellum contendunt, at hi sectae nomine abutuntur, quo theoreticorum philosophorum factio intelligi solet. Sensu enim practico omni ante Machiauellum tempore extitisse pseudo-politicos, et obtinuisse axiomata vel sophismata potius politica a Machiauello tradita supra iam obseruauimus. Accuratus agunt, qui eos scriptores huc referunt, qui regnandi prudentiam illis regulis concluderunt, quae utilitate magis imperantium, quam subditorum atque ciuitatis definiuntur, quaeque despotismum nimis extendunt. Quo nomine vapulare solent Iustus Lipsius, et Thomas Campanella, vt in vtriusque vita dictum, itemque illustrissimi Gallici regni administratores Richelius et Mazarinus. Quibus adiici solet GABRIEL NAVDAEVS, propter *Considerationes politicas super arcana status* ^m. Ast hi quoque scriptores Machiauellisticae proprie dici nequeunt, eo quod intra cancellos praeceptionum Machiaueli se non concluderunt. Monarchomachos autem huc inepte refert Cl. ARNDIVS ⁿ, qui in contrarias prorsus partes discesserunt, quos iam propius intuebimur.

Secta Machiauellistica.

§. X. Nempe in contrarium abit, et diuersissima principia sectatur Monarchomachorum factio, quam indictam hoc loco praeterire non licet. Vt enim plus iusto tribui a Machiauello principum potestati plerique conueruntur, ita Monarchomachi imperio illimitato maximopere infensi princi-

Monarchomachi quid sint?

k) Vid. Bibl. Britann. T. XVI. Nouvelle letter. publicat. in Firenze T. II, p. 600. 619. seqq.

l) Hist. phil. L. VI. c. 12. p. 322.

m) Conf. citati.

n) l. c. p. 56. seqq.

principis auctoritati plus iusto detrahunt. Id vero cum piaculum merito videatur, ipsam philosophiam in auxilium vocari videas, ut recte et ratione imperante id fieri videri queat. Nempe duplex huic factioni maiestas statuitur, vna personalis, realis altera. Et personalem quidem summis imperantibus minime denegant, quos ex collatione a populo facta maiestatis axioma in persona sua gerere asserunt: at realem maiestatem populo inesse, eiusque consensu, electioneque transferri in imperantem contendunt. Qua distinctione, populus et subiectorum et imperantium indole gauisus inepte inducitur, et quid maiestas sit, quae conditione in personam principis transferatur, mire confunditur. Id quod latius deduxerunt C. THOMASIVS *, H. CONRINGIVS †, CHR. MART. COLERVS ‡, qui ipsi adeundi. Perniciosi autem ex huius factionis principio in rempublicam omni tempore errores fluxerunt, feminaque seditionum nunquam non exorta sunt. Sequitur enim ex illo originaliter, maiestatem esse penes populum §, et competere illi ius, non modo in imperantium actiones inquirendi, sed etiam peccantes de throno deiiciendi, immo profusus e vita tollendi. Ex hac vero Monarchomachorum descriptione manifestum est, non recentiori demum aetate hanc factionem surrexisse, sed ab eo tempore extitisse, quo seditiones in imperiis abortae imperio se opposuerunt. Quo argumento dudum ARISTOTELES Monarchomachos depinxit ¶, et vetus pariter atque recentior historia. Intelligitur autem ex dictis contrariam profus Machiauellismo esse Monarchomachiam, etiam simulatam, adeoque contrariis principiis uti, et reuera omnem regum principumque maiestatem, quam ille malis artibus extollit, pessimis rationibus atque mediis euertere. Historiarum annales vero consulentibus ignotum esse non potest, Machiauellismum, id est, abusum maiestatis et potestatis supremae Monarchomachiam genuisse, et ex tyrannidis malo aliud illo non minus fuisse prognatum. Cum enim sine legibus, sine pactis, sine religione, sine salutis publicae cura agere se posse, prout liberit, imperantes coepissent, exasperati populorum animi de tollendo, quod execrabantur, imperio cogitare coeperunt, hincque talia principia excogitarunt, quae ex natura ciuitatis petita, in originem maiestatis inquirunt, et consensu ciuitatis eam in imperantem conferri, pactisque atque legibus definiri atque circumscribi contendunt. Quae cum magnam veri speciem habeant, facile fuit, obtentu naturae ciuitatis pactorumque inuolare in maiestatis iura et non tantum imperantes in ordinem redigere, sed pellere quoque regno, et caedibus plane, iustitiae praetextu et tyrannidis odio, euertere. Mirandum itaque non est, eas, quae Machiauellismo solent opponi, rationes in acie Monarchomachorum comparere, et

iusto

*) Diff. de Duplici maiestatis subiecto.

b) Diff. de Summae maiestatis subiecto.

p) Diff. de Diuisione maiestatis in personalem et realem.

q) Conf. GROTIUS de I. B. et P. L. I. c. 3.

r) Vid. Polit. Lib. V. et PETRVS VICTORIVS ad h. l. p. 395.

iusto imperio haud raro opponi. Verumque est, quod nonnemo monuit, speciosa satis esse, quae pro se, suaeque sententia Monarchomachi afferant, argumenta, eaque plerumque in genere considerata veriora esse, quam applicari in specie possint. At nec tamen inficiandum, ita in plerisque regnis imperiisque dispositum cautumque esse, ut distinctiones Monarchomachorum locum habere vix possint, cum facilius maiestas in abstracto, quod vocant, quam in concreto a subiecto cui inhaeret, separari queat. Et aliud longe est, peccata regnantium, finem imperiorum et naturam conuellentia redarguere, aliud media suppeditare, quibus salua maiestatis iure et auctoritate in ordinem redigi queant. Quae inter se miscuisse nonnullos, qui Monarchomachorum partibus se addictos professi sunt, certum est: quorum asserta interdum commodam interpretationem admittere, et acquitatem poscere, omnino B. BVDDEO^r eos excusanti concedimus. Verum de his vltra disputare hoc loco non licet, sed in institutionibus philosophiae examinanda atque definienda sunt: nos ad partem huius factionis historicam conuertimur, quam post obseruatorem Halensem^r tetigerunt STRVVIVS^x, ACKERVS^y, BVDDEVS^z, ARNDIVS^a auctorque *Bibliothecae imperantium*^b.

§. XI. Quamuis ab antiquissimis temporibus Monarchomachos fuisse, veterum regnorum atque rerumpublicarum, maxime Graecarum historia testis sit locupletissimus, nunquam tamen, quod factis ipso multi exsecuti sunt, scriptis ex instituto defendere, quisquam ausus est. Prima, quae in publicis libellis deprehenduntur, huius rei vestigia, seculo XIV deprehenderunt viri docti: imperante enim Ludouico Bauaro, MAR-SILIVS MAINARDINVS, Patauinus, rector vniuersitatis Viennensis^c, quem impium quidem, sed doctum hominem vocat NIC. COMNENVS PAPADOPOLI^d, quique in controuersis Ludouicianis strenue Occami sectam sententiasque secutus est, Monarchomachis in *Defensore pacis* praeluisse; Seculo XVI ineunte autem, sedente Romae Leone X, MARRIVS SALOMONIVS in libris *de Principatu* eandem iam disseminauisse haeresin visus est. Forte et alii sunt, qui principum potestatem intra cancellos redigere cupientes, et plus vltra progressi in maiestatem ipsam iniurii facti sunt. Nam tempore belli Smalcaldici, quo de oppressa libertate publica querelae grauissimae auditae sunt, nonnullos theologos talia praecepisse non nemo^e contendit. Non tamen in certi dogmatis neruum res erupit, nisi post lanienam Parisiensem, qua crudelissimum oppressae salutis publicae, exemplum insanorum quorundam audacia exhibuit. Eam enim graues illi motus intestini et ciuilia bella secuta sunt, quibus non ar-

*Monarcho-
machi cele-
briores.*

Hhh hh 2 mis

s) Bibl. iuris imperant. l. c. §. 1. p. 119.

r) In Hist. I. N. p. 78.

u) Obf. Hal. T. VI. Obf. 1.

x) Bibl. phil. c. 7. §. 27. y) Pec. sched.

z) Hist. phil. p. 508.

a) Bibl. polit. her. p. 62.

b) C. 2. Pof. 2. p. 118. qui omnium plenissimus est.

c) Vid. FABRICIVS Bibl. Lat. med. Tom. V. p. 102.

d) Hist. Gymnasii Patau. T. II. p. 154.

e) Obf. Hal. l. c.

mis tantum contra regis maiestatem et auctoritatem, sed calamis quoque pugnatum est. Secutae sunt seditiones motusque Anglici et Scotici, qui materiam suppeditarunt, nonnullis in regum principumque potestatem insurgendi. Inter quos primum apud plerosque locum occupat GEORGIVS BVCHANANVS, vir historiarum peritissimus, et condendi carminis felicitate celeberrimus, cuius vitam hoc loco enarrare non licet, praemissam autem Poëmatibus eius, et elegantissimis observationibus illustratam legere est apud P. BAYLE ^f, qui ad eundem. Is in regia quidem Mariae Stuartae, Scotiae reginae familia fuit, tantumque eius existimatio et eruditionis opinio valuit, vt regni haeredi Iacobo VI, erudiendo adhibitus, innumeris benevolentiae speciminibus cumlaretur. Attamen seductum a factione aulae aduersa, imprimis comite Morrauo, iniquissime de Maria regina in *Historia Scotiae* scripsisse dicitur, quod occasione nonnullis, maxime Barclaio, dedit, eum perfidiae, ingrati animi, mendaciorum, et quae alia ei scelera obiecta sunt, insimulandi. De qua tamen re non hoc loco tractandum est, sed in historia magnae Britanniae Scotiaeque regni. Potiori autem iure huc referendus esse plerisque visus est, ob dialogum *de Iure regni apud Scotos*, paulo ante obitum, qui anno MDLXXXII, septuagesimum sextum aetatis annum supergresso obtigit, anno MDLXXX Edinburgi editum. Qui cum Latine scriptus esset, mox Anglico quoque sermone, et tum Belgico comparuit, et plerumque historiae Scotiae solet adiungi. Scripsit hunc dialogum occasione motuum a Maria Stuarta excicatorum, adeoque de Scotiae tantum regno in titulo eius se acturum promiserat; in ipsa vero tractatione de regni iure, natura et indole in genere disputat, hincque regni origines, constitutionem primam, et neruum ingeniosa inquisitione explorat, sed libere nimis, parumque accurate et reuerenter. Neque tamen alios, quam tyrannos, regni maiestate atque potestate ad opprimendos sibi subiectos abutentes se petere videri vult; vnde non erubuit dialogum hunc, regum maiestati parum salutarem, et honorificum, ipsi iuueni Scotiae regi, Iacobo VI, inscribere, apud quem maximam gratiam et auctoritatem obtinebat. Quem etsi finem intendere voluisse Buchananum facile quis sibi persuadeat, fatendum tamen, adeo inconsiderate et parum caute scripsisse historicum, vt occasio inde enata calumniandi doctrinam Protestantium ^g, quod maiestati imperantium parum faueat. Qui vero nec Buchananum principia defenderunt, nec dialogi huius apologiam scribere aggressi sunt. Narrat autem CAMDENVS ^h: „Buchananum, „partium studio et Morrauii munificentia abreptum, tum in historia, tum „in libello cui detectio titulum fecit, ita scripsisse, vt falsitatis libri isti damnati sint, ab ordinibus regni Scotiae, quorum fidei plus tribuendum: et „ipsum ingemiscens coram rege, cui fuerit paedagogus, subinde se reprehendisse, quod tam virulentum calamum in reginam bene meritam strin-

f) DiG. T. I. p. 693. seqq. g) Conf. BAYLE l. c. not. E. h) Annal. ad ann. 1567. p. 110.

„strinxisset; morientemque optauisse, vt tamdiu supereffet, donec maculas, quas maledicentia falso aspererat, reuocata veritate vel sanguine elueret, nisi hoc vanum esset, cum prae aetate delirare videretur.“ Ast contrarium docet VARILLASIVS ⁱ, ex annotationibus fratrum Puteanorum ad Thuani historiam referens, regem quidem Iacobum retractationem a Buchananano moribundo poposcisse, at eum renuisse, eo quod nihil scripisset, quo conscientia grauaretur. Quae inter se ita committi putat, P. Bayle, vt consistere nequeant, Camdeno vero magis credendum esse statuit. Ast cum non in reginam ipsam, sed in aulae tantum ministerium calamum Buchananus strinxerit, et non obstante Scotiae historia dialogoque isto rex gratiosum eum apud ipsum esse, porro concesserit, hypothesin autem de iure regni tyrannidi tantum oppositam esse auctor crediderit, dubia certe Camdeni relatio inde existit, et verisimilius est, quod a Scoto quodam nobili se audiuisse refert Baylius, Buchananum rogatum cum ferali lecto decumberet, annon eorum ipsum poeniteret, quae de regno et regina scripisset, respondisse, abiturum se in regionem, vbi reges non imperarent. Eandem cum Buchananano tibiam inflauit personatus scriptor Galliae, qui STEPHANI IUNII BRVTI personam mentitus, *Vindictas contra tyrannos aserturus, de Principis in populum populi in principem legitima potestate* librum edidit, sine loci indicio anno MDLXXX excusum, et postea aliquoties ^k repetitum, in quo Guiflorum factioni velificaturus populi arbitrio regiam maiestatem subiecit. Quae mira et periculosa hypothesi curiosos viros doctos fecit, vt de auctore inquirerent. Et nonnulli quidem eum librum ad Franciscum Hotomannum retulerunt, eo quod pro privilegiis et libertate nationis Gallicae et senatus regni in *Franco-Gallia* sua pugnauisset. Ast alia hypothesi is vtitur, huic minime affini, id quod satis probat, ab eo hunc foetum profectum haud esse. Alii Theodorum Bezae ^l, quidam Philippum Mornaeum ^m auctorem fuisse suspicati sunt, rationibus tamen destituti. Certissima sententia est, quam peculiari dissertatione euicit P. BAYLE ⁿ, enatum esse librum istum ex ingenio calamoque Huberti Langueti, Burgundionis, qui fama Melanchthonis excitatus in Germaniam concessit, et Protestantium partes amplexus, inter consiliarios Augusti Saxoniae electoris receptus est ^o. Suspectus postea factus, quod cum factione Peuce-riana faceret, ad Arausionensium principem confugit, eiusque ministerio se addixit, in eo anno MDCXXV, denatus. Germanice quoque pars harum Vindiciarum prodiit Magdeburgi anno MDCXXV, quo eiusmodi cogitationes valde animos in Germania suspensos habebant ^p.

Hhh hh 3

§. XII.

i) Apud BAYLE l. c.

k) 1589. 8. Paris 1631. 12.

l) Bezae quoque nomine prodiit Amst. 1660. 12.

Ita quoque Miltonus, Philippi, aliique, refutat

VORTIVS pec. diff.

m) GROTIUS in Apologia contra Riuetum.

n) Dictionario critico adiecta.

o) IDEM l. c. art. Languet T. III. p. 53.

p) Titulum exhibet Bibl. imperant. c. 2. pos. 4. §. 4. p. 123.

*Monarcho-
machi Galli.*

§. XII. Maiori animorum contentione de Monarchomachorum dogmate disputatum est, cum res gestae ab Henrico III, Galliarum rege, seditionesque sub eius regno abortae, cum tandem exitum natae essent, qui in caedem regis desinebat. Tum enim comparuit, quam perniciosae falsae prudentiae regulis illi essent confirmati, qui ne a sanguine quidem sacro manus impias cohibere se debere credebant. Nam idem fatum subiisse successorem quoque Henricum IV, et sacrilegas manus intulisse illi quidem Iacobum Clementem, huic vero post inania tentamina Ioannis Castelli, qui ex Iesuitarum disciplina prodierat, Rauallacium, nemo rerum eo tempore gestarum gnarus nescit. Vt enim infandum regicidii scelus pingere et excusaret impietas, afferendum erat, competere in regem haereticum atque malum populo eiusmodi potestatem, qua non regno modo abdicari, sed et vita tolli is posset. Collineauit ad detestabile hoc dogma confirmandum IOANNES BOUCHERIVS theologus, doctor Sorbonicus, qui *de Iusta Henrici III abdicatione e Francorum regno libros quatuor, Lugduni MDXCI* edidit: in quibus parum religiose contra maiestatem et sanctitatem principum multa temere effudit, corrasa maximam partem et male descripta ab aliis. Castello autem indignissimum facinus frustra moliente, et societate ob sceleris conscientiam proscripta idem, si BARGLATIO ⁹ credendum, vernaculo scripto, FRANCISCI VERONENSIS CONSTANTIS nomine adscito defendere sacrilegium hoc ausus est. Prodiit enim *Francisci de Verone Constantini Iesuita sicarius, seu apologia pro Ioanne Castello Parisensi mortis supplicio affecto, et pro patribus ac scholasticis e Gallia olim exterminatis, contra edictum Parlamenti Parisi in illos latum, Lugd. MDCX, et Latine MDCXI.* Eandem tibiam inflauit GVILELMVS RAYNOLDVS, Anglus, et in Anglico collegio apud Rhemenfes professor, vir vehemens et seditioni ciendae atque violentiae tuendae aptus, vt ex eius *Turco-Caluinismo* potest intelligi. Est enim ille GVILELMVS ROSSAEVS, qui *Antwerpiae anno MDXCII* edidit librum *de Iusta reipublicae Christianae in reges impios et haereticos auctoritate, animaduersione iustissimaque Catholicorum ad Henricum Nauarraeum et quemcunque haereticum a regno Galliae repellendum confederatione.* Intelligitur vero ex dictis, maxime Societ. Iesu in suspicionem nefandi dogmatis venisse, quod reges haereseos suspectos interficere liceat, illisque imputata fuisse regicidia in Gallia et Anglia suscepta. Horum enim institutione et praeceptis effectum esse, tunc senatus regni Gallici statuit, vt impiae manus sacratissimo regum suorum sanguine se polluerent. Longum esset ea enarrare, quae post tentatam a Castello regis Henrici IV caedem, contra Societatem acta, et pro eius innocentia ab altera parte scripta sunt, haec enim ad hanc nostram tractationem non pertinent, sed in annalibus ciuilibus atque ecclesiasticis solent enarrari, cuncta quoque post ea quae in compendio eleganter retulit HEIDEGGERVS ^r, erudi-

*Iesuitae
Monarcho-
maniae sus-
pecti.*

⁹) De regno et regali potestate L. V. init. ^r) In Hist. Papatus Per. VII. §. 101. 105. p. 275. 287.

ta et iucunda dissertatione, more suo exposuit vir illustris CAROLVS STEPHANVS IORDANVS ¹⁾, qui videndus. Nobis pro instituti ratione sufficit, obseruauisse, IOANNEM MARIANAM, scriptorem inter Iesuitas Hispanos celeberrimum, magnaue inter suos auctoritatis, primum fere fuisse, qui pestilentis dogmatis semina sparserit in *Libris tribus de Rege et regis institutione ad Philippum III, Hispaniae regem scriptis*, editisque Toleti anno MDXCIX, cum censura et priuilegio regis ²⁾. Is enim impium Iacobi Clementis facinus admirari non erubuit, talia autem asserta protulit, quae indignationem bonorum omnium iustissimam merentur. Scribit enim inter alia: *Aut in apertam vim prorumpitur, seditione facta armisque publice sumtis, aut maiori cautione, fraude et insidiis pereunt, vno aut paucis in eius caput coniuratis, suoque periculo reipublicae incolumitatem redimere satagentibus. Quod si euaserint, inslar magnorum heroum in omni vita suspiciuntur: si secus accidat, grata superis, grata hominibus hostia cadunt, nobili conatu ad omnem posteritatis memoriam illustrati. Itaque aperta vi et armis posse occidi tyrannum, siue impetu in regiam facto, siue aperta pugna, in confesso est. Sed et dolis et insidiis exceptum.* Praeterimus loca alia excerpta et diligenter collecta a P. BAYLIO ³⁾, qui nefandam Iesuitae impietatem et audaciam apertissimis testimoniis demonstrat. Dicit non potest, quantam inuidiam confluauerit hoc Marianae dogma Iesuitarum Societati, eo quod his praecipue opinionibus atque hypothefibus animatos regicidas nefarias manus regi inferre aulos fuisse ipse senatus regni exusto eius iussu per carnificem libro ⁴⁾ indignaretur. Id quod permouit Iesuitas, vt Marianae opinionem a Societate non esse receptam, sed potius improbatam et reiectam, publico quoque scripto a Cottono edito declararent, quem tamen inuita veritate hoc negare, tum approbatio operi a censoribus Societatis praefixa euincit, tum a plurimis, etiam Romanae ecclesiae addictis, est demonstratum, de quibus, ne ad alienum argumentum nimis digrediamur, Baylius et Iordanus consulendi sunt. Maxime vero odium, quod ex hoc dogmate Societati enatum est, insignia incrementa cepit, postquam Iacobus Castellus, licet irrito euentu Henrico IV regi cultrum intentasset mortiferum. Cum enim ex Iesuitarum disciplina eum prodiisse constaret, iubens aula illorum collegium explorari, inter chartas Ioannis Guignardi Iesuitae apologiam inuenit Clementis, qui Henricum III trucidauit, in qua actionem istam heroicam, illi a spiritu S. inspiratam, et aequissimis laudibus a theologis celebratam esse scriptum erat. Magno id Societatis malo euenit. Nam non solum Guignardus publice gula laqueo fracta periit, corpusque in cineres redactum, Castellus misere enecatus est: sed et Iesuitae intra triduum vrbe, et intra hebdomades duas regno excedere iussi sunt. Qui causam quidem suam in Senatu regni egerunt, at frustra ⁵⁾, eiectionis enim sunt,

¹⁾ Recueil de literature p. 69. seqq.

²⁾ Maxime L. I. c. 6. 7. suspecta sunt.

³⁾ Dict. T. III, arr. Mariana not. G. p. 329.

⁴⁾ Factum id anno 1610. Cal. Iun. conf. Bibl. iuris imper. l. c. p. 152. seq.

⁵⁾ Maxime vrgebant, facinus hoc auctoribus Iesui-

sunt, et infamis dogmatis memoria *σηλυτευτική* posteritati tradita est, quod tamen pestilentissimae doctrinae monumentum Iesuitarum postliminio in regnum Galliae redeuntium diligentia precesque sustulerunt, partes Iesuitarum strenue tum agente Cottono. Eo enim intercedente reditus veniam anno MDCVI impetrarunt. Vix autem ferentior Societati fortunae vultus arriserat, cum caedes Henrici IV a Raualliaco perpetrata, nouas contra eam suspiciones infensi in reges eorumque illibate tuendam maiestatem animi ingeneraret, eo quod regicidam hunc Marianae regulis instructum ad tantum scelus suscipiendum accessisse, plerorumque opinio esset. Quod tamen strenue negarunt, Iesuitae, COTTONO *Declarationem*, vti dictum, *de Doctrina Iesuitarum* ^a edente, quam cum refutatione docta et valida aggredereetur anonymus ^b, edito *Anti-Cottoniano*, apparuit, alios quoque ex hac sodalitate doctores huiusmodi principia Monarchomachica disseminauisse; licet magnis clamoribus se huic libro opponerent Garassius Richeomius, Eudaemon, Ioannes Gretserus alique ex Societate ista scriptores a IORDANO ^c nominati. Inter illos vero qui in Iesuitarum Lyceis, dogmatibus Monarchomachicis infames deprehensi sunt, fuit etiam ANTONIVS SANTARELLVS et CAROLVS SCRIBANIVS ^d. Ille enim tractatu *de Haeresi, schismate, et potestate summi pontificis in his delictis puniendis*, Romae anno MDCXXV edito, pontifici Romano auctoritatem atque ius non dirigendorum modo, sed et regno abdicandorum, et mortis supplicio afficiendorum principum imperantium vindicare non erubuit. Qui cum munitus approbatione Aquaiuae, Generalis Societatis apud Romanos prodiisset, adeo offendit ob impium assertum aulam regis Galliarum, vt Curiae regni et Sorbonae sententia vtricibus flammis non sine infamia deleretur. Id quod permouit Iesuitas, vt instrumento publico a Petauio et Cottono scripto testarentur, nihil sibi cum doctrina Sanctarelli commune esse, aduocato Societatis quoque BOVTERAEO in Gallicinio *in aliquot falsas damnatasque Sanctarelli assertiones pro rege Christianissimo* ^e maximis viribus connitente, vt euinceret, doctrinam Societatis de potestate temporali principum cum conciliis et decretis pontificum conspirare: ad cuius tamen apologiam non nemo respondit. Neque tamen conatus hi omnes, quibus ab hac infamia se liberare Societas studuit, efficere potuerunt, vt suspicio, quae alte radices

Iesuitis susceptum esse caussidici, Arnaldus et Dolleus, quibus respondit quidem Cl. Duretus, sed irrito conatu, vid. BVLAEI Hist. acad. Paris T. VI. p. 868. Nec impedire sententiam curiae regni potuit Apologia pro Societate Iesu in Gallia edita a FRANC. MONTANO.

z) Satyris quoque, vt fieri solet, multis exagitata Societas est, vid. IORDAN, l. c. Cabinet Iesuitique, passim.

a) Vid. Personiana p. 61. IORDAN, l. c. p. 97. seqq. Prodiit COTTONI *Declarationis doctrinae Iesuitarum*, Parisiis 1610. 8.

b) *Anti-Cottonus*, ou *Refutation de la lettre declaratoire*, ex quo libro specimina quaedam excerptit ill. IORDANVS l. c. p. 109. Auctorem alii faciunt Petrum Molinaeum, IDEM l. c. p. 118. alii Petrum Coignerum, *Bibl. imper.* l. c. p. 134.

c) l. c. p. 121.

d) In Amphitheatro honoris, quod contra criminationes in Societatem sub ficto Clari Bonarscii nomine 1594. 4. edidit.

e) Paris 1626. In eo instrumentum protestationis quoque legitur.

dices fixerat, ex animis euelleretur, praecipue cum nouam eius materiam Anglia suppeditaret. Notissimum enim coniurationem, quae sulphuraria dicitur, in Iacobum Britanniae regem et regni proceres intentatam, maxime Henricum Garnetum S. I. in Anglia superiorem auctorem habuisse; id quod non modo demonstrauit scriptum cui titulus, *Proditio sulphurea a Iesuitis in Iacobum Britanniae regem et regni proceres intentata Lugd. Bat. MDCVII*, sed etiam EDOARDVS COQVIVS, tunc regii fisci generalis aduocatus, edita *Actione in Henricum Garnetum Societatis Iesuiticae in Anglia superiorem, et ceteros proditores; Anglice primum, Londini MDCCVII*, postea Latine vulgata. Cui opposuit quidem ANDREAS EYDAEMON IOANNES S. I. ad *Actionem proditoriam Edoardi Coqui apologiam pro R. P. Henrico Garneto Anglo eiusdem Societatis sacerdote, Col. Agrippinae MDCX*, ast iustam fuisse actionem demonstrauit ROBERTVS ABBOT episcopus Sarisberiensis in *Antilogia contra Apologiam Andreae Eudaemon Ioannis pro H. Garneto Iesuita, Londini MDCXIII* edita, cui alia quoque Anglorum scripta contra regicidas et regicidarum patronos, addi possent, si id ageremus *f*. Garnetum autem audaciae poenam vitae supplicio luisse, quod nec legati Hispanici intercessio, nec oblata magni aeris redemptio auertere potuit, notius est, quam ut hoc loco narrari pluribus opus sit. Tacemus insidias Benedicti Palmii et Edmundi Campiani, Iesuitarum Elisabethae reginae structas, quibus Campianus laqueum meruit. Renouatae sunt querelae de societatis in hoc argumento doctrina morali, cum recentiori aetate ferale inter Molinae et Ianfenii aedecias controuersiae feruere coepissent *g*. Quae tamen cum in annalibus ecclesiasticis soleant exponi, explicarique, quid Paschalis, Arnaldus Nicolius aliique aduersarii societatis in notissimis libris illi obiecerint, hoc loco, ne extra oleas vagemur, ea non tangimus breuitati litaturi. Nuper demum idem exprobrauit, qui in media Italia in societatem graui fatyra insurgere ausus est, personatus TYMOLEON ***.

§. XIII. Neque tamen inter coetus Protestantium sacris addictos defuere scriptores nonnulli, qui monarchomachorum albo merentur adscribi. Et fuerunt quidem, qui omnes Caluini aedecias accusarent, quod regum maiestatem non satis reuerenter habeant; cuius accusationis occasionem suppeditasse videntur acerbae querelae eorum, qui ex hoc coetu miris persecutionibus pressi, iustitiae auxilia frustra implorauerunt. Certe ex illis ansam scribendi arripuisse auctorem famosi scripti, quod *Moniti ad exules Gallos* titulum gerit, quodque P. Baylio non sine causa adscribi in eius vita demonstrauimus, suo iam loco annotatum est. Circa finem seculi

Monarchomachi inter Protestantes.

f) Conf. Bibl. imper. l. c. p. 136.

g) Vid. *Mysteres les plus secrets des Iesuites* p. 78. seq.

***) In appendice Menippae fatyrae aduersus improbos literarum bonarumque artium olores, de cuius historia vid. *Bibl. raisonnée* P. XXIII, S. 2. art. 2.

culi antecedentis ea de re non sine acrimonia quadam disputatum est inter HECTOREM GODOFREDVM MASIVM, qui Caluini sectatores in libro, cui titulum praefixit: *Interesse principum circa religionem euangelicam*, suspitione pressit, quod de maiestatis origine, et magistratus auctoritate finistre sentirent, et inter Samuelem Andreae, atque imprimis Hubertum Mofanum, id est IOANNEM CHRISTOPHORVM BECMANNVM theologum Viadrinum, qui peculiari disertatione *Securitatem doctrinae reformatae religionis de Magistratu politico* exhibuit. Inde enim multae scriptiunculae enatae sunt, quibus litibus cum Christianus quoque Thomafius accesserit, ut suo loco dictum, ille quoque earum historiam tetigit ^b, qui cum aliis ⁱ est adeundus. Controversia enim ex fontibus magis theologicis, quam philosophicis acta est, et hinc, alium enarrationis locum postulat. Maiori autem iure, huc pertinent illi, qui funestum, quod Anglia obtupuit regicidium Caroli I defendere aggressi sunt; hoc enim non nisi electis monarchomachorum partibus fieri poterat. Inter eos agmen] ducit IOANNES MILTONVS vir ingenii acutissimi et elegantis, quem et *Defensio populi Anglicani* et celeberrimum poema, quod, *Paradisus amissus* ^k, inscripsit, in ciuitate literata fecit famigeratissimum. Vitam eius descripsit Io. TOLANDVS, eo modo, ut ipse non sine inuidia Monarchomachorum numero adiceretur ^l. Ex qua memorabilia repetiit suisque obseruationibus auxit P. BAYLE ^m. Eadem opera defuncti quoque sunt, qui laudatum carmen nuper in Britannia reculum dederunt: qui fontes ab illis hauriendi sunt, qui celeberrimae famae virum nosse propius gestiunt. Is post infandam regis caedem nomine *populi Anglicani* scripta *Apologia* eius iustitiam demonstrare et euincere conatus est, licere tyrannos rerumpublicarum euerfos interficere. Qua de re controversiae ferram reciprocauit cum CLAUDIO SALMASIO: Is enim cum iussu Caroli II edidisset *Defensionem regiam pro Carolo I, ad serenissimum magnae Britanniae regem Carolum II, filium natu maiorem, haeredem et successorem legitimum* ⁿ, opposuit ei MILTONVS: *Defensionem pro populo Anglicano contra Claudii Anonymi, alias Salmasii defensionem regiam* ^o. In qua tractatione Monarchomachorum rationes ex philosophia et reuelatione deducuntur. Aderat autem Miltono ignea vis animi, iudicium limatum, dictio elegans ac satyrica et aulae magis quam scholae aptata: e contrario Salmasius, per totam fere vitam in argumento critico versatus, politicas rationes nec satis attingebat, nec iucunde satis eloqui poterat: inde factum, ut in causa mala potiores Miltoni partes viderentur, iudicarentque nonnulli: Miltonum malam causam bene, Salmasium bonam causam male egisse. Et memorabile est, quod ex aliorum fide refert P. BAYLE ^p adeo placuisse Miltonianas elegantias Christinae, Suecorum

h) *Caus. iurid. mixt. P. II. n. 3. p. 206. sq.*

i) Vid. Epistola Reformati ad amicum, de controversia Masiana cum notis, quae Germanice prodit. *Bibl. imp. c. 2. pof. 4. §. 22. p. 136.*

k) Prodit separatim, et cum Operibus Miltoni.

l) Vid. *Cel. MOSEMIVS Vit. Tolandi §. 6. p. 9.*

m) *T. III. p. 393.*

n) 1649. 12.

o) *Lond. 1651.*

p) *L. c. not. F.*

corum reginae, vt, cum prius magna de Salmasio opinione teneretur, eius ipsi contentum excitauerint. Aliam tamen fortunam in Gallia liber habuit. Iussu enim regis vbique quaesitus et Parisiis atque Tolosae publice flammis vltimicus traditus, ita vero minime extinctus, sed auidius lectus est. In tanta Miltoni ferocia non potuere deesse viri docti, qui regias partes contra eum tuerentur. Opposuit enim ei Bramhallus apologiam, et anonymus quidam: *Regii sanguinis clamorem ad coelum aduersus parricidas Anglicanos, Hagae Com. anno MDCLII*, cuius auctorem nonnulli Petrum Molinaeum, alii, Alexandrum Morum faciunt ^q. Ipse quoque Salmasius aliique responderunt, multisque dissertationibus demonstraerunt, nefandum esse, et legibus diuinis ac humanis repugnare, regem occidere, quae tamen scripta hoc loco enarrare non licet. Neque tamen Miltonus et qui eum sequebantur suae causae defuerunt. Bramhallo enim respondit Ioannes Philippus quidam, quem ipsum Miltonum esse nonnulli suspicati sunt, libello autem, qui Caroli I. nomen praefert, et *ἑκονος βασιλικῆ* titulo celeberrimus est, opposuit Miltonus *Iconoclasten*, negans scriptum hoc, quod magnam populo Angliae inuidiam conflat a rege ipso esse conscriptum; cui postea *Icon aclassos* opposita et regem tempore captiuitatis ipsum librum conscripsisse, probari tentatum est ^r, tempore postea ipsam veritatem paulo luculentius detegente ^s. Eandem cum Miltono opinionem defendit Tolandus, recteque Miltonum libellum ex numero scriptorum purpuratorum eiecisse contendit. Qua de re litem ei mouere WAGSTAFFIVS, et BLACKHALLVS, ille in *Vindiciis regis Caroli*, hic in *Oratione sacra in regis memoriam habita*. Ad quorum tamen obiectiones in *Amyntore* respondit TOLANDVS ^t. Tacemus alios, qui occasione huius regicidii, de difficili hoc argumento disputauerunt, quos fusc nominat *Auctor Bibliothecae imperantium* ^u, qui adeundus. Non omittendum tamen inter aduersarios Monarchomachorum, et numero plurimos et eruditione atque rationum pondere inter se valde diuersos eminare GVILELMVM BARCLAVM, illustrissimi ducis Lotharingiae consiliarium, supplicumque libellorum magistrum atque tum in celeberrima academia Ponti-Mussana I. V. professorem ac decanum; is enim magnis arietibus in *Libris sex de Regno et regali potestate aduersus Buchananum, Brutum, Boucherium et reliquos Monarchomachos* ^x, horum moenia quassauit.

q) Bibl. imperant. I. c. p. 139.

r) Vid. ib. §. 26. p. 140. seq.

s) Multa de hoc libello notanda curiose cu-

mulat P. BAYLE I. c. not. N. p. 397. TOLANDVS in Vita Miltoni.

t) Conf. MOSHEM, I. c. §. 17. p. 95. seqq.

u) Il. cc. ARND. I. c. x) Paris 1600. 4.

